This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

47.76.

M. TULLII CICERONIS

DE

RE PUBLICA

LIBRORUM FRAGMENTA

RECENSUIT

ET

ADNOTATIONE CRITICA

INSTRUXIT

FRIDERICUS OSANNUS.

GOTTINGAE

PROSTAT IN LIBRARIA DIETERICHIANA.

MDCCCXLVII.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PRAEFATIO EDITORIS.

Ciceronis de re publica librorum fragmenta qui primus in cod. Vaticano a se reperta in lucem dedit, singulari casu factum est, ut qui ultimus nunc ediderit, idem sit Ang. Maius, non modo cura ea, quam his libris orbi litterarum restituendis impendit, sed alacri studio illo quascumque litterarum antiquarum reliquias delitescere nosset, in lucem protrahendi, immortalem nominis laudem, quamdiu harum litterarum studia vigebunt, numquam perituram consecutus. Qui quum vel post strenuos labores, quos viros omnium paene terrarum eruditionis laude pariter atque ingenii acumine praestantissimos Tulliano operi emendando illustrandoque certatim impendissent, multa ad verba scriptoris penitus restituenda vel intelligenda desiderari perspiceret, principem suam horum librorum editionem in Auctorum classicorum a se editorum Tomo I a. 1823 ita recudendam curavit, ut aliis omissis, quae aperte falsa visa essent (omisit autem pauciora), aliis adiectis, vel ex ipsius vel ex interpretum subsecutorum penu depromptis, insuper quae ex collatione codicis Vatic. denuo instituta ad recognoscendam scripturam contextus redundare intellexisset, suo loco insereret; quae repetiti laboris pars in maximis operis recepti emolumentis referri debet, non solum quod is multis locis redintegrandis egregie profuit*), sed quod certius nunc de conditione quorundam locorum dubia constat**), vel etiam alterius m. diligentior ratio habita est***): quo acuratiore examine factum, ut ex ipso Codice nunc nonnullae virorum doctorum, veluti Steinackeri†), coniecturae plausum tulerint. At vero quamquam Maii diligentiam etiam in adnotandis aliquot Codicis vitiis in ed. pr. sine nota correctis agnoscimus††), tamen fatendum est, an et secundis his

*) Unum instar omnium, nunc demum restitutum nominabo IV, 4 fin. Adde I, 41 *Q.*

**) V. I, 10 *Philoleo.* I, 12 *Scipionique.* I, 40 *multa.* II, 21 *Sulpicius.*

***) V. I, 2 *quid.*

†) I, 12 *Scipionique* et II, 16 *statues.*

††) I, 2 *quid.* I, 3 *C.* I, 42 *cave* et *insolentia.*

curis Codicis scriptura nunc ita exhausta sit, nihil ut relictum sit, dubitari posse propterea quod quae ipse olim adnotavit*), immutata nunc repetierit: „Manifesta enim menda, quae vetus manus iamdiu sustulit, commemorare scrupulose et lectoribus numerare quid demum interest?“ Haec reputanti non potest non suspicio nasci, ne etiamnunc vera sint, quae olim censuit Freundius**), novam atque accuratiorem investigationem codicum tam huius de rep. operis quam ceterorum Tullianorum a docto Italo editorum quam maxime desiderari: haud exiguum enim esse locorum numerum, in quibus attentius legenti magna iniiciatur dubitatio, num revera ea scripta sint, quae in editionibus Maii exhibeantur. Nihil autem in his antiquae scripturae documentis vile neque spernendum, quum praesertim quae pro vitiis saepe habita sunt, ea ad genuinam manum scriptoris restituendam saepe ducere, vel etiam illibatam referre, quum ab aliis passim probatum sit, tum multis locis iam ex ipso Vaticano de rep. libro satis superque nunc constare existimem. Quantulacumque autem incrementa ex repetita lectione Maii opus Tullianum acceperit, non quid praestari potuerit, sed quid reapse a viro egregio praestitum sit, reputantes in acceptis grato animo ea referre debemus. Multi iam ab eo inde tempore, quo ultimam Maius operi manum admovit, anni praeterlapsi sunt, neque ullus, quantum sciam exstitit, qui inchoatam, nec tamen pertextam, licet contentis doctissimorum hominum studiis nominibus expolitam multis, telam retexere institueret. Itaque munere meo professorio quum de aliis libris Tullianis, tum etiam de his politicis scholas habendi quinque abhinc amplius lustris ansam identidem praebente, quum intelligerem, ab editoribus praesertim in parte operis critica recte tractanda alia relicta, alia secus ac vel auctoritas Codicis vel consuetudo loquendi scribendive Tulliana postularet, constituta esse, mature consilium cepi virium quantum in me esset ad novam eorum librorum editionem adornandam applicandi. Cuius consilii, quod qua potui sollertia in hoc opere persequi studui, ratio statim in limine reddenda videtur, scilicet ut in proposito absolvendo de iusto modo non ubique observato me reprehensuris occurram: de utroque enim mecum expostulari posse video. Etenim in tractanda amplissima materia, quam hi libri Tulliani suppeditant, ne in avia omnia abriperer, quum certis intelligerem laborem meum finibus circumscribendum esse, haud inutile opus me susceptum putavi, si in profliganda ea parte me continerem,

*) Ad I, 9.
**) Ad Milon. p. 11 sq.

quae in refingendo scriptoris contextu consistit: a quo proposito si hic illic recessi, ea quae ex alio genere commentariis mei admixta sunt,; ab ipsa rerum, quae ad exspatiandum invitarent, tum copia, tum gravitate confido excusatum iri. Partem vero inprimis criticam quam diligentissime retractandam ut susciperem, adductus sum non tam quod ad verba scriptoris restituenda parum adhuc collatum esset, (immo naviter nec sine fructu homines amplissimi doctissimi vires exercuerunt suas), sed quod immanem variantium lectionum molem repetitis virorum doctorum curis subinde excrevisse viderem, qua quid probum quid falsum esset difficile dignosci posset, quaque tandem quod ipse liber Vaticanus ferret, obrui iamiam inciperet: nam eo res iam devenit ut, primitiva Codicis scriptura saepe oblitterata, eius in locum, ne memorata quidem exempli Vatic. discrepantia, ab editoribus pro arbitrio cuiusque haec vel illa scribendi forma Tullio intrusa sit. Quid? Tam multa, quae vel argutius excogitata vel dubia sint, vel quae integram Ciceronis scripturam sincere in Codice traditam obscurent, attente rem consideraturus deprehendet contextui ipsi illata, ut ex semetipso Tullius exsulasse paene videatur. Ad fontem igitur reversus illum limpidum, ex quo quum curiosius haurire coepi, minime spretis rivulis iis, qui in ceteris eiusdem generis palimpsestis continentur, intellexi, in horum codicum scriptura recte explorata hodienum adesse ipsius manus Tullianae vestigia certissima, quamvis involucris saepe occulta, quibus ope aliorum adminiculorum, quae in reliquis sermonis Latini monumentis constant, sperare liceret fore ut multo certius quam id fieri posse adhuc a scientissimis indicatum fuisset, elocutio Tulliana enodari quiret. Itaque non id tantum spectavi in vulgando hoc opere, ut exemplo aliorum editorum non solum quae hactenus a VV. DD. praestita essent, sparsa saepe ea, nec aditu facilia, congererem diligenter et diiudicarem deque memetipso, si quid ad emaculanda vitia aliqua conferre possem, adiicerem, sed etiam orthographiam Tullianam explorarem, exploratacque contextum accommodarem: qua de re infra dicendum erit explicatius. In adnotandis autem Ciceronis libris quum res ipsa postulare videretur, ut quae ad eos emendandos collata essent, paucis exceptis, quae nemo desideraret omissa, commemorarem omnia, his tamen finibus laborem meum circumscribendum putavi, ut ex ampla Moseri adnotatione ea tantum repeterem quae alicuius pretii essent aut auctoris nomine commendarentur, eorum vero, quae post eiusdem viri clarissimi, de Cicerone suo optime meriti, curas vulgata essent, omnia studiose colligerem subnotaremque. In Maii vero ed. altera, quidquid novarum

lucubrationum accessit, sive in adnotatione critica sive in commentariis subiectis, ex re visum est in meam pace editoris illustris omnia et ad verbum quidem descripta transumere, una cum iis prioris ed. particulis, quae ad Codicis accuratam cognitionem pertinerent. In contextu denique exhibendo Tulliano hanc legem mihi scripsi ut Codicis scripturam, ubi fieri poterat exprimerem intemeratam, mutatae rationem in notis redderem: a qua lege religiose quam potui a me observata memini in diphthongo tantum pro *i* longa finali scribenda me deflectere, quod ipse monui in exordio libri*), ita ut si qua alia adnotare neglexi, id me invito factum esse putetur. Sexti libri partem eam, qua Somnium Scipionis continetur, novo examini subieci, subsidiis non spernendis tam iis quae iam ante me alii in auxilium advocarunt, quam novis, de quibus infra dicam, adiutus. Denique in fragmentis, quae alii scriptores passim citant, disponendis iustoque loco suo adiudicandis, mecum si quis acrius agere velit, maiorem, quam a me praestita est, curam fortasse desideraverit. Quod vero eam plerumque fragmentorum ordinationem exhibuerim, quam viri ante me longe sagacissimi constituerunt, id eam ob caussam faciendum mihi putavi, quod quum omnis hic labor intra probabilitatis fines exercendus esset, atque cardo rerum in eo potissimum verteretur, quid probabili probabilius videretur, in hoc ancipite veritatis statu lectorum commodo quam maxime consuli videbatur, si a vulgato contextu quam minimum recederem. Postremo quantum ad externam contextus a me exhibiti speciem attinet, notandum, in describendo eo ita me versatum esse, ut scripturam cod. Vaticani litteris maioribus, fragmentorum aliunde comparatorum disertoque testimonio grammaticorum librariorumve ex his libris Tullianis laudatorum minoribus, et si dubia horum auctoritas esset vel ubi non ipsa Ciceronis verba, sed vis tantum eorum ad nos pervenisset, id quod in multis ex Augustino maxime locis accidit, item minoribus, sed inclinatis, quae dicuntur, exprimendam curarem.

*) Obiter notemus, illius usus vestigia etiam in Velleii Pat. codice reperiri, monente Orellio in huius scriptoris ed. a se curata p. x. Praeterea ex inscriptionibus addamus HEISCE MAGISTREIS in eiusdem Anal. epigr. p. 46: qui titulus a. u. 648 inscriptus est. De origine ipsa diphthongi pro *i* longa in genitivis verborum decl. 2 scriptae ex sanscrita genitivi forma *sj → a* (*s*) scilicet repetenda, quam coniecturam nuper proposuit Fritschius Diss. schol. Wetzlariensi de casuum obliquorum origine et natura deque genitivi singularis ... conformatione, Gissae p. 5, eam breviter admoneo vel hoc nomine laborare, quod eius diphthongi scriptio non ad solos genitivos, qualis est quos affert, *populei*, *liberei*, *ostiei*, sed ad omnes loquelas, quibuscunque vocalis *i* longae sonus reperiretur, atque in media ipsa voce, pertinet.

Erat in proposito contextui Ciceronis subiungere commentarios eos, qui in Somnium tum a Macrobio tum ab Eulogio Favonio conscripti sunt, quorundam subsidiorum, quae comparare mihi contigerat, ope subinde refictos: ad quem laborem suscipiendum eo magis instigabar, quod Ludovicum de Ian, quem de editione aliqua Macrobii vulganda meditari noram, ad solos Saturnaliorum libros operam suam constrinxisse in comperto nescio unde habebam. Sed ex quo per ipsum virum humanissimum, quem ea de caussa per litteras adieram, certior factus sum, non solum Saturnaliorum sed etiam Commentariorum editionem, longo ex tempore praeparatam, eum moliri, abiecto consilio meo, in scriniis quidquid servabam ex MSS. enotatum cum Iano, subsidia haec, si tanti viderentur, in usum suum adhibituro, communicare malui. Hic vero, quo est erga me benevolo animo, Macrobii sui quantum tum typis descriptum esset, rursus meum in usum transmittendum illico curavit: cuius in fronte quum ipsum Ciceronis Somnium collocatum esset, ex Macrobii scilicet Codd. emendatius descriptum, eo exemplo venia mihi data ita certe utendum mihi ratus sum, ut commentariis meis dudum absolutis varietatem contextus insererem et ex ipsis codicum notatorum lectionibus eas transcriberem, quae animadversione praecipue dignae viderentur: quod si rarius, quam exspectari posset, factum aliquis queratur, is modeste mihi agendum fuisse in re aliena velim reputet; praeterea quum uniuscuiusque codicum a Iano adhibitorum rationem et auctoritatem ignorarem, prudenter in singulis notandis et caute mihi versandum esse intellexi. Ceterum valde gavisus sum, quum contextum Somnii a me constitutum cum Ianiano in plurimis consentire animadverti. Restat ut Guil. Frid. Otto, collegae meo doctissimo, de me in absolvendo hoc opere multis nominibus merito, gratias persolvam maximas: qui quum hoc labore me occupatum sciret, non solum observationum in libros hos Tullianos a se conscriptarum fasciculum septem abhinc annis ultro mecum perhumaniter communicavit, quas editioni meae, venia ab auctore impetrata, integras inserere non dubitavi, sed etiam opellam meam et mirifica, qua in paucis pollet, sermonis Latini, praecipue Tulliani scientia liberaliter me adiuvit. Neque iustae laudes gratesque debitae Alberto Lion, Phil. Dr. Gottingensi, invidendae sunt, qui in munere correctoris perfungendo quam diligentiam in Cornuto meo olim praestitit, eandem etiam in Cicerone probavit summam; neque in hac provincia sola consistere voluit, sed praeterquam quod quae in administranda ea subinde in mentem ipsi venissent, benigne mecum communicavit, minime spernenda, idem indicem quoque conficiendi laborem molestissimum in

se suscipere non recusavit, quo tam de me quam de iis, qui hoc libro uti velint, insigniter promeritus est.

His universe praemonitis, quae restant in ipso operis limine monenda, quorum partem in superioribus leviter tantum attingere licuit, ea nunc ita absolvere constitui, ut quaeque singulis capitibus comprehendam.

I.

DE ORTHOGRAPHIA TULLIANA.

Arduum et invidiosum me opus aggressum esse, quum ad ipsam consuetudinem, qua Tullius in scribendo probabiliter usus esset, librorum de rep. fragmenta exigere et typis exprimere in me susciperem, haudquaquam me fugit: neque tamen eam laboris mei partem nova aliqua comminiscendi pruritu excitatus subii, sed quod necessitatem edituro mihi scriptum Tullianum impositam defugere haud scirem. Etenim circumspicienti mihi regulam, ad quam contextum Tullianum refingerem, quum ob ipsam discordiam, qua Codicis scriptura laborat, praeceptum eorum cohiberer sequi, qui probatiorum librorum ad fidem exprimenda esse scriptorum verba declamant, quumque praeterea in ipsa discordanti scripturae ratione indicia genuinae a librariis obtritae manus certissima deprehendisse mihi viderer: viam hactenus utplurimum ab editoribus calcatam deserere coactus fui, rationem eorum rei minime satisfacere ratus, qui revocando aliquot genuinas formas, quales genitivi in *i*, vel scriptura *o* pro *u* in geminatis *VV* aliaeque eius generis paucae sunt, ad antiquum scribendi genus Tullianam elocutionem conformasse sibi videantur. Hoc scripturae genus mixtum, in quo nova antiqua iuxta ita ponuntur, ut vestis versicoloris speciem prae se ferat, quum parum placeret, intellexi aut sequendam esse rationem eorum, qui contexta Tulliana ad quoddam novitium scribendi dicendique genus pro suo quisque arbitrio exigere solent, commentitium vero illud, neque ulla auctoritate firmatum, aut totam rem retractandam et usu Ciceronis, quantum fieri posset, pervestigato, ad huius normas contexta refingenda esse. Hac igitur via, quae quamvis periculosa atque etiam aerumnosa, sola tamen solidiore harum litterarum studio digna visa est, ingressus, quibus adminiculis rem absolvi posset, quibusque rationibus eam regi deberet, explicare atque explicando quidem uno loco grammaticali rei experimentum facere nuper studui, ut ea de re hic exponere supervacaneum sit, quum praesertim omnia ista a me non alio consilio a me monita simul dixerim, quam ut iis huic a me vul-

gandae Ciceronis editioni praeluderem *). Periculum igitur laboris eius feci, quem Niebuhrius quum iam ante in Conspectu orthographico suo de genuina Tullianae scriptionis forma passim monuisset, si quis in se suscipere vellet, iucundum opus, quamvis omnibus numeris non absolutum, effecturum dixit **).

---

*) Comm. de pronomine tertiae personae *is ea id*, cuius potissimum *conf.* Praef. et p. 64. Qua genuinae scripturae mature a librariis corruptae observatione totum hoc antiquorum scripta tractandi genus criticum cummaxime nititur et regitur, eam Orellius suo calculo comprobavit, quamquam noluit eam in edendo Tullio sequi, his usus verbis ad Remp. I, 5. p. 416: „Certum est enim vel ex Cdd. ipsis, vel ex locis apud Nonium, Charisium, Priscianum laudatis, post secula III et IV unumquemque scriptorum librariorum id sibi arbitrii sumpsisse, vetustiora ut exemplaria deserens suae aetatis usum in loquendo, pronuntiando scribendoque sequeretur." Quam sortem quum scripta quaeque ex saeculis remotis ad nostra tempora propagata perpessa sint, eidem eo magis obnoxia fuisse exempla ea dicemus, quae nonnisi scriptionis ope multiplicari potuerunt, quo maiorem depravationem, vel ut alii dicere malunt, emendationem animadvertimus etiam nonnulla eorum subiisse, quae typis descripta sunt, veluti nobile illud Lutheri nostri bibliorum exemplum.

**) Ad Cic. or. fragm. p. 55. „Atque si fieri quidem posset ut colligendis cunctis antiquissimae scriptionis vestigiis, quae certe plurima supersunt in horum codicum praestantioribus, eam quam Cicero secutus est rationem inveniremus, iucundum fore arbitrarer illam in eius libris edendis adhiberi: profecto enim verum est quod ille, quem iam allegavi, Cornutus dicit, *antiquam scripturam in antiquorum libris observandam esse*. Vereor tamen ne in multis usum Ciceronis nihilominus ignoraremus quamquam haud parum lucis ex his membranis effulsit; et ne in edendis universis oratoris scriptis satius sit eam orthographiam tenere quam antiqui Grammatici emendatores stabiliverunt, quae tamen ipsa in editionibus minime obtinet." Et ipse lubentius tenuissem, si quae emendata ista grammaticorum orthographia esset, certius constaret idque per ipsius libri Vatic., ut de ceteris palimpsestis nihil dicam, secum mirifice dissidentis conditionem licuisset. Atque idem Niebuhrius p. 110 ad pleraque, quae in illis antiquioris notae codd. exhibeantur, idiomata ait se non haesitaturum librorum Ciceronis scriptionem conformare. Recte: si modo quid verum in iis, quid falsum, quid Tullianum, quid posterioris aetatis, dignoscendum antea esse nobis concedatur, id quod iam talis viri auctoritate confisi, facere pro viribus instituimus. Ceterum idem quod Niebuhrius etiam Heinrichius optasse videtur, quum in sua horum de rep. librorum ed. p. 155 adnotaret: „Atque utinam tandem docta opera colligatur in unum, quidquid, post Manutium et alios, animadversionum novarum de orthographia tum ex Codd. mss. vetustioribus, tum ex inscriptionum plus accrescente indies mole redundabit, ut ante omnia parata sit nobis locupletissima copia rerum, et materia sufficiens certioribus demum praeceptis inde hauriendis." Ad probanda ea, quae de fluctuatione scripturae in MSS. Pabstio quoque notata Varr. lect. cod. Arnstad. Somnii Scip. p. 4, nisi alia auxilia adsumantur, ad certas normas non dirigenda modo asserui, exempli gratia, ne longius abeam, provocare licet ad nuperam Taciti editionem cura Orellii vulgatam, qua tandem effectum ut de codd. Mediceorum scriptura accuratius quam antehac nunc liqueat. Qua nova codd. collatione diligentissime a Baitero instituta iam constat, tantum esse in eadem voce scripturae fluctuationem, ut editori in constituendo verborum contextu, si ipse fluctuavit, quod

In quo labore persequendo, ne Ciceroni quae vel ab eius consuetudine aliena vel non satis certo stabiliri possent, intrusisse imprudenter arguerer, in restituenda auctoris manu timidior quam audentior malui existimari*), quamquam praevideo fore, qui etiam in hac operis mei parte fide librorum me abusum esse dicant.

Minime vero ego primus fui, qui de contextu Ciceronis ad pristinam scribendi enuntiandique formam revocando cogitarim. Et olim et nostra aetate fuerunt, qui in eodem lapide volvendo vires suas exercerent, veluti, ut in huius aevi memoria consistam, Beierus, Madvigius, Wunderus, alii, colorem antiquum reduxisse iam sibi visi, quum in paucis aliquot, ut dixi, formis reponendis elaborarent, in quibus etiam quaedam repertae, quae a Tullii Latinitate prorsus abhorrerent, ut *ec* pro *ex* in verbis compositis: qui suo exemplo potius viam rectam monstrasse,

---

inumeris locis factum censor eius Mützellius ostendit, (Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen, II), ignoscendum sit. Huius inconstantiae caussa non tam ab incuria editoris quam a fastidio eius laboris repetenda videtur, quem impune nemo antiquum opus editurus a se detrectare potest, ut scripturam in codicibus traditam ad scribendi consuetudinem non modo saeculi, sed etiam scriptoris, quod vel in Tacito maximi momenti est, usu receptam exigat: in qua quaestione a librorum quidem fide proficiscendum, sed ea ita utendum, ut contendamus cum ceteris scripturae monumentis atque, instituta omnium artis subsidiorum comparatione, quo scribendi vel etiam dicendi genere scriptor quisque usus sit indagare studeamus. Ac hac demum tractandi ratione sperare licet ut de iis ipsis discrepantiis in uno eodemque libro Ms. oblatis iudicium feramus certum. Quis enim scriptorem in eodem opere promiscue *dis*, *diis* et *deis* posuisse, sibi persuadeat, id quod Mediceus in Annalibus secum ipse dissidens suppeditat quodque Orellius patienter suis locis repetiit, hac de caussa non immerito a Mützellio notatus p. 209? Sed quominus alia innumera eiusdem inconstantiae exempla congeram, otium fecit mihi docta illa Mützellii censura laudata, cuius qui rationem habuerit, non dubitabit mecum statuere, orthographiae Taciteae nunc fundamentum quidem aliquod iactum, auctor vero ipse quibus potissimum formis usus sit, adhuc in obscuro relictum esse. Fundamentum vero quum dico iactum iam esse, id eo sensu accipi volo, in ipsa varietate unius eiusdemque vocis vestigia sincerae scripturae plerumque contineri, dignoscenda aliorum adminiculorum ope, quae quam ex sermonis Latini indole et usu, tum ex aequalium monumentorum fide repetenda sunt. Ea enim codicum paullo antiquiorum conditio est, ut quum turpissima interpolatio in eluendo antiquae scripturae colore grassata fuerit, nullus tamen librarius tam diligens fuerit, quin in nefando suo opere hic illic remitteret et scituris archetypi specimina relinqueret. Unum tangam. Si quae de scriptura verborum cum *ex* et *exs* compositorum in Tullio statuimus vera sunt, nonne eadem etiam ad Taciti consuetudinem recte pertinere iudicabuntur, quam Medicei codd. servarunt exhibendo *exsolescere*, *exsuere*, *exsuviae*, in vitiis a Mützellio p. 208 relata? Haec non pro certis affero, sed quod digna videantur altiore indagine. V. ad I, 1. p. 5. Addamus DEILEXSERAT ex inscr. iambica in Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. p. 304.

*) V. Comm. de pronom. p. 67.

quam quod in mira hominum quorundam non indoctorum obstinatione inflexibili pernecessarium fuisset, firmis fundamentis rem munivisse mihi quidem videntur. Atque eiusdem rei experimentum in Vergilio nuperrime Wagnerus facere eo ipso tempore instituit *), quo commenta mea prelo submissurus eram, cuius viri eximii exemplo in consilio meo persequendo confirmatus quidem fui animo, sed quae erroris pericula ipse subiturus essem simul cognovi. Nam Wagnerus ab iis scribendi rationibus, ut videtur, cum maxime profectus, quae in Orthographia Vergiliana exposuisset, in quibus vereor ut satis diligentem se in dignoscendis singulorum idiomatum proprietatibus praestiterit, ita ut magis antiquorum scripturam, quam Vergilii aut certae alicuius aetatis consuetudinem constituisse existimandus sit, quum antiquo usui quidcunque convenire ratus fuit, Vergilio suo intulerit: accidit ut in poeta suo restituto nonnulla nunc reperiantur, quae Marone aut antiquiora, veluti *triboli* **), aut posteriora, ut *scaena*, *proscaenia*, de quo alibi dicam, esse videantur; quo de errore cum viro doctissimo haud magnopere expostulandum, quum ob difficultatem ipsam in re nova constituenda permagnam, tum quod scripturae pervestigatio, si in quopiam scriptore impedita est, in Virgilio eo impeditior videtur, quo aetas eius in ea tempora certius incidit, quibus scribendi consuetudo superioris aevi tantas subiit mutationes, ut Augusti aetate quid usu ex aevo proxime elapso receptum manserit quidve repudiatum sit, an umquam satis exploretur dubitari possit. Neque mihi nunc idem opus in uno Cicerone aggresso sperare licet, ad finem me rem perduxisse, non ab uno homine, sed iunctis plurium viribus demum aliquando ab iis absolvendam, qui totum hoc elucubrationis genus cum fructu tractari mecum statuant. Nonnulla quidem novavi vel renovavi, nec tamen tantum quantum animus ferebat. Alia non nova, sed pertinacius a quibusdam reiecta, firmare studui. Multa sciens reliqui intacta, partim quod non satis mihi adhuc de iis liqueret, partim ob reverentiam exempli Vaticani ***): alia, quorum de ratione ego quidem desperarem. Horum ex genere, ut singulatim unum afferam, intricatus si quis unus locus est de assimilatione consonantium in compositione verborum: quae quum tota apta sit vel ex natura consonantium collidentium ipsa, vel ex sono collisarum, apparet, tametsi assimilandi ratio certis

*) Verg. Maronis carmina breviter enarravit Wagner. Lipsiae 1845.

**) Georg. I, 153. et III, 385.

***) Veluti *cur*, cuius loco Müllerum memini in Varrone suo reponere *quor*, fortasse Ciceroni quoque vindicandum, etiam Lucretio vindicatum a Forbigero ad I, 175., quod quum olim a *qua re* derivari perperam soleret (v. Schmidt De pronom. p. 97), nunc probabilius contractum ex *cui* (*quoi*) *rei* putatur ab Handio et Klotzio Jahrb. f. Philol. T. XL. p. 20. Atque certe *quur* scribitur ap. Inc. in Maii Auct. class. T. VI. p. 580.

legibus subiecta esse debuerit, in usu tamen eorum praeverbiorum ipso multa scribentium arbitrio relicta fuisse, ita ut de aliqua saeculi, vel singuli alicuius scriptoris consuetudine legis instar constanter servata cogitari nequeat. Haec vero universe dicta accipe: nam non praeterit me, esse quasdam loquelas, in quibus pro saeculorum diversitate et indole vel etiam communi de consuetudine quasi de composito veteres quandam usus aequabilitatem secuti esse videantur, veluti in retinenda *n* ante *p*, in *imperium* et similibus, etiam ante *m* *): Sed ne in his quidem una lex observatur. Ac tametsi putare fas est, quo remotionis antiquitatis monumenta essent, eo integrius primitivam litterarum naturam ea servasse, quod v. c. Bachium commovit, ut Tacitum, utpote antiquitatis sectatorem, praeverbiorum formas, ubi fieri posset, immutatas posuisse censeret **): tamen refragantur innumera litterarum exempla scripta et inscripta, quibus antiqua consuetudo promiscuo usu servata est. Rursus a pervetusto iam tempore assimilationis usum minime abhorruisse, ostendit lapis circa a. u. c. 655 incisus ***), in quo adeo in concursu vocum *ab* et *vobis* exaratum *af* pro *ab*. Quid? quod Cicero ipse Orat. 48 *suffugit* et *subfugit*, *summovet* et *submovet* iuxta agnoscit, ita ut quemadmodum res nunc quidem habet, frustra egisse videantur ii, qui in certis assimilationis legibus constituendis allaborarunt, veluti Wagnerus Orthogr. Vergil. eiusque censor Lerschius †), aut qui, ratione neque temporum diversorum neque ipsorum verborum satis habita, assimilationem tantum non omnibus locis ab antiquis cooptatam fuisse statuerunt, ut olim cum Lindemanno Pinzgerus ††). In hoc rei statu ancipite quem ducem in edendis his Ciceronis libris sequerer haesitanti, tutis-

*) In titulis Augustei aevi ap. Seidl Epigr. Excurse I. p. 7 et Gerhardii Archäol. Zeit. 1846. No. 47. p. 373 legitur INMVNITATE, INPONERE, CONLOCARE; item in alio Valentiniani imp. aetate inciso ap. Maium Comm. praev. de Symmacho p. XXIV ed. Rom. retinetur INPLEVERIT, INPETRABIT, una cum ADPOSITA, CONLOCARET, INLVSTREM. Atque *n* ante *p* immutatam servare codd. perantiquos Vatic. or. pro Flacco et pro Fonteio ad Ciceronis fragm. adnotavit Niebuhrius p. 110, idemque etiam in Mediceo Taciti locis tantum non omnibus fieri, colligitur ex Mützellii Censura ed. Orellianae I. p. 205. Quam scribendi rationem in hac editione librorum de rep. admisissem, nisi reprobatam a Codice viderem, utramque formam promiscue exhibente.

**) Zeitsch. f. d. Alterth. 1833. No. 107. p. 848. Cod. Med. sibi minime constare, ex Mützellii Censura l. l. docemur.

***) Post alios repetiit Eggerus Lat. serm. rel. p. 358, de hac ipsa scribendi ratione conferendus p. 254.

†) Zeitsch. f. d. Alterth. 1845. p. 348. Lerschio immutatam formam *adficere* bonae Latinitati unice vindicanti confitendum quidem est favere Vaticanum nostrum, *adficit* et *adflictos* I, 44, *adfixi* I, 17 exhibentem; favere etiam codd. Vatic. or. pro Fonteio et pro Flacco, teste Niebuhrio p. 110.

††) V. Seebodii Bibl. cr. 1825. No. 4. p. 480.

simum mihi interim visum est, re integra relicta, Codicis scripturam fideliter exprimere, cuius de ratione quo minus enucleatius dicam otium mihi fecit Freundius ad Milon. p. 26 seq.: qui postquam non ita evidentia neque certa esse argumenta et testimonia sibi videri pronuntiavit, quibus quid Cicero scripsisset se aliquando monstraturum Wunderus ad or. pro Planc. p. XV pollicitus esset, haud magis eam legem, quam Müllerus ad Varronem de L. L. p. XXXVIII, quippe ex ipso praeverbiorum significatu aptam commentus esset, monumento rursus fide corroborari recte monuit. Hanc sententiam suam vir diligentissimus exempla eius usus mire discrepantis cuncta ex his de rep. libris afferendo ita firmare studuit, ut quandoquidem omnis scripturae cognitio, ut ait, ex solis codicibus petenda esset, quod ego quidem aegrius concesserim, ipsa eorum inconstantia rem in medio relinquere, h. e. in auctoritate optimorum quorumque codicum reponere iuberemur. At hoc non est litem componere, sed ampliare. Salva res est, si quidem de unius codicis ipsa vetustatis laude commendati et probati scriptura agitur: sin vero plurium neque admodum vetustorum, scripturae quidem ratione, ipsa autem contextus praestantia haud multum inter se dissidentium copia datur, duce destituti certo fluctuabimus.

Uno hoc exemplo ostendere studui, si nollem temeritatis incusari, in medio quaedam pro infirma eius doctrinae ratione mihi relinquenda fuisse. Itaque quod primo apud me constitueram, ut quae ad orthographiam Tullianam pertinentia nunc per totum opus meum sparsa leguntur, iusto ordine disposita una comprehenderem, id omittere satius duxi, non defore ratus, qui totum hunc locum planius, quam id pro viribus meis fieri potuit, aliquando expolituri essent.

II.

DE CODICIBUS MSS. LIBRORUM DE RE PUBLICA.

Subsidia codicum, quibus usus sum, duplicis generis sunt. Pertinent enim aut ad operis fragmenta ea, quae per Maii industriam ex libro Vaticano vulgata sunt, aut ad Somnium Scipionis, iam antea omnium manibus tritum. Illorum constat, si excipias quae scriptorum grammaticorumque testimonia suppeditarunt, unicum fontem esse codicem Vaticanum, cuius de conditione et ratione quae scitu digna sunt, ea Maius occupavit, liber eius quum omnium in manibus sit, hic non repetenda: qui tanta explanavit rem diligentia, ut secundis curis pauca relicta sint, gravissimi tamen ea, si quid video, momenti. Et spectant quidem ea ad aetatem codicis Vat. definiendam; in qua quaestione profliganda multum quidem operae Maius insumpsit, nihil tamen, si ipsi libuerit veritatem confiteri, in hoc lapide movendo profecit.

Nec post eum novi ullum, qui eundem laborem denuo ea diligentia aggressus sit, quam rei difficultas exigit. Nec ego mihi sumo rem ita absolvere, ut nullum relinquatur dubium, omnia, quae ab ingenuo editore postulari possunt me fecisse ratus, si in hac provincia, quam ceteri editores ad unum omnes a se alienam putarunt, administranda virium mearum certe periculum fecero. Operam tamen lusisse mihi non videbor, si aliquatenus ad veritatem accessisse, aut certe viam, qua certiores normae rei constituendae investigari possint, monstrasse mihi contigerit: quae res quantam vim habeat ad pernoscendas aetates ceterorum eiusdem generis palimpsestorum, de quibus haud melius liquet, atque ad ipsos recte aestimandos, non est quod ostendam.

In aetatem codicis cuiuscunque, praesertim speciem antiquioris temporis prae se ferentis, ceteroquin certis aliquibus aevi notis destituti, inquirenti duae inprimis res spectandae sunt, quam breviter appellabo palaeographiam et orthographiam: quarum quum illa externam codicis formam respiciat, non dici potest quot quantisque erroribus in re tam incerta et ancipite obnoxia sit; haec versatur in perquirenda ipsius librarii disciplina atque eruditione, altera illa multo certior et firmior ratio, quod tota pendet a saeculi, quo scripsit, consuetudine et ingenio. Atque ut de illa primum dicam, Maius, qui solam respexit, exemplo suo ostendit, quam parum qui hac una via incedat proficere queat, praesertim qui in contemplanda generali externae formae specie consistat. Etenim is, grandis illius et quadrati litterarum generis, quo Codex exaratus est, ratione paene unice habita, posteaquam hanc scripturam post sextum aut certe septimum saeculum vix amplius comparere monuit*), omnibus consideratis, quamquam res controversa sit, paullo aegrius ait sibi persuadere, „tam splendidum tamque luxuriosum tullianae reip. codicem post imperii Romani excidium, barbaris in Italia regnantibus, fuisse scriptum, et non potius extremis saltem Caesaribus rem Romanam adhuc tenentibus." Ut quae primo de grandis illius scripturae quadratae aetate statuit, verissima neminique improbata sunt, ita quae de ipsius codicis saeculo subiecit, quum ne uno quidem argumento suffulserit, tantopere fluctuant, ut nihil is omnino dixisse videatur. Atque quum ipse mox addat: „Quid enim plerumque obstat, quominus tertii aut secundi saeculi haec scripta dicamus?" patet ipsum sententiae suae diffisum esse. Itaque omittenda tota res videbitur, aut retractanda altiusque repetenda. Ac primum in ipso illo scripturae genere rei attentum latere non potest mirabilis exemplarium varietas, quae diversitatem aetatum non potest non prodere, quum in generali ductuum ratione, tum in singularum litterarum forma et scriptione verborum. Ut de generali specie, ut quae fallacissima sit, nihil

*) Praef. XIII.

c

dicam, quamquam v. c. Symmachi codicem Ambrosianum, qui ante saeculum septimum certo scriptus non est, cum Vaticano nostro comparantem fugere non potest, utrumque aliquot saeculorum discrimine distare, rursus in ipsa litterarum quarundam forma Vaticanus noster a Vaticano Sallustii *) vel Mediceo Vergilii magnopere differt, veluti in scribenda litt. *d*, quae in his angularem, qualem fere ex lapidibus novimus, speciem, in illo vero novitiam illam curvatam formam, etiam rotundius in Digestis Pisanis oblatam, monstrat. Itaque ut Ambrosiano illo Tullianus antiquior, ita idem Sallustio Vaticano et Mediceo Vergilio recentior putari potest. Omnes vero tres in eo conveniunt, quod, exceptis compendiis B· (*bus* dat. et ablat. terminatione) et Q· (*que*), quae mature in usum recepta fuere **), verba intemerata exarantur, praeterquam quod in exitu versus, spatii propter angustias, ut videtur, compendiose scripta nonnumquam reperiuntur, praesertim omittendo litteras extremas *m* et *n* ***), veluti in Ciceronis exemplo Cō|GREGATUS et Cō|MUNIONE, in Sallustio NECESSARIA, SANCTU, QUICQU (*quicquam*), QUA, AGU|TUR (*aguntur*), lineola extremae litterae supra apposita, prorsus ut in Mediceo Virgilio, ex quo exempli loco profero DAPHNI, HABEBA ALMU. Iam cum usu hoc compendiorum parcissimo, vel nullo potius, eam abundantiam velim compares, qua Ulpiani Institutionum codex ab Endlichero vulgatus, qui saec. V vel VI scriptus putatur †), vel etiam Veronensis Gaius conspicui sunt: qui usus sive abusus quam late olim patuerit, vel ex eo potest aestimari, quo quominus in conscribendis libris iuris civilis siglis vel compendiis quisquam uteretur, vetare Iustiniano visum fuerit necessarium ††). His consideratis concedes, etiam aetate hos et illos libros mirum quantum inter se differre. Ac rarissimus compendiorum, quae cave cum notis sollemniter receptis confundas, usus in lapidibus est †††). Postremo tangam

*) V. exemplum in Maii Auct. cl. T. II. p. 416 et 418.

**) Huius exemplum praestat SC. satis antiquum in Bull. dell' inst. arch. 1831. p. 137. Item titulus saec. IV incisus ap. Pelliccia Christ. ecclesiae politia T. II. p. 122 ed. Ritter. Terminationem illam dat. et abl. de more vulgari, ut non dicam, constanti exhibet Mediceus Vergilii.

***) V. Buttmannum Mus. dér Alterthumsw. Vol. II. p. 89, licet de recentioris notae codicibus loquentem.

†) Operae pretium videtur exempla dare. Ē *est*, ÷DICTUM *interdictum*, V̄V̄ velut (?), P' *pos*, SEMP· *semper*, p̄ *per*, V̄ *vet*, QD *quidem*, C' *cum*, FORM *formulam*, I *in*, q̄q̄ *quoque*, ↄ *con*, N *nemqe*, q̊ *quo*, M' *mus* (terminatio), P̄ *pro*, t̄ *tur*, (terminatio), q̄ *quod*, S' *sed*. Adde Vaticana iuris civilis fragmenta, certo post a. Chr. 372 (vid. p. 12), sed, ni fallor, etiam serius conscripta: ex quibus compendia potiora Maius in tabula exhibuit delineata.

††) De conceptione Digestorum.

†††) Afferam REQUITIONIS (*requisitionis*) et MAGNOPE (*magnopere*)

interpunctionem, cuius usus quum in Vaticano Tullio, quantum quidem ex contextus exemplis a Maio in utraque ed. exhibitis diversis concludere licet (nam ipse hac de re nihil adnotavit), nullum exstat vestigium, haud magis quam in Sallustio *), frequentissimus is in Mediceo Vergilio observatur, ad leges suas hic non persequendus: quibus ex parte Mabillonius corrigitur, qui ante tempora Caroli M. a notariis nullam fere verborum distinctionem adhibitam esse contendit **). Atqui iam ante non prorsus insuetum interstinguendi morem fuisse, Hieronymus suo exemplo docuit, quem scimus libros sacros in cola et commata distinxisse ***). Quid? quod idem eundem morem in libris Tullii atque Demosthenis observatum esse tradit †). Ut vero certo certius ex his colligi posse videatur, Hieronymo antiquiorem aetate Vaticanum Tullium esse, tamen ea rei evidentia non est, ut nisi alia fulcra sententiae accedant, pro comperta haberi queat: id quod etiam de ceteris scripturae indiciis, supra memoratis, valet, quae quidem indubia temporum discrimina, minime vero certarum aetatum, quibus quodque exemplum adsignari possit, notas produnt, ita ut quod in exordio huius disputationis posui demonstrasse satis mihi videar, ex solis palaeographiae, qualem nunc quidem cognitam habeamus, subsidiis saeculum codicis cuiusque antiqui certo dignosci non posse. Quis enim nobis praestet, antiquam scribendi rationem librarium aliqua de caussa imitatum non esse? id quod re vera factum esse constat. Quae omnia me melius diligentiusque ante persecutus est Niebuhrius, qui lubricam fallacemque totam de aetate antiquissimorum codicum doctrinam omnemque omnino operam in earum membranarum aetatibus constituendis vanam et temerariam esse iudicavit ††); quod si hic labor in solis palaeographicis rationibus expendendis consistit, pro verissimo habendum est.

Certiores autem temporum notas orthographia, ad quam progredior, suppeditat, immo certissimas, quod quum in describendis codicibus fieri non potuerit, quin vel antiquissimi temporis librarii mutando scripturam archetypi accommodandoque passim ad ipsorum saeculi consuetudinem certa suae aetatis signa

---

ex titulo pessime scripto ap. Orell. No. 4370. ĀTIQVITER olim notaveram Syllog. inscr. p. 448.

*) Maius Praef. XII. „Nullus est profecto palimpsestus, in quo scriptura non sit continua, indiscretis nempe vocabulis, nulla commatum distinctione, exceptis interdum valde evanidis paucisque punctis."

**) De re diplom. I, 11, §. 15, quem locum exscripsimus Syll. inscr. p. 75.

***) V. Montefalconii Palaeogr. Gr. p. 30.

†) Praef. ad Hesaïam: „Sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa, et non versibus conscripserunt: nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus."

††) Fragm. Cic. orat. p. 12 et 18 sq.

impresserint*), libri eo modo conscripti indubiam saeculi, quo quisque scriptus est, speciem prae se ferre soleant. Iam in iis, quae de suo Vaticanus librarius illiecisse putandus est, in primis huc pertinet consuetudo litteras *b* et *v* commutandi, tum *f* litteram pro *ph* scribendi; quae scribendi genera non semel bisve, sed tam frequenter in codice deprehenduntur, ut id fieri non potuerit: alia aetate, quam qua vulgari usu receptum fuerit. Egregie iam in rem nostram, nocidit, quod frequens istorum idiomatum usus iisdem fere temporibus increbuit. Atque illarum litterarum commutationem, a secundo demum saeculo Christiano coeptam, quarto vulgarem in usum receptam esse, nuper ostendi**), atque nunc meliora edoctus quam quum eiusdem rei l. l. mentionem facerem, in eadem aetate consuetudinem *f* pro *ph* scribendi quammaxime grassatam esse, item demonstratum, ut puto, dedi in Excursu VIII. Praeter duo ista, quae indicavi, indicia sunt etiam alia, quae etsi ad certam aetatis normam referre ego quidem non sustinuerim, cuius generis consuetudo *sc* in *s* mutandi est***), tamen probabiliter labentis vel potius lapsae Latinitatis temporibus adsignantur. Haec omnia quum recogito cumque iis contendo, quae ex Hieronymo de exemplaribus Tullianis ipsima aetate iamiam distinctis attuli, quae per se spectata parum auctoritatis habere videbantur, nunc vero haud exiguam fidem sibi vindicant, facile adducor ut si Vaticanum librum saeculo quarto conscriptum, summa, a veritate haud longe aberrasse me credam. Cum qua temporum computatione egregie convenit, quod Virgilii cod. Mediceus, in quo quondam interpunctionis usum notavimus, quinto vel sexto saeculo scriptus putatur †). Ceterum repetenda hic, bene Maii observatio, notis suis inserta ††), tertium librum (quo et sequentes) videri ex alio exemplari ab eodem amanuensi descriptum esse.

Restat alia haud levis momenti quaestio, eo minus hic omittenda, quo nbi tetigit, levius iustoque brevius eam Maius trans-

*) V. supra dicta. Sedulius Scotus in Maii Spicil. 9. p. 35: „Vitiosi scriptores saepe non solum ex vitiosis exemplaribus eadem vitia scriptitant, sed etiam, sua propria incuria, quaedam superflua addunt, quaedamque vitiosa pro rectis immutant. Nonnumquam etiam rectum ordinem vel verborum, vel sensuum, sive utrorumque, transmutando pervertunt. Et quod gravius, nonnulla quae valde necessaria sunt, frequenter omittunt. Quibus quatuor vitiis, id est adiectione, detractione, immutatione, transmutatione, cuncta erroris silva nascitur."

**) Epimetro ad Comm. de tabula patronatus Latina, Gissae 1839, ubi Vaticani codicis ratio quantum ad illum litterarum abusum habetur p. 20: cuius exempla omnia enumeravit Freundius ad Milon. p. 34. Titulorum exemplis a me congestis addam unum ai 155 inscriptum ap. Orell. Inscr. 4370, alium Arcadio et Honorio imp. incisum in eiusdem Anal. epigr. p. 52, ubi legitur VERVA.

***) V. ad I, 37. p. 119.

†) V. Epimetrum ad Comm. de tabula patronatus Latina p. 21.

††) Ad III, 3. p. 252 ed. huius. Cf. Excurs. IV. p. 436.

misit*), de codicis emendatore, sive, ut appellari solet, manu secunda, cuius de auctoritate in utramque partem a VV. DD. disputatum est. Etenim quum Heinrichius **) indicasset, non eo ex genere fuisse hunc emendatorem, qui librum scriptum conferrent cum exemplari, unde transcriptus esset, et admisse a librario menda tollerent, sed qui codicem ex ingenio emendassent, iudicio suo et naso, nunc recte, nunc prave usi, ut auctoritas eius non maior censeri posset, quam nostrum cuiusvis, verum et rectum metientis pede suo: contra exstitit Rudolphus de Raumer, qui perpaucis locis exceptis ubique meliorem lectionem sequi emendatorem censet, ita ut nusquam fere in dubitationem possit vocari, librarium errore vel oculorum vel aurium deductum alia scripsisse, quam quae in libro suo invenerit***); quae mihi quidem prudentius et verius iudicata videntur, nec tamen omni ex parte vera. Ut enim quod de libidine emendatoris, omnia suo ipsius ingenio committentis, contenditur eo repeobatur, quod innumeris locis, ipso Heinrichii iudicio, genuinam lectionem restituit, quod si ex coniectura fecisse putandus est, ingenio eius divinandique facultati nobisque sane gratulandum fuerit: ita contra permulti loci reperiuntur, quibus suum ipsius emendatorem iudicium consuluisse secutumque esse, manifestum est. Pertinent vero haec non tam ad emendanda Ciceronis verba, quam potius ad scripturam codicis scilicet vitiosam corrigendam. Quum enim suum esse putaret, ut exemplum quam nitidissime scriptum exhiberet, non in eo acquiescendum constituit, ut vel ex eodem exemplari, quod librarius descripserat, errores ab hoc commissos vel ex meliore alio contextum corrigeret, sed ut etiam scribendi rationem, ubi mendosa videbatur, reformaret. Itaque operam dedit, ut v. c. ubi prave *b* et *v* scripta deprehenderet, corrigeret†), et alia eius generis multa, quae ad restituendam Tullii manum sane pertinebant, simul vero etiam nonnulla tentaret, quae sana essent, aut in ipsa corruptela genuinae scripturae vestigia servarent, eorumque loco non quod Cicero scripsisset, sed quod sua ipsius aetate consuetudo tulisset, rescriberet: cuius mutationis exempla attentum lectorem latere non possunt. Ne multa, affero quod corrector *quom* in *qum* mutavit III, 18, collato Excurs. VI. p. 444; vel *oti* in *otii* I, 1, coll. Exc. VII. p. 446. 448.

Sed hactenus de libro Vaticano. Anteaquam vero nunc de Somnii Scip. codicibus, ut par est, explicatius dicam, verbo dicendum de rumore quodam nuper admodum sparso, ex quo spem

*) Praef. XIII. horrentem adnotat Maius errorum in codice admodum vitiose scripto commissorum segetem partim veterem emendatorem, partim semetipsum depastum esse.

**) Emend. in Cic. de rep. p. 162.

***) De Servii Tullii censu, p. 18.

†) V. Epimetrum Comm. de tabula patronatus p. 20. Adde I, 9. 10. 14.

concipere nonnemo poterat de alio quodam codice faventé fortuna inveniendo: quamquam post ea quae curiose Maius Praef. VII de aliis codicibus, ut fama non utique certa ferebat, in Anglia, Sarmatia, Germania *) scilicet olim servatis, frustra vero ad hunc ipsum diem perquisitis notavit, de recuperando alio horum librorum exemplari ulli desperandum esse sagaciori quisque apud se statuere debebat. Etenim in epistola Oporini ad Suffridum Petrum litterarum apud Erphordienses professorem, quae nuper publici iuris facta est ab Ottema in Symbolarum literar., quae prodeunt Amstelodami, T. V, inter alia haec leguntur: „quod superiori anno scriptis a te Dresseno litteris *librorum Ciceronis aliquot de Republica, Hortensii et de Consolatione* facta esset mentio, quos in bibliothecis vestris alicubi latere catalogus ad me litteris vestris scriptus polliceba tur. Verum valde metuo, ut frustra illam spem concepe rim **)." His non sine quadam animi commotione lectis, huius rei quid esset diligenter perquirere, quum ad me pertinere videbatur, feci id quod potui. Adii per litteras Fr. Kritzium, item litterarum antiquarum professorem Erfurtensem eruditissimum, quem favere mihi longo ex tempore sciebam: qui, quo fuit animo erga me promptissimo, nulla mora interposita rescripsit, quotquot Erfurti asservarentur codices manuscriptos nongentos amplius numero accurate quum aliquot abhinc annis perlustrasset et in catalogum unumquemque retulisset ***), nullum se horum Tullianorum librorum vestigium reperisse, neque ex catalogo codicum bibliothecae Amplonianae sub finem saec. XIV scripto hodieque servato probabile fieri, operis illius exemplum ullum Erfurti umquam exstitisse: ita ut quod professor ille Erfurtensis scripsisset, aut errori, aut iactationi inani tribuendum videretur.

Postremo ut nihil omittam, quod curiosorum diligentiam excitare dummodo nostrum aliqua fortasse certe ex parte resarcire posset, commemorare iuvat, quae de codice Latino Laur. Bandinius T. II. p. 367 adnotavit: „Pag. 201. Sententiae Procerum Romanorum, quos Tullius in libro de Republica introducit. Inc. *Crassus. Parentes verere; Deum timere* etc. Des. *Idem* (sc. *Socrates*). *Hactenus praeteriti temporis infamiam migrat.*" Videant igitur, si lubet, huius rei quid sit, Florentini: ego quidem ista quo modo ad libros Tullianos spectare possint fateor me non satis perspicere.

---

*) In codicibus monasterii Corbeiensis, teste vetere catalogo eiusdem bibliothecae, olim numerabantur „Dialogorum libri sex", de quibus Maius Spicil. Rom. T. V. p. XIII, ubi primum eius catalogi notitia exhibetur, refert: „Cuius? sacrine an profani? Ciceronis quidem de rep. libri sex fuere, hique ab antiquis appellantur interdum, ut sunt, dialogi." Haec notasse satis erit.

**) V. Zeitschr. f. d. Alterth. 1843. No. 119. p. 951.

***) Cf. Fiehert. Proleg. ad Senecam I. p. 2.

Transeo ad alteram huius capitis partem, qua de codicibus singularibus Somnii Macrobiique, qui haud exiguam partem Somnii Commentario suo inseruit, a me adhibitis dicendum est. In quibus quum nullus adhuc repertus sit, qui vel vetustatis nota vel praestantiae laude ceteris ita praecelluerit, ut pro duce, quem secure sequamur, certo haberi possit, factum ut ipsa eorum copia in restituendo contextu magis conturbemur quam iuvemur. Sunt alii quidem meliores, alii deteriores, nec tamen ea lectionis ratione inter se discrepant, ut certae familiae eorum dignosci queant. Cuius rei causa non potest non repeti a Somnii, quum ex integro opere Tulliano semel evulsum esset, quod mature et certe a Macrobii inde temporibus factum est, certatim repetiti crebriora scriptione et lectione, qua primitiva archetypi codicis scriptura paullatim obscurata et depravata fuit. Itaque in subsidiis, quae praesto mihi fuerunt, indicandis, consistendum mihi est in singulorum librorum tam scriptorum quam impressorum enarratione succincta.

Codices a me inspecti et collati.

Dr. 1. Cod. Bibl. Reg. Dresdensis in membrana nitidissime scriptus, n. 151 praeter *Somnium* alia quaedam Ciceronis scripta continens. Sub finem Codicis legitur: *Est Bernhardi Gatanii.* De aetate eius doleo nihil tum, quum a. 1817 Dresdae tam hunc quam alterum Dresdensem codicem conferrem, in schedas retulisse. Est idem qui *Dresd. b* appellatur Gernhardio, quem v. ad Laelium p. x.

Dr. 2. Cod. eiusdem Bibl. papyraceus, Gernhardio l. l. nota *Dresd. a* laudatus. Ad calcem Codicis leguntur: *M. T. Ciceronis de officiis. paradoxa. de senectute. de somno Scipionis. nec non de essentia mundi ac XII sapientum epithaphiis* [omnia haec in cod. reperiuntur]. *Libri finiuntur, qui peroptime emendati impressi sunt Venetiis ductu et expensis Iacobi Lunensis. de Sunizano in domo magistri Marci de comitibus. MCCCCLXXVII. Rescripti autem per me Bernhardum Lanack hoc tempore in Turgau degentem anno* 1482. *Laus deo.* Est igitur Codex editionis hodie rarissimae, et a nullo nostrae aetatis, quantum memini, editorum in auxilium adhibitae, Venetae, de qua v. Panzer Ann. typ. T. III. p. 133, repetitio a Bernhardo Lanack facta *). Plerumque conspirat cum alia ed. Veneta, quae circa a. 1500 vulgata putatur, de qua v. Moser p. XIV, ita ut haec ex illa fere expressa videatur.

Vind. 1. Cod. Bibl. Palat. Vindobonensis LVI, 8 membr. saec.

*) In nomine editoris *Sunizano* scribendo aut ipse, quod lubentius credam, aut scriba lapsus est, quum in ipso editionis exemplo, quo ista verba exstant, *Finizano* exhibeatur, viri docti nomen, cui etiam Epistolarum ad familiares editionem eodem anno emissam debemus.

XIV. fol. 135b — 136 b. Cf. Endlicheri Catal. p. 28. Praemittitur folio 135 a locus Lactantii ex Ciceronis libro de re publ. III, 22; his verbis praefixis: *Ista legis descriptio est Tullii in libro de re p. scilicet quod ego inveni in quodam antiquo codice fuliorum multorum.*

Vind. 2. Codex eiusdem Bibl. LIX, 3 membr. saec. XV. fol. 113—118. Inscribitur: *Incipit eiusdem* [Ciceronis] *liber de Somnio Scipionis ex sexto libro de re p. decerptus feliciter.* Subscriptio: *Marci Tullii Ciceronis de Somnio Scipionis liber explicit feliciter anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo die quinto decimo Septembris per me G. P. D. G.* Cf. Endlicher p. 30.

Vind. 3. Codex eiusdem Bibl. LXI, 1 membr. fol. 1—7. Cf. Endlicher p. 31. Praemittuntur haec: *Tullius fecit libros de re publica, in fine quorum hanc ponit visionem, in qua inducit Scipionem sic somniantem, quod dum audiret quodam tempore C. Laelium et quosdam alios, quod statua constituta non esset in theatro Nasicae Scipioni pro honore patriae interfecto, conquerentes ostendit per hoc somnium animis tales imagines non placere, cum immortalitatis praemia et caelestia loca illis evenire constaret.* Sumpta ista videntur ex Macrobio in Somn. Scip. I, 4, vel de rep. VI, 8. Somnium Scipionis in Codice sequitur Commentarius Macrobii saec. XIII scriptus fol. 9—64. Ibi fol. 63 b Somnii nonnulli loci exhibentur, quorum varietates notavi nomine *Macr. Vind. 3.*

Darm. Codex Darmstadiensis Bibl. Magni Ducis membr. saec. XII vel XIII nitidissime scriptus; praeter Somnium fol. 71 b Boethii Institutionem arithmeticam, Macrobii Commentarium in Somnium fol. 75 a. et alia quaedam continens. Inscribitur Somnium: *Somnium Scipionis M. Tulli Ciceronis excerptum ex libro sexto de re publica.* Scriptus est Codex ab homine linguae quam imperitissimo et maxime socorde, qui non solum multa inepta exhibuit, sed etiam multa omisit vel bis scripsit. Neque codicis, quem descripsit, manum perspexisse ubique videtur, unde factum ut pro genuina lectione saepe monstra exhibuerit, ita tamen comparata, ut quid in exemplari, quod ante oculos iste habuerit, legeretur facile intelligatur: quare in antiquioribus et bonae notae codicibus referendus est. Praeterea ignorantiae librarii succurrit alia manus minime recens, immo fere aequalis, quae vitia tum in Somnio tum in Macrobii priore dimidia fere parte correxit, vel, quod saepissime fit, in margine vel supra, adiecta nota *al.*, adnotavit aliam scripturam, quae plerumque genuinam contextum praestat. Ceterum codex olim Coloniensis 185. idem est, in quo, teste Hartzheimii Catalogo p. 157 extr. „Collatio inter libros Platonis et Ciceronis de republica“ exhiberi dicitur, qua nihil aliud quam Macrobii in Somnium commentarius significari videtur.

Os. Codex membr. saec. fere XIII, ut a rec. manu adnotatum, forma quarta scriptus, quem ipse possideo, emptus a me Francofurti ad M. a. 1845 in auctione publica bibliothecae liberi baronis de Lerchenfeld hastae subiectae. Praeter Somnium continet Macrobii commentarium, quem designavi MOs., cum Anonymi quodam libello pagellas 4 complectente, qui „Silvestro summo pontifici et philosopho“ [obiit a. 1003] cum dedicatione ampliore inscriptus, quae Macrobius „de magnitudine caeli terraeque, solis et lunae eorumque rotunda globositate“ in Commentario in Somnium exposuit, explicatius persequitur.

Codices ab aliis collati.

Goth. Gothanus in Bibl. ducali servatus, in membr. saec. fere XIII scriptus, cum Somnio simul Macrobii Commentarium complectens: de quo accurate Jacobs Beitr. zur älteren Litteratur d. herzogl. Bibl. zu Gotha I, 2. p. 245. Contulit meo rogatu Somnium mecumque communicavit Wuestemannus meus. Macrobium, Codice per eiusdem amici humanitatem posthac mihi commodato, ipse contuli.

Arn. Codex Arnstadiensis Bibl. Gymnasii, non ante saec. XV in charta lintea scriptus, uti recte iudicavit, qui eius lectionem variantem vulgavit meritissimus eius gymnasii director Car. Theod. Pabst, in Prolusione scholastica a. 1842. emissa, aliquot suis adnotationibus non spernendis ab ipso auctam. Constat is Codex quatuor tantum plagulis Somnii capita 9—22 exhibentibus, extremo ille exemplo Ciceronis de officiis, de senectute et paradoxorum typis exeuso adglutinatus. Desinit verbis *in templa penetravit, quandoque.* Habet hic codex peculiaria quaedam, in hoc solo reperta, sed plerumque ex correctione male sedula, ut c. 13 *perfruantur.* V. ad c. 14. Atque nullus omnino Somnii codex est, quem hoc magis interpolatum dixeris: proximus tamen Uff., vel etiam Cr. Praeterea multis scripturae vitiis apertis refertus est, notatis a Pabstio p. 5. 6.

Herb. Lectiones quaedam ex editione Somnii a Baccalario Martino Herbipolensi a. 1502 curata exceptae atque commemoratae a Pabstio in Prol. scholast. modo laudata.

Copiae Orellianae *).

T. Codex Macrobii Turicensis membr. saec. X vel XI mutilus: incipit a verbis *Nunc videamus* I, 14, desinit his *gloriam non requirat.*

A. Editio Macrobii simul Somnium ipsum continens Aldina a. 1528. His duobus subsidiis inprimis se usum esse, prae-

*) V. Opp. ed. Orell. T. IV, 1. p. 484.

sertim in verborum ordine constituendo, Orellius adnotavit l. l.

Ox. Codices Oxonienses septem.

R. Codex Rehdigeranus, de quo vide mox inter copias Kleinianas.

B. Editio Bazalerii 1499.

lu. Editio luntina a Nic. Angelio curata a. 1514.

V. Ed. Victoriana.

M. Ed. Magnoliana.

vM. Eiusdem editionis varietas in calce subiecta.

Ma. Ed. Manutiana 1555.

L. Ed. Lambiniana a. 1566.

P. Editio Suffridi Petri.

Vi. Editio Eliae Vineti, Burdigalae 1579, quam perbonam Orellius appellat recensionem.

cVi. Eiusdem ed. varietas.

3. Editio Graeviana a. 1688.

1. Ed. Lallemandi et Ernestii.

2. Ed. Schuetziana.

Copiae Kleinianae.

Has Appendicis loco libris Ciceronis de re publica ab Heinrichio editis peculiari libello comprehensas Franc. Nic. Klein. subiecit. Quum enim horum librorum variantes in titulo libelli *enotasse* Kleinius dicatur, is non potest non putari ipse libros istos evolvisse, etsi suspicer aliqua ex parte excerpendi laborem subiisse Heinrichium ipsum, cuius certe sunt animadversiones hic illic adspersae.

Vrat. Cod. Vratislaviensis Bibl. Rehdigeranae membr. satis antiquus. In fronte, quadrata, ni Kleinium memoria fallit, scriptura: *Somnium Scipionis. P. Affricani excerptum. ex libro VI. M. tullii Ciceronis de re publica.* In fine leguntur: *Explicit Somnium Scipionis. ex Cicaronis libro VI. excerptum. Incipit Macrobii. Ambrosii. Theodosii. in idem somnium commentor. liber prim.*

R. Cod. Vratislaviensis, item Rehdigeranus, chart. satis nitide, sed aevo recentiore scriptus. Appellavi R, quoniam non potest non idem esse cum Rehdigerano illo, quem eodem nomine Orellius passim iam adhibuit, quippe collatione usus ea, quam olim a Pinzgero factam insertamque Seebodii Archiv für Philol. und Paedag. 1824. p. 693—697 integram repetiit Moserus ed. suae p. 541. De quo codice adi Heindorf ad Cic. de N. D. p. VII. Quod praemittitur Somnio in Cod. prooemium, id exhibuimus sub calcem VI, 8. In Codicis lectionibus afferendis ego Kleinium potissimum secutus sum.

Conf. Cod. Macrobii Confluentinus Bibl. Gymnasii Confluentini chartac. saec. XV.

Rom. Editio Romana post principem altera, ab Ulrico Hahn Ingolstadiensi curata. Exemplum Vratislaviense, quo usus est,

Kleinius particulam esse arbitratur eius editionis, quae Romae prodierit ex Ulrici officina a. 1469. Alia de hac editione notanda legantur apud ipsum Kleinium, qui olim iam de ea disputarat Miscellan. crit. Hildes. Vol. Part. 2. p. 344 sq.

Dav. Editio Daventriensis a. 1489.

Codices Gernhardiani.

Intelligo eos, quorum lectiones a Fischero, Gymnasii Hildeburgensis Prof., descriptas et ad ed. Orellianam exactas publici iuris fecit Gernhardius Prol. schol. de Somnio Scipionis, Part. II. Vimariae 1835. Quorum optimus

S est, in Bibl. San-Gallensium No. 65 servatus, saec. XI exeunte Orellii de auctoritate a Gernhardio laudata scriptus, qui praeter Somnium ipsum Macrobii commentarium et epistolas canonicas complectitur. Macrobium Gernhardius significavit nota *Sm.* Ab Somnii contextu absunt omnia a verbis c. 11 (c. 1 Somnii) §. 11 *coacta per me* usque ad c. 16 (c. 3) §. 16 *et eae magni.* Haec maximam partem ex Macrobio suppleri potuerunt. Ceterum Codex, Gernhardio adnotante, cum Turicensi omnium antiquissimo optimoque quam maxime conspirat, tribus tantum locis ab hoc discedens.

Bern. „Bernae in Sinneri Catal. numero 436 insignitus, olim Bongarsii, membran. est formae octavae maioris, nitide aetate admodum recenti scriptus:" quod concludere mihi quidem videor ex reliqua eius codicis descriptione, quam Fischerus ep. Gesnard. p. 4 dedit, his conceptis: „Initia periodorum litteris maiusc. exarata, super *i*, in primis ubi duo sunt, punctum positum; ex interpunctionis signis punctum, semicolon, colon, interrogationis signum apparet. Continet Somnium Scip. plagulis III (una excisa est, ut desint verba cap. XIII (III) §. 13 inde a *iure sociati* usque ad cap. XVIII (V) §. 18 *et motu ipsorum orbium*), deinde Macrobii commentarium in Somnium plagulis 64." Hunc Fischerus non contulit.

Bb. Bambergensis M. IV. 15 fol. membr. continet Somnium et Macrobii comm. Cuius Codicis Fischerus eam tantum partem excussit, quae pertinet usque ad Somnii verba *infixi sunt* c. XVII (IV) 17.

Codices Macrobii Comment. in Somnium.

MGoth. V. inter codices Somnii Gothanum.

MDarm. V. inter codices Somnii Darmstadiensem. Obiter adiicio in Bibl. Darmstadina servari codicem membr. saec. fere XIV scriptum, quo praeter Glossas in Lucanum et Iuvenalem a fol. 26. a extr. exstat Commentarius in Macrobii comm. in Somnium satis prolixus, in tralatitia verborum rerumque expositione sese continens, vix digna quae diligentius excutiatur: nisi lemmata contextus Macrobiani, quibus interpreta-

tio adscripta est, explenare aliquando lubeat, quod facere volenti non invidebo. Ego contentus fui in notanda una alterave lectione.

Sm. V. inter Codices Gemblacenses.

MOs. V. inter Codices a me inspectos Osannianum.

III.

DE OPERE TULLIANO DE RE PUBLICA.

In animo mihi non est, quae de operis Tulliani ipsius ratione scitu digna sint, ea omnia per partes disquirere; consistam in explicandis aliquot capitibus, quae vel controversa, vel inprimis notabilia sunt.

Ac primum quidem de tempore, quo hi libri de re publica scripti sint, eo enucleatius dicendum, quod quae primum Maius ea de re magna cum probabilitatis specie statuisse plurimis visus est, postmodo non sine caussa iusta in dubium vocata sunt. Postquam enim nemine, quantum sciam, renitente Maius Praef. §. 1, quarundam Tullianarum epistolarum, de quibus mox dicetur, ratione potissimum habita, annum v. c. Varronianum 700 huius operis natalem constituit, quam temporis computationem in ed. altera immutatam repetiit, exorsus est Petrus Richarzius, tum in Universitate litt. Wirceburgensi eloquentiae professor, nunc apud Augustanos Vind. summis episcopatus insignibus ornatus, qui Prolusione acad. *) magna cum subtilitate acuminis elegantique eruditione novo examini totum hunc calculum submitteret, atque producto ipso Cicerone, teste de div. II, 1, cuius loci Maius, etsi in testimoniis operis attulerat, immemor fuit, penitus subverteret. Etenim in recensu librorum usque a se vulgatorum, quem in exordio libri II de divinatione exhibuit, Cicero planis verbis commemorat, libros illos tum se scripsisse, quum *gubernacula rei publicae teneret:* quae verba egregie demonstravit Richarzius non posse ad alia tempora Tulliana referri quam aut ad annum, quo consulatum gesserit, aut ad proximum post consulatum aut ad summum ad alterum, quandoquidem neque anno urbis septingentesimo, neque retro ullo usque ad a. 693 Cicero in ea conditione rerum suarum fuisset, qua rei publicae gubernacula tenere vel videretur sibi, vel sine amentia sibi aliisve posset videri. Cui sententiae quae obmovit opusculi Richarziani censor in Iahnii Jahrb. 1831. Vol. III. p. 92, Maii quippe rationem defensurus, nihili habenda sunt. Etenim ut concedamus Ciceronem tum quum proconsul in Ciliciam abiret, in re publica Romanorum auctoritatis nonnihil habuisse, quod tanti censor I. fuisse exfstimat, ut eo verba illa Tulliana

*) Commentatio philologico-critica de politicorum Ciceronis librorum tempore natali. Wirceburgi 1829.

referri possint: tamen etsi demum aliquid Ciceroni de semetipso loquenti arrogantiae, nullo pacto nisi amens ipse plane fuerit, tum gubernacula rei publicae se tenere, aequalibus persuadere potuerit. Manet igitur inconcussa Richarzii sententia. At contra producuntur certissima, ut aiunt, ipsius Ciceronis testimonia, quibus scriptos esse libros anno demum septingentesimo demonstretur, quae quo modo expediat, audiamus ipsum Richarzium explanantem p. 9: „Si Cicero, quod Div. II, 1 diserte prodit, libros de re publica *tunc scripsit, quum rei publicae gubernacula teneret*, gubernacula autem rei publicae neque anno u. 700, neque ullo superiorum, nisi anno sui consulatus aut post consulatum proximo et ad summum altero sibi ipsi visus est tenere: qui potuit idem anno u. 700 Atticum et Quintum fratrem *) certiores facere, nunc ipsum se scribendis libris de re publica occupari, immo hoc demum anno *instituisse* se scribere hos libros? — Nimirum, ut Ciceronem sibi constantem habeamus, in his libris

*) Ep. ad Att. IV, 14 scripta in villa Cumana mense Maio a. u. 700: *Velim domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses, quum ceteri, tum Varronis. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut spero, tibi valde probabo.* — Ep. ad Quint. fr. II, 14 in Cumano vel Pompeiano scripta mense Maio: *Ego me in Cumano, et Pompeiano, praeterquam, quod sine te, ceterum satis commode oblectabam. Et eram in iisdem locis usque ad kal. Iun. futurus. Scribebam illa, quae dixeram, πολιτικά: spissum sane opus et operosum. Sed si ex sententia successerit: bene erit opera posita. Sin minus: in illud ipsum mare deiiciemus, quod scribentes spectamus.* — Ep. ad Quint. fr. III, 5 scripta sub initium Nov. 700: *Quod quaeris, quid de illis libris egerim, quos, quum essem in Cumano, scribere instituiz non cessavi, neque esse; sed saepe iam scribendi totum consilium rationemque mutavi. Nam iam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quae fuerunt Tuditano et Aquilio consulibus sermo est a me institutus Africani, paulo ante mortem, et Laelii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis, et Laelii generorum Fannii et Scaevolae; (sermo autem in novem est dies, et libros distribuimus de optimo statu civitatis, et de optimo cive): sane taxebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri quum in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio; admonitus sum ab illo, multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de re publica, praesertim quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, et is, qui in maximis versatus in re publica rebus essem; quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse; oratorium sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem; Aristotelem denique quae de re publica et praestante viro scribat, ipsum loqui. Commovit me, et eo magis, quod maximus motus nostrae civitatis attingere non poterat, quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne, in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam. Nunc et id vitabo, et loquar ipse tecum, et tamen illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim, te existimaturum, a me libros illos non sine aliquo meo stomacho relictos.* — Confer locum notae sequenti insertum ex epist. ad Att. IV, 16.

... distinguenda est materies librorum et ipsa argumenti tractatio ab informanda effingendaque dialogi specie et natura. Quod libros hos tunc se scripsisse dicit, cum gubernacula rei publicae teneret, de primo totius operis molimine, rudique argumenti copiosissimi materie raptim aggerata dictum est, quam inde ab anno consulatus usque ad annum ab u. c. 700 ita sensim auxit, digessit, subegit, et ad normam animo praefixam construxit, ut huius anni initio, quae ad argumentum philosophice pertractandum pertinerent, essent consummata, et iam nihil praeter formam dialogicam effingendum relinqueretur. Quae vero de instituta hoc demum anno librorum politicorum scriptione Quinto fratri narrat, ea, quod ipse verborum Tullianorum contextus docet*), ad formam operis dialogicam et ad habitum eius cultumque exteriorem spectant omnia." Ut vel etiam absque certis illis testimoniis pro re indubia haberi possit, iam ante a. 700 Ciceronem in congerenda materie rudique vel praevia argumenti tractatione magnopere occupatum fuisse, id quod etiam Censor l. concedit, utque Cicero laborem illum revera ab anno consulatus vel duobus proximis in se susceperit, quod tamen evidenter demonstratum non est: tamen vereor, ne ea ratione, qua opus illis temporibus inchoatum, sensim sensimque tractatum, addita a. 709 demum externa eius forma ad umbilicum perductum Richarzi de sententia existimatur, dubitatio ea minime tollatur, quae, ut omnia in unum complectamur, in eo consistit, quod Tullius uno loco diserte affirmat, libros politicos anno consulatus vel proximis se scripsisse, altero se anno 700 scribere instituisse. Haec enim ita sibi contradicunt, ut unum alterumve excludi videatur. Quid igitur? Patiemur Ciceronem secum tantopere dissidere, ut falsa ipse prodidisse arguatur? Aut potius ita statuemus, ut quae falso tradita videantur, a certa quadam causa excusentur, qua ductus a veritatis norma digitum aberrare statuerit? Atque ita reapse esse arbitror. Scribendi initium a. 700 se fecisse quum dicit, significat, rem suam iam

*) Perpendatur in hunc finem accuratius locus notae superiori ex ep. ad Quintum fr. III, 5 insertus, de mutato dialogi consilio, et conferantur quae pridie kal. Octob. eiusdem anni ad Atticum IV, 16 scripserat: *Varro, de quo tu me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus. Sed nosti genus dialogorum meorum: ut in oratoriis, quos tu in caelum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui illis notus, aut auditus esset. Hunc ego de re publica, quam institui, disputationem in Africani personam, et Phili et Laelii et Manilii contuli. Adiunxi adulescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam et Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere. Utinam modo conata efficere possim. Rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum et gravem, et plurimi otii, quo maxime egeo.*

multo ante paratam se coepisse profligare atque ita elaborare, ut tandem in vulgus exire posset. Si vero id opus suum iam tum, quum rei publicae gubernacula tenebat, quantum ad materiam et argumentum magna ex parte conscriptum erat, poterat auctor sine magno veritatis detrimento, si modo aliquacunque de caussa ex re ipsi esse videretur, scriptos temporibus illis esse eos libros commemorare. Atque eo loco libri de div. alterius, quo quantum libris de optimarum artium institutione vulgandis civibus suis prodesse studuerit, exponit, et quo eos de argumentorum gravitate et amplitudine iisdem commendat, quidni dicamus Tullium hos de re publica libros praedicaturum, hunc annum eorum natalem indicare maluisse, quo quum in gerenda administrandaque re publica Romanorum ipse cummaxime versaretur, hanc ipsam ob caussam ad opus tale, quale est de re publica, condendum omnium maxime idoneus aequalibus videri debebat? Itaque dixit id quod si non omni, aliqua tamen ex parte verum esset; quodque eius operi laudi esse sentiret, quum, ipsius de sententia in procemio declarata, philosophiae magnus ille locus, uti ipse appellat, plane pertractari et absolvi non nisi ab eo homine posse videretur, qui et in re publica gerenda ipse versatus esset et quod ipsi contigisset, quodque in caussa fuisse ut hoc opus scribendum suscepisset, perspicue ostendit I, 8. Ac similiter iudicarat Sallustius, duos libros operis iam confectos quum audiisset Ciceronem in Tusculano legentem, teste eodem Ep. ad Quint. fr. III, 5: „admonitus sum ab illo [Sallustio], multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de re publica, praesertim quum essem non Heraclides Ponticus, *sed consularis, et is, qui in maximis versatus in re publica rebus essem.*“

Restat ut de eo tempore dicatur, quo libros suos tandem absolutos Cicero in vulgus emiserit. Quod ob miram celeritatem atque adsiduitatem, qua Cicero in scribendis libris uti solitus esset, quum Maius l. l. eodem illo anno 700 factum existimaret, idem rursus Richarzius oblocutus est non spernenda, neque hic praetereunda: „Posteaquam enim verna ad Cumas rusticatione instituerat opus, quod, etsi summa laboris apte inveniendo riteque texendo dialogo continueretur, ipse vocat spissum et operosum (ep. ad Quint. fr. II, 14) pridie kal. Octob. longissime adhuc abest a consummatione operis, quin etiam in dubio versatur, non, quando libros de re publica absoluturus sit, sed, quod multo maius est, *an*, quia rem magnam et gravem et *plurimi otii* complexus sit, possit *conata efficere* (ep. ad Att. IV, 16). Sub initium autem Novembris iam aliquoties totum se consilium rationemque mutasse narrat, et nunc demum, rescissis *duobus* libris, quos fecisset, totum opus novo consilio de integro se esse instauraturum (ep. ad Att. III, 5). Iam qui fieri potuit, ut Tullius, qui extremis anni mensibus et alias auctiora tractaret ne-

gotia, et hoc anno, quod ipse queritur, esset occupatissimus *), repente duobus mensibus, Novembri et Decembri, sex libros absolveret, quorum duobus ad aliam rationem exarandis fere sex menses absumsisset? Qui potuit rem, quam *magnam* et *gravem* et *plurimi otii* et suis *fortasse viribus superiorem* nuper esset professus, iam plurimis implicitus negotiis tum valuati calamo ad umbilicum deducere, ut vix perscribendis voluminibus tempus sufficturum fuisse videatur. Quae quum per se sola fateri cogunt, Ciceronem ultra annum urbis septingentesimum in pertexendis libris de re publ. haesisse; tum alia accedit ratio non minus luculenta, quam, ut superiorum fere omnia, ex illorum temporum epistolis hausi. Non solum enim viginti septem epistolae Tullianae, quas ab anni septingentesimi primi initio usque ad mensem Maium anni septingentesimi tertii exactas habemus, de libris politicis penitus silent (quod nilentium per se quam leve sit, scio); sed quae inde a mense Majo anni septingentesimi tertii et a Ciceronis in Asiam navigatione repente crebra legitur librorum istorum mentio **), eiusmodi est, ut eos non alio tempore, nisi brevi ante navigationem illam editos esse doceat. Ac primum quidem eiusmodi mentionem iniicit Marcus Caelius in ep. ad Ciceronem Romae VIII circiter kal. Iun. anni 703 scripta. Qui, ut in aliis rebus perscribendis erga amicum proconsulem officiosior, statim, quam sortem eius libri de re publica tuleriat, narrat his verbis: *Tui politici libri omnibus vigent* ***). Quae quid referebat dicere, si libris pridem editis, Cicero ipse cognovisset praesens, quantum vigerent? — Eodem fere tempore quod e Ciceronis responso mense Quintili dato colligas †), Atticus, Ciceroni scripserat, se eius de re publ. libros cum Thallumeto liberto suo *pervolutare;* nihil supra. Nullum adhuc Attici de his libris iudicium vides, nullum nec laudis nec vituperationis vestigium; quod certe non omnino abesset, nisi nuperrime demum Atticus hos libros accepisset. Et, quod maius huic rationi pondus addit, non prius, quam ante diem quintum decimum kal. Martias anni 704 ††) Ciceronem Atticus certiorem facit, libros de

*) Ep. ad Quint. fr. III, 3 scripta circa idus Octobres: *Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. Ita quicquid conficio aut cogito, in ambulationis fere tempus confero.*

**) Septies in epistolis a mense Maio anni 703 usque ad idus Decembres a. 704 datis haec absolutorum librorum mentio, quae prius nulla fuerat, postea vero rarissima est, occurrit: 1) Ep. ad div. VIII, 1. — 2) Ep. ad Att. V, 12. — 3) ad Att. VI, 1. — 4) ad Att. VI, 2. — 5) ad Att. VI, 3. — 6) ad Att. VI, 6. — 7) ad Att. VII, 3.

***) Ep. ad div. VIII, 1.

†) Ep. ad Att. V, 12: *Tuas . . . omni de rei publicae statu litteras exspecto, πολιτικώτερον quidem scriptas (quoniam meos cum Thallumeto pervolutas libros).*

††) Literas Attici, ad quas Tullius ep. ad Att. VI, 1 respondet, datas

re publica sibi valde probari, unamque duntaxat rem historicam iis inesse, de qua sibi quaerendum videatur: quod e Ciceronis responso *) colligere pronum est. Mox tamen binas alias de erratis, quae sibi in libris de re publ. (lib. II, c. 4) deprehendisse videbatur, quaestiones movet Atticus, ad quas Tullius respondet ep. ad Att. (VI, 2) scripta mense Aprili, loco supra inserto. Et cum hac ipsa epistola meminisset laudis ab Attico libris suis tributae **), rursus eandem mentionem repetit epistola (ad Att. VI, 3) mense Iunio scripta ***). Iam, cum neminem fugere possit, quanta fuerit Atticum inter et Ciceronem familiaritas, quantum in illo scriptorum philosophicorum studium, quanta legendorum amici scriptorum cupiditas; quantus in hoc laudis amor, quanta iudicii, quod Atticus laturus esset, exspectatio: qui potuit aut Cicero absolutos de re publica libros non illico familiarissimo sibi viro transmittere, aut Atticus transmissos facta legendi copia diutius negligere? Immo Tullius ipse nobis auctor est †), Atticum *hos libros devorasse*. Quare, quum dubitandum non sit, quin Atticus, quam posset primum, hos libros accurate cum Thallumeto pervolutaverit, Tullius autem absolutos Attico sine mora transmiserit: id ipsum ex praemissis mihi constare videtur, quod iam e Caelii literis supra citatis conioceram, libros de re publica ante absolutos esse et editos, quam Cicero pro consule in Ciliciam proficisceretur." Hactenus Richarzius, cuius verbis, neque quod addam, neque quod mutatum velim habeo. Etenim quod vir acutissimus demonstratum ivit, hos libros anno 700 ad umbilicum deductos non fuisse, circa vero a. 703 editos esse, illud reprobari nullo pacto potest, neque reprobavit Censor eius, hoc vero quam maxime probabile est.

Cum hac quaestione quam artissime iuncta est alia de persona eius, cuius nomini hi libri inscripti fuerint, paucis profliganda. Postquam enim Maius hunc locum olim Praef. IIII ita tractaverat, ut in medio relinqueret, Atticone an Quinto fratri (nam Varronem, de quo cogitarat, prorsus alienum esse ipse tandem vidit) ii dedicati fuissent, quae disputandi ratio in ed. alt. immutata repetita est, idem tamen nunc ad I, 6 Quinto fr.

---

fuisse ante d. quintum Terminalia (qui erat quintus decimus kal. Martias) istius initium prodit.

*) Ep. ad Atticum (VI, 1) Laodiceae III non. Mart. a. u. 704 scripta haec habet: *Itaque irascatur, qui volet; patiar. Τὸ γαρ εὖ μετ' ἐμοῦ. Praesertim quum sex libris tanquam praedibus me ipsum obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo; e quibus unum ἱστορικὸν requiris de Gn. Flavio Gn. F.; ille vero ante decemviros non fuit c. r.* —

**) *Et ego audebo legere unquam aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, si tale quid fecero?* —

***) *Reliqua plene adhuc laudis et gratiae, digna iis libris, quos tu dilaudas. Conservatae civitates, cumulate publicanis satisfactum, offensus contumelia nemo*

†) Ep. ad Att. VII, 3.

opus inscriptum videri significavit, quippe adductus voce *nobis* eo loco obvia, qua Ciceronem simul Quintum inclusisse censet. Hoc vero quum argutius quam verius ex *nobis* sumptum est, tum cum ipsa scriptoris mente pugnare videtur: nam secum si simul fratrem intellectum volebat, non debebat pergere in loquendo de semet solo. Iam in hac dubitatione, utrius nomini libros illos inscriptos fuisse dicamus, mirer Maium loci Ep. ad Quint. *fr. III*, 5 ab ipso allati vim non perspexisse, quo recte intellecto dubitanti omnis scrupulus eximitur. Quum enim Cicero verens, se quum in opere suo pertexendo in ipsius tempora incurreret, aequalium quempiam offenderet, apud se constituisset, dicenda omnia eorum vel Africani vel aliorum aetate parium committere, a Sallustio admonitus, multo maiore cum auctoritate de statu civitatis exponi, si ipse loquerentur de re publica, consilium eatenus mutavit, ut nunc in prooemiis librorum singulorum semet ipsum loquentem exhiberet atque omnia, quae in medium proferret, tamquam ex ore Rutilii colloquentibus Africano cum Laelio ceterisque amicis praesentis accepta fingeret. His positis, dubium non erit quo sensu Tulliana haec accipienda sint: *Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam. Nunc et id vitabo, et loquar ipse tecum, et tamen illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim, te existimaturum, a me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos.* In quibus illud *loquar ipse tecum* de sermone coram cum fratre habendo ideo accipi posse iam Maius negavit, quod hic tum cum Caesare in Britannia erat. Praeterea ea quae Tullius instituerat quaeque fratri Roma missurum se scribit, puta eos duos libros iam confectos, nunc vero, consilio mutato, retractandos reformandosque. Igitur in testimoniis Tullianis, quaecunque in hanc rem producta sunt, in his si quidem consistendum est, quum nullum reperiatur, quod tam diserte quam locus laudatus Quinti nomini libros de rep. vindicet, vix poterit aliter statui quam ut, quod modo statuimus, Quinto fratri Marcum hos libros dedicasse putemus. Quod minime infringitur loco quodam Bruti 5, 19, quo ad libros hos Attici nomini vindicandos abusus est Censor Lips. l. p. 40, ubi Pomponius Atticus: *Nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus: eisque nosmet ipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus.* Tote enim hoc loco nihil aliud agitur, quam ut amicos faciat Tullius ipsum, quippe qui diu litteris nihil mandarit, exhortantem, ut tandem rursus ad scribendum se applicet: quo sensu accipienda sunt verba, *nihil a te sane postea* (h. e. post libros de re publ. scriptos et vulgatos) *accepimus*, non eo, quo detorsit Censor, nihil ex illo tempore Atticum a Cicerone nomini ipsius inscriptum accepisse. Sed sententiae nostrae unum obstat, et gravissimum, si fide dignum est, quod in codice Sarmatico, cuius fama ad nos pervenit, ii

libri *ad Atticum* inscripti feruntur. Cuius codicis, aureis, ut dicitur, litteris scripti notitiam quum Maius Praef. VII ex Bullartii Vita Zamoscii, aliorumque, qui Bullartium exscripserunt, vel aliquot figmentis ornarunt auxeruntque, in testimoniis iam attulisset, eorum, quae Bullartius non sine fraudis suspicione tradidisse visus erat, fonte tandem reperto in Laurentii Mülleri, viri summa fide dignissimi, Itinerario, primum a. 1585 vulgato, talem codicem talique inscriptione instructum olim in Sarmatia servatum esse, amplius nunc in dubium vocari nequit. V. quae hac de re ex Ephem. litt. Lips. 1824. No. 5. p. 38 et Gottingens. 1824 No. 44 retulit Moserus p. xl. cumulateque posthac perlustravit Münnichius De Ciceronis libris de re publica p. 76. sq. quae omnia in usum suum convertere Maius in ed. alt. neglexit. Iam illa de inscriptione operis quid statuam, fateor mihi non liquere: imprudentis esset, homini probissimo, qualem Müllerum fuisse ipse eius libellus luculenter testatur, fidem derogare, nec tamen alium sensum ex Tullii verbis supra examinatis quam quem exhibui extricari posse puto, ita ut res, prout nunc est, caute si agendum est, in medio omnino relinquenda videatur.

De consilio, quod in conscribendis his de re publica libris Cicero maxime secutus sit, postquam ea de re Maius Praef. II. disseruit, non opus verba facere multa. Praestat verbum addere de scriptoribus Graecis politicis, quorum placitis ad sustentandam suam de optimo civitatis genere, quod ipse maxime probarit, scilicet mixtum illud ex regno, aristocratia et democratia, sententiam in primis usus sit. Ut nihil dicam de Platone, cuius integrum locum longiorem Latine redditum operi suo inseruit, nihil de Aristotele, quorum scripta quavis fere pagina adhibuit, iuvat ante omnia advertere, Polybium si quidem saepius in auxilium vocavit, id non tam ideo factum esse, quod primarias in his dialogis partes Scipioni intima Polybii familiariteat uso tribuisset, quae Maii sententia fuit, quam quod prae ceteris politicae doctoribus illum in ea doctrina, quam ipse probaret, antecessisse ipsi animadvertisset. V. Polyb. III, 6. Ne multa — nam nolo repetere quae olim ea de re disserui Beitr. zur Litt. T. II. p. 17 sq. — hortulos suos Tullius maxime irrigavit aut ex Polybio aut, si coniectura me mea de Polybii illo loco non fefellit, ex Dicaearcho, quippe cuius doctrinam ille suam fecerit, nisi malis ex utroque auctore, quod valde probabile est. In politicis enim rebus Tullium genus illud Dicaearchicum, quo nomine mixtum illud appellabatur, expressisse satis demonstrasse mihi videor l. l.*) Ac Tullium concinnando

*) Idem genus Tacito probatum Ann. IV, 33: *Nam cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his et consociata reipublicae forma laudari facilius, quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest*, ubi v. intpp.

operi suo Dicaearchi scripta adhibuisse, ostendit Richarzius l. l. p. 11 sq.

Veterum scriptorum eorum, qui de Tullianis de rep. libris scripserint aut commenti aliquid sint, nihil ut dicam de operis politici fragmentis Vaticanis, a Maio, postquam in Praef. notitiam dederat, nunc nomine Petri Protectoris Coll. Vat. T. II vulgatis, cui operi comparatio Platonicae et Tullianae civitatis inserta fuit*), omnium maxime insignis Didymus grammaticus est, quem sex illis libris sex alios opposuisse constat, quibus rursus obloeutus est Suetonius libro singulari *περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας*, teste Suida. Hac de re quae Maius Praef. V monuit, iis quid addam non habeo nisi quod acute nuper Bergkius Zeitschr. f. d. A. 1845. p. 126 adnotavit, C. Aemilium Asprum, grammaticum, Neronis aetate clarum, quum Didymum magnopere perstrinxisse (*διασύρειν*) a Suida dicatur, id fecisse probabiliter videri adversus ea, quae Graeculus homo contra Tullianos libros iniquius fortasse**) scripsisset. Sed omnia ista mera coniectura nituntur, tum illud ipsum grammatici, nomen quod Bergkius Suidae restituendum censet, tum si indubia esset nominis mutatio, quae ex Suidae loco concluduntur. Nam in alio genere grammatico, quam quod ad interpretationem poetarum cummaxime, et in his Vergilii ***), spectat, Asprum versatum esse, a nullo, quantum sciam, memoriae proditum est.

IV.

CONSPECTUS LITTERARIUS CICERONIS LIBRORUM DE RE PUBLICA†).

1. M. Tullii Ciceronis de re publica quae supersunt edente Ang. Maio Vatic. bibl. praefecto. Romae. In collegio urbano apud Burliaeum 1822. 4.
2. — ed. Ang. Maio. Romae 1822. 4. mai. (sine notis.)
3. — ed. Ang. Maio. Stuttgartiae et Tubingae in libr. Cottae 1822. 8.
4. — ed. Ang. Maio. Romae 1823. 8. mai.
5. M. Tullii Ciceronis operum deperditorum fragmenta. Recogn.

*) Cf. Beitr. zur Litt. T. II. p. 15. Vanas fuisse de istius operis argumento et conditione coniecturas et Villemaenii Discours préliminaire p. XXVI sq. et Münnichii De Cic. libris de rep. p. 102 sq., fragmenta edita docent.

**) Secus statuit Gräfenhanius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1843. p. 1146, sine idonea ulla caussa.

***) Passim mentio eius fit in Scholiis Veron. a Maio editis et in Cynthii Cenetensis commentariis in Aeneidem, uti olim monuimus Ephem. litt. Hal. 1841. Suppl. 70. p. 553. Adde in Probi scholiis ad Vergilium Asprum laudari, v. Beitr. II. p. 273. Praeterea conf. Zeitschr. l. 1845. p. 118. 119.

†) Cf. Moser p. XII. Kobb. Convers. Germ. p. XXV. Orell. Onomast. Tull. T. I. p. 364 sq. et 420.

Christ. Godofr. Schütz. Pars secunda continens fragmenta librorum de re publica e cod. Vaticano ab Ang. Maio edita, cum nonnullis orationum partibus et in eas commentariis nunc primum ab eodem editis Lipsiae ap. Gerh. Fleischerum 1823. 8. (Operum ed. Tomi XVI Pars III.)

6. M. Tullii Ciceronis de re publica quae in codice Vaticano supersunt. Cum Ang. Maii praefatione integra, scholiis et adnotationibus selectis, et specimine palimpsesti Vaticani. Rec. et complurib us in locis emendavit Ferdin. Steinackerus. Acc. epistola Godofr. Hermanni. Lipsiae sumpt. Hartknochii 1823. 8.

7. M. Tullii Ciceronis de re publica librorum sex quae supersunt. Ex emendatione Caroli Frid. Heinrichii. Editio compendiaria in usum praelect. acad. et gymnas. Bonnae ap. Marcus 1823. 8.

8. M. Tullii Ciceronis de re publica quae supersunt. Ad ed. Romanam praelectionum in usum accurate expressa. Heidelbergae et Lipsiae sumpt. Car. Groos. 1823. 12.

9. — ed. Ang. Maio. Londini, impensis I. Mawmann 1823. 8.

10. ed. Ang. Maio. Parisiis, ap. Renouard 1823. 8.

11. La république de Cicéron, d'après le texte inédit, recemment découvert et commenté par M. Mai. Avec une traduction française, un discours préliminaire et des dissertations historiques, par M. Villemain. Paris, L.-G. Michaud 1823. 8. Tomus I et II.

12. Ciceronis de re publica quae supersunt. Varietatem lectionis ex ed. prima sumptam subiecit, notulas Maii aliorumque selectas nec non suas cum indice nominum propriorum addidit I. F. C. Lehner. Solisbaci ap. Seidel 1824. 8.

13. M. Tullii Ciceronis de re publica libri, in his Somnium Scipionis. Lipsiae, ap. Tauchnitz 1824. 16.

14. — ad edit. Ital. cum integris Ang. Maii notis etc. cum 3 tab. aeneis. Halae in libr. Orphanotrophei 1824. 8.

15. M. Tullii Ciceronis de re publica libri ab Ang. Maio nuper reperti et editi cum eiusdem praefatione et commentariis. Textum denuo recognovit, fragmenta pridem cognita et Somnium Scipionis ad Codd. MSS. et edd. vett. fidem correxit, versionem Somnii Graecam emendatius edidit et indices auxit Georg. Henr. Moser. Acc. Frid. Creuzeri annotatio. Cum spec. Cod. Vat. palimpsesti lithographo. Francofurti ad M. e typogr. Broenneriano 1826. 8. mai.

16. — de re publica quae supersunt. Acc. variarum lectionum delectus cum singulorum librorum argumentis. Curavit Carol. Zell. Stuttgartiae 1827. 8.

17. — de re publica libri. Ex rec. Ioann. Aug. Ernestii studiose recognita Car. Frid. Aug. Nobbe. Lipsiae, ap. Tauchnitz 1827. 12. Ed. stereotyp.

18. — ed. Orellius. Turici 1828. 8. mai. (Operum Ciceronis Tomi IV P. I.)
19. — de re publica librorum reliqua. Ex emendatione Caroli Frid. Heinrichii. Editio maior, commentarium criticum in lib. I tenens. Acc. Franc. Nic. Kleinii in Somnium Scipionis appendicula. Bonnae, impensis A. Marci 1828. 8. *)
20. — ed. Ang. Maius. Romae 1828. 8 mai. (Auctorum class. Tom. I).

---

21. Aus Cicero's vor Kurzem wiederaufgefundenem Werke über den Staat. Bruchstück der Einleitung, verdeutscht mit eingefügten Ergänzungen von K. Beier (in Seebodii Archiv 1824. p. 505).
22. Die Republik des Cicero nach einem ungedruckten Texte, welcher neuerlich entdeckt und erläutert wurde von Hrn. Mai. Mit einer histor. Abhandlung von Hrn. Villemain. Ins Deutsche übertragen von J. M. Pierre, 2 Theile. Fulda, Roos 1824 und 1825.
23. Der Staat von M. Tullius Cicero, übers. und mit Anmerk. versehen von Fried. von Kobbe. Göttingen, b. Vandenkoeck und Ruprecht, 1824. 8.
24. I frammenti dei sei libri della repubblica di Marco Tullio Cicerone volgarizzati dal principe Pietro Odescalchi. Roma, Salviuzzi 1826. 8. (Insunt coniecturae Odescalchii, Biondii, Bettii. Non ipse inspexi.)
25. *Idem liber* Bologna, Cardinali e Frulli 1826. 12.
26. I frammenti della repubblica di Cicerone volgarizzati da Teresa Carniani-Malvezzi. Bologna 1826. 8.
27. Cicero vom Staat, übers. von G. H. Moser, 2 Bdchen. Stuttgart, Metzler 1828. 12.
28. *Repetitio* 24. Milano, Silvestri 1830. 12.
29. M. Tullii Ciceronis de re publica liber I, quem Suethice vertit Ebbe Sam. Bring, historiar. professor. Lundiae 1838. 8.

---

30. Iacobi Leopardi comitis Emendationes in Cic. de rep. (Effemeridi lett. di Roma 1822. Tom. IX. p. 333. Cf. Welckeri Mus. Rhen T. III. p. 2. Iahnii Iahrb. 1840. Suppl. Vol. VI. p. 280. Non licuit mihi ipsum libellum inspicere.)
31. Karl Salomon Zachariae Staatswissenschaftliche Betrachtungen über Cicero's wiedergefundenes Werk vom Staate. Heidelberg, Oswald 1823. 8.
32. B. G. Niebuhr Ueber die Nachricht von den Comitien der Centurien im zweiten Buch Cicero's de re publica. Bonn 1823. 8.

---

*) Commentarios in totum opus paene absolutos editorem reliquisse, eiusque emendationes in lib. II se editurum narrat filius in Verhandl. d. IV. Versamml. Deutsch Philologen 1842. p. 91 et 92.

33. Replik für Herrn Staatsrath Niebuhr, die Ciceronischen Fragmente de rep. anlangend von Wilh. Ferd. Steinacker. Leipzig 1823. 8.
34. Duplik gegen Herrn Steinacker von B. G. Niebuhr. Bonn, December 1823. 8.
35. Gerardi Dedel Responsio ad quaestionem ab Acad. Groningana propositam: „Exponatur Ciceronis doctrina de iure, civitate et imperio. Ratio inprimis habeatur eorum, quae exstant in libris de rep. nuper inventis", in Annal. Acad. Groning. 1823—1824. Groningae 1825.
36. Fr. Caroli Wolff Observationes crit. in M. Tullii Ciceronis librorum de re publica fragmenta. Flenoburgi 1824. 4. (Ipso hoc libello uti non licuit. Quae ex eo promo, debentur Beiero censori ed. Lehnerianae in Paedagog. philol. Litteraturblatt 1826. Sect. II. No. 22. p. 186 alterique eius libelli censori in Seebodii Krit Bibl. 1825. No. 4. p. 444 sq.)
37. Thorlacius De placitis Ciceronis in libris de rep. obviis, Hafniae 1824. Cf. Ephem. litt. Lips. 1824. No. 145. Ipse non vidi.
38. M. Tullii Ciceronis libri de re publica. Notitia codicis Sarmatici facta, illustrati quantumque fieri potuit restituti a Guil. Münnich, prof. Cracov. Goettingae 1825. 8.
39. Nicolai Bigom Krarup Observationum crit. in libros Ciceronis de re publica specimen I et II. Hafniae 1826. 8.
40. Iani van Persyn Disp. de politica Ciceronis in libris eius de rep. Amstelodami 1827. 8.
41. Petri Richarz Commentatio philologico-critica de politicorum Ciceronis librorum tempore natali. Wirzeburgi 1829. 4.
42. Io. Nic. Madvig De loco Ciceronis in libro IV de republica. Hauniae 1830. 4.
43. Guil. Ferd. Steinacker Animadversionum et emendationum in M. Tullii Ciceronis de rep. libros Supplem. I. Lipsiae 1840. 4 mai.
44. Du palimpseste de la republique de Cicéron*).
45. Aug. Gotth. Gernhard Prol. de Ciceronis Somnio Scipionis, Vimariae 1834. Prol. altera, 1835. 4.
46. Variae lectiones ad Somnium Scipionis, e codice Arnstadiensi nunc primum vulgatae a Carolo Theod. Pabst. Arnstadii 1842. 4. Scrib. Gissae m. Iulio exeunte MDCCCXLVII**).

*) Valde dolui nullo modo apparare mihi potuisse hanc scriptionem, quae inserta dicitur operi Patavii 1844 vulgato inscriptoque Memoires en confutation des ouvrages III par Ang. Mai. Cuius libri non aliunde ad me pervenit notitia quam ex rumore publico.

**) Haec ipsa subscribenti mihi rumor de tertia aliqua Maii librorum de rep. editione aut vulganda aut iam vulgata per amicos affertur. Cuius rei quid sit comperire non potui: neque opus meum a. 1845 typis iam describi coeptum nunc licuit retinere.

M. TULLII CICERONIS

DE

R E P U B L I C A

QUAE SUPERSUNT.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

LIBER I.

ARGUMENTUM.

Cicero, Platonis et Aristotelis exemplo, de re publica instituit scribere, ut, si qua posset labantem iam Romanorum rempublicam consilio sustentare, nihil omisisse videretur. Ut vero sine ulla invidia disputaret, disputationem non a se, aut suo tempore, sed ab Africano minore Tuditano Aquillio Coss. (625. U.) habitam fingit. Ad hunc paullo ante, quam exstingueretur, feriis Latinis convenerant aliquot familiares, Q. Aelius Tubero, Paulli nepos ex Aemilia, sorore Africani, L. Furius Philus, P. Rutilius Rufus, Sp. Mummius, Achaici frater, C. Fannius, Laelii gener, Q. Mucius Scaevola, C. Laelius Sapiens et M' Manilius. Quorum ceteri quum de rebus caelestibus sermocinentur, Laelius magis ad se pertinere ostendit sermonem de re publica: quem ut instituat Africanus suamque ea de re sententiam exponat, ceteris assentientibus, ille impetrat. Hic igitur c. 24. tandem exordiens, primo definit notionem reipublicae, quam dicit esse rem populi, populum autem coetum multitudinis consensu iuris et utilitatis communione sociatum. c. 25. Deinde omnem rempublicam, sive a Rege, sive ab optimatibus, sive ab ipso populo administretur, consilio regendam esse censet. Tum interrogatus a Laelio, quam de tribus istis administrandae illius formis optimam iudicet, nullam earum sibi satisfacere respondet, sed quartam quamdam temperatam et compositam ex omnibus. c. 29. Instante autem Laelio, ut, quam de tribus illis administrationis rationibus maxime probet, aperte profiteatur, regiam reliquis duabus praefert, quum ceterorum plerorumque, tum ipsius populi Romani atque rei et domesticae et bellicae usu unice commendatam: quamquam consilium in optimatium, in populi

imperio libertatem collaudat. Denique redit ad eam, quam iam supra professus est, sententiam, genus reipublicae regendae optimum illud sibi videri, quod mixtum sit e tribus illis generibus. Quod quoniam Romanae reipublicae exemplo illustrare propositum habet, antea, quantum haec ceteris praestet, sibi ostendendum esse dicit. Hunc autem Africani eiusque familiarium sermonem Cicero sibi et amico cuidam, cui opus inscripsit, fortasse Attico, Smyrnae Lepido Catulo Coss. s. a. 676. p. U. c. a Rutilio illo traditum esse narrat. NOBBIUS.

(Desiderantur paginae XXXIV.)

Codicis p. 63. **I. 1. ***impetu liberavissent; nec C. Duelius, Aulus Atilius, L. Metellus terrore Karthaginis; non duo Sci-**

*im*petu] Priore periodi parte videtur Cicero appellavisse romanos alios qui superioribus bellis inclaruissent; et quidem haud scio an sic: *nec Italiam M. Camillus Gallorum, nec M. Curius, C. Fabricius, Ti. Coruncanius Pyrrhi impetu liberavissent.* Immo paulo fortasse altius romanos heroas recensuit: cuius rei indicem habemus ipsum auctorem de sen. cap. XX, et tusc. I, 37: *si mors timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset: non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent: non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paulum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum.* Mox ibidem Cicero commemorat quoque Camillum. (Lege etiam tuscul. 1, 46. Cr.) Rursus paradoxo I. facem praefert Cicero ad huius lacunae latebras pervidendas, enumerata romanorum illustrium serie a Bruto usque ad Africanum utrumque et ad Catonem: *Brutum siqui roget, quid egerit in patria liberanda?* etc. Eosdem heroas verbis fortasse tullianis celebrat Augustinus de civit. D. V, 10. Adi et Horatium od. I, 12. De hac denique lacuna videsis quae infra dicemus in scholiis lib. III, 5. MAIVS ed. alt.

C.] V. Excursum I.

Duelius] V. Excursum II.

Aulus] Sic mox *Quintus* praenomen ὁλογραμμάτως, ut aiunt. De quo usu, quem exemplis nonnullis illustravit Iuvenatius ad Livii lib. XCI fragmentum p. XXXIII ed. Ernest., Maius: „Praenomina haec in codice scribuntur partim siglis, partim explicata.“ Tertio demum saeculo ante Chr. n. Cn. Flavio aedile Romae coeptum esse praenomina per compendia scribere, demonstratum ivit Grotefendius Gesch. u. Geogr. Altitaliens V. p. 34.

Atilius] Unus Nobbius *Attilius*, scilicet Tullium emendaturus. Genuinam scripturam firmant nummi et inscriptiones: harum enim quae *Attilius* exhibent, multo recentioris aetatis sunt, aut ipsa lectio suspecta est, ut ap. Grut. p. 299, 1. Adde prosodiam nominis, cuius prima corripitur syllaba, secunda producitur. V. Martial. IX, 86, 1. Volcatium Sedigitum Gellii XV, 24. Virgil. Catal. IV, 5. Non sibi constat Orel-

piones oriens incendium bellei Punicei secundei sanguine suo restinxsissent; nec id excitatum maioribus copieis

lius, qui quum Ep. ad fam. XIII, 62. *Atilii* scribit, Fin. I, 2, 5 *Attilii* exhibendum curavit, cuius genuina scriptura latet in mendosa lectione cod. Glog. *Aulii*.

Karthaginis] V. Excursum III.

bellei] Cod. *e belli*; sed mox ibidem deleta littera *e*. MAIVS. Edd. *belli*. Quam formam hic et ubique per hos libros in fine verborum in *i* longam desinentium revocavi, eam satis, ut puto, consuetudini Tullianae vindicavi Comm. de pronomine Lat. tertiae personae p. 65. Quod hic semel adnoto, eandem mutationem scripturne vulgatae in sequentibus non adnotaturus. Unum addo, eiusdem consuetudinis, atque etiam in media voce, indicia etiam in Varronis codicibus reperiri, notante Müllero de L. L. p. XXXVI, nec non in Plauti, veluti in palimpsesto Cistell. p. 18. Maii (Anal. cr. p. 211.), ubi *dixistei*, vitiose pro *dixtei*. Atque etiam in nummo Augusti ap. Eckhel Choix des pierres gravées p. 22. exstat CIVIBVS SERVATEIS. Diphthongi in media voce exemplum exhibet inscriptio in Guarinii Fast. p. 216 VEIVOS (*vivus*). Adde tabulam aeream a Gazzera primum editam, a. u. c. 754 inscriptam, de qua v. Férussac Bull. des sciences hist. 1830. T. XV. p. 248 sq. in qua nulla *i* natura longa, quae non per diphthongum exarata sit, veluti BENEFICIEIS, SIBEI, atque etiam in media voce PREIVATIMQVE. Eandem scribendi rationem alia quoque eiusdem generis tabula sequitur, de qua ibid. p. 243 monitum. EIDEM pro *iidem*, quod idoneis exemplis l. l. adstruximus, exstat in titulo apud Raoul-Rochette Lettre à Mr. Schorn 2 ed. p. 436.

restinxsissent] Ita scripsi litterae *x* addito *s* et hic et ubicumque ea ante vocalem reperiatur per hos libros codice invito, rationes secutus eas, quas pluribus exposui Adnot. cr. in Quintiliani X. Part. I. p. 18 sq. et Part. II. p. 28 sq., quorum summa haec est: Originariam usuque a scriptoribus Augusto anterioribus receptam formam *xs* fuisse, ante consonantem in *x* decurtatam, tam in media voce quam in exitu, idemque etiam in praepositione *ex* observatum esse, cuius scriptura in plurimis adeo verbis compositis eo cupidius integra servata sit, quo certius forma e ab usu antiquorum utique aliena fuerit. In his quae olim statui, quum nihil quod maxime mutatum nunc velim repererim, ad illas normas verba Tulliana refingenda putavi, hac tamen lege mihi scripta, ut quae dubia praesertim in compositorum scriptura essent, veluti scribendumne sit *efficere*, an *exficere*, intacta relinquerem, omnia fecisse ratus, quum ubi codex viam monstraret, antiquam scripturam restituerim, qualis est I, 17 *exferre* et c. 29 *exflorescere*, quod ipsum alio Ciceronis loco in cod. Erfurtensi exhiberi notavi Part. I. p. 21: quas formas in vitiosa Codicis lectione *ecferre* et *ecflorescere*, de qua p. 20, verisimilius quam vulgares sitas putare mihi quidem videbatur. Formis autem, quales sunt *extare*, *expectare*, quas vindicavi P. II. p. 30, nunc *s* reddere placuit. Quae posthac in manus venerunt, nunc haec addo. Nihili est, quod in titulo apud Berger de Xivrey Appreciations histor. T. II. p. 95 praepositionis *e* forma exhibetur: multis enim nominibus ipsum de fide suspectum esse, alibi demonstrabimus. Praepositionem *ex* ante consonantem nullo sensus discrimine offert Lex de scribis a Goettlingio nuper edita: in hac tamen, quod non reticeo, PROXVME Col. II, 41 legitur. Scripturae litterae *xs* in media et desinente voce exempla haud pauca collegit Gervasius Oss. sopra una iscriz. Sipontina, Neapoli 1837. p. 7 sq. Quod in palimpsesto Tullianae or. pro Fonteio scriptum exstat *exeistumare*, excitatum

aut Quintus Maxsumus enervavisset, aut M. Marcellus contudisset, aut a porteis huius urbis avolsum P. Africanus compulisset intra hostium moenia. M. vero
p. 64 Catonei, hominei ignoto et novo, quo omnes, | quei eisdem rebus studemus, quasei exemplarei ad industriam virtutemque ducimur, certe licuit Tusculei se in otio delectare, salubrei et propinquo loco. Sed homo demens, ut istei putant, quom cogeret eum ne-

a nobis in exemplis diphthongi pro *i* longa vitiose positae Comm. de pron. tert. pers. Lat. p. 64, id nunc malo scriptum putare pro *exsistumare*.

Maxsumus] Cod. et Edd. *Maximus*. V. Excursum IIII.

avolsum] Ita prisca scriptura pro *avulsum*. Sic *convolsis* Cicero in Verr. IV apud Paulum voc. *repagula*. Tum Fronto ad Ver. II, 4. *equites volsi*. Memorabile autem est Quintiliani dictum inst. I, 7: *quid dicam vortices et vorsus, ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in e litteram secundam vertisse dicitur?* Quin etiam Africanus *redarguesse* dicebat pro *redarguisse*, teste Festo in hac voce etc. MAIVS ed. alt. Steinackero et Heinrichio ducibus ceteri *avulsum*. V. Excursum V.

Catonei, hominei ignoto et novo] Iis, quae attulerunt Maius et Moserus, adde Or. pro Muraena 8: *Curiis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis, fortissimis viris, novis hominibus*. Pro Plancio 8: *num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe gloriari?*

eisdem] Ex Cod. Maius *isdem*, de qua forma sicuti de ea, quam hic et constanter per hos libros restituimus, v. Comm. de pronomine tertiae personae Lat. p. 46. 92; quod item de nominativo *ei* pro vulgari *ii* semel dictum esto. Easdem formas *is* et *isdem* pro *iis* et *iisdem* etiam in melioribus orat. pro Sextio codicibus exhiberi, nuper adnotavit Halmius in sua eius orat. editione p. 321. Ceterum Cod. *idem*, quod a secunda manu in *isdem* mutatum est. Ceteri Edd. *iisdem*.

quasei] Hanc diphthongi scripturam admitteremne, aliquando ambigebam, quum recordabar, non solum Livium *quase* dixisse, quod quin ex *quasi* ortum esse dubitari nequit, sed ultimam v. *quasi* promiscua prosodia temporibus satis antiquis iam reperiri. V. Comm. de pron. *is* p. 87. Sed licet utraque prosodia poetae usi sint, a quibus non potest non ea primitivae mensurae mutatio inventa putari, tamen vulgari usu originariam scripturam diu mansisse usu receptam, quum aliarum vocum similium ratio, tum Tabula Bantina testatur, illud ipsum QVASEI adhuc exhibens. Idem dictum esto de vocibus *si, nisi, ubi, uti* aliisque, quae eiusdem vel similis conditionis sunt.

ducimur] Sermonis proprietas Mosero videbatur requirere *utimur*, a corrigendo tamen caute abstinenti.

certe licuit] Cic. tusc. I, 15: *licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae* etc. *Sed nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum. — quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret?* Cr. MAIVS ed. alt.

ut istei putant] Sic Iuvenalis I, 16: *consilium dedimus Syllae privatus ut altum — dormiret*. Epicurei praesertim appellabant stultos

cessitas nulla, in heis undeis et tempestatibus ad summam senectutem maluit iactarei, quam in illa tranquillitate atque otio iucundissume vivere. Omitto innumerabileis viros, quorum singulei salutei huic civitatei | p. 77
fuerunt et quei sunt procul ab aetatis huius memoria;

eos qui reip. consulerent dignitatique servirent. Cic. pro Sextio X. Maivs ed. alt.

quom] Cod. *eum*, quod cum Maio. plurimi probarunt. Alii, ut Orellius, hic et ubique alteram formam *quum* praetulerunt, a Ciceronis usu abhorrentem. V. Excursum VI.

undeis] Ita [*undis*] cod. 2 manu; at 1 *umdis*. Maivs.

ad summam senectutem] Sic loquitur Cic. de sen. VII. Cr. Maivs ed. alt.

iucundissume vivere] Vulgo *iucundissime v:* v. Excurs. IV. Iis quae de adsiduis, quos Cato subiisset, laboribus et tempestatibus Maius attulit, adde Div. in Caecil. 20. *Vivere* hoc loco est vitam vitalem vivere, ut passim: qua de verbi significatione adi Eichstadium Indice schólar. acad. Ienens. hiemal. 1823. p. 5. Copa Virgiliana 38:

mors autem vellens, vivite, ait, venio.

Ceterum de scriptura *iucundissume* diu dubitavi, annon Ciceroni vocem per *o* scriptam vindicarem, quam formam firmant tum inscriptiones nonnullae, tum multis locis auctoritas codicum et Ciceronis aliorumque etiam recentiorum scriptorum, v. c. Quintiliani, teste Enderleinio Comm. de cod. Bamberg. Quintil. Part. II. p. 5. Tutissimum tandem duxi rem in medio relinquere, quum meminerim, vocem Tullium ipsum de fin. II, 4, 14 a *iuvando* derivare. Cf. Cellar. Orthogr. ed. Harl. T. I. p. 265. At servat primitivam scripturam etiam in composito *iniocundus* Codex Iulii Victoris Rhet. p. 76 ed. Maii. *Iocundus* nomen proprium exhibet lapis Reinesii Cl. XI. num. 89 et Fabrett. Inscr. domest. p. 720. Contra *Iucunda* in titulo recentioris, ut videtur, aetatis in Schoepflini Mus. T. I. p. 70.

innumerabileis] Ex Cod. Maius *innumerabilis*. Edd. *innumerabiles*. De forma revocata v. ad I, 34 *civitatium* et quae disserui Comm. de pron. Lat. tert. pers. p. 67 sq., quibus simul iis satisfactum arbitror, quae Müllerus ad Varr. de L. L. p. XXXVII ad defendendam inconstantiam usus apud Varronem attulit.

quei sunt] Heic olim inserendum putabam *haud*; mox eius rei me poenitebat. Certe *desino* de re non coepta dicitur infra I, 39 [quem locum aliter accipiendum esse docet Wolffius apud Moserum Add. p. 561]. Vir cl. Franc. Orioli eph. rom. malebat sic legere: *omitto* etc. *viros* etc., *fuerunt, et qui sunt procul ab aetatis huius memoria. Commemorare eos desino* etc. Maivs ed. alt. Verissime Oriolius. At illud male sedulo intrusum *haud* Heinrichio auctore editores dudum reiecerunt, in sententia loci constituenda paullum inter se discedentes, de quibus v. Moserum et Orellium Anal. Tull. T. IV, 2. p. 592. Neque tamen Heinrichio, quicum se facere ait Orell. l. l., adstipulor locum ita interpretanti, ut *procul* sit idem fere ac *prope*, quod neque ex Terentii Hec. IV, 3, 1, quem affert, verbis *sermonem procul hinc stans accepi* firmari, siquidem hic praestat *procul* explicare *ex longinquo*, coll. Balbachio Obs. in Plaut. p. 51, neque ullo modo Tullianae latinitati vindicari potest. Cf. Handii Tursell. T. IV. p. 593 et Moserum Allg. Schulzeitung 1829. Nr. 53. p. 435. Nam quem attulit Orellius l. l. locum ex Legg. II, 22, 56, is dubius et alienus est, tum propter ipsam scripturae varietatem, tum quod negatione non adiecta, quam et Bakius et Madvigius

commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur. Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generei hominum a natura, tantumque amorem ad communem salutem defendendam datum, ut ea veis omnia blandimenta voluptatis oteique vicerit.

abesse posse negant, et recepta codicum lectione *a* (pro *ad*) *procul* alio modo accipiatur necesse est. Ceterum, ut hoc obiter de loco illo desperato adiiciam, non video, quae tanta sit Arnobii III, 29 genitivum *Fonti* sane quidem commemorantis, auctoritas apud eos, qui *a Fonti ara* legant, prae Varrone, qui de L. L. V ablativum *Fonte* habet; unde sequitur, quod et rei et linguae consentaneum est, deum vocatum esse *Fons*, reponendumque esse id quod tantum non omnes libri praestant *a Fontis ara*, insuper adiecto *est*, Bakio bene notante. Steinackerus, qui quidem *haud* omisit: „Scribendum videtur, inquit, *et quoniam sunt non procul* [*non procul* malebat Creuzerus quoque]. Quoniam eiusmodi viri ab aetatis huius memoria non procul nonnulli reperiuntur, propterea hoc totum laudandi genus omittendum videtur, ne quis etc.“ Wolffius locum putabat sanari legendo *ne quis esse suorum a. p. q.* Handius Tursell. l. l. alteram sententiae partem, qua de aequalibus viris expositum esset, excidisse suspicatur. Sensus est: Commemorare innumerabiles viros desino, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt et qui sunt procul ab aetatis huius memoria, ne si in commemorandis iis viris ad hanc usque aetatem pergam, unum vero vel alterum, ut fieri facile potest, omittam, se aut aliquem suorum praetermissum esse; querendi aliquibus ansam praebeam. Eodem modo locum intellexisse videtur Beierus in Paedag. phil. Litt.blatt 1826. Sect. II. Nr. 22. p. 186 seq. et Moserus Add. Veram caussam, cur Cicero recuset de ipsius aetatis hominibus verba facere, non veretur in alio opere aperte declarare. Brut. 65: *ex quibus, quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare; ne vos curiosius eliceretis ex me, quid de quoque iudicarem, cos, qui iam sunt mortui, nominabo* etc. Adde eiusdem operis c. 72, et quae monui Adnot. cr. in Quintiliani X. Part. III. p. 18. Eadem excusatione utitur or. pro Sextio 48, 101: *ut vetera exempla, quorum est copia digna huius imperii gloria, relinquam, neve eorum aliquem, qui vivunt, nominem.* Maxime vero huc pertinent, quae de cautela in nominandis vel silendis aequalibus in hoc opere suo adhibenda Tullius ipse tum quum in conscribendo eo occupatus esset, significavit Ep. ad Quint. fr. III, 6: *Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc et id vitabo et loquar ipse tecum.* Ceterum ut nostri loci sensus sibi constet, adiuvandus fuit ipsa interpunctione, quum vulgo post *fuerunt* colon ponatur, quo fit, ut quae deinceps sequuntur contra loci rationem iungantur. Anonymus in Novo Mus. Rhen. I. p. 149 locum sanari arbitrabatur scribendo *fuerunt, etiam qui sunt*: qua mutatione nunc non opus videtur.

queratur] Cod. *quaeratur.*

veis] Cod. *bis*, correctum a m. sec. Iis quae de permutatione litterarum *b* et *v* Maius hic congessit, in ed. alt. haec subiecit: „Sic in carmine s. Pauli a me edito p. 66 *bacillet* pro *vacillet*. Legesis denique indicem orthographicum Frontonis mei.“ In Gloss. Fuld. ap. Dronke Annot. crit. in Tac. Agr. 1842. p. 18. legitur: *Pacillantes, nutantes*, ubi

II. 2. Nec vero habere virtutem satis est, quasei artem aliquam, nisei | utare; etsei ars quidem, quom ea p. 78 non utare, scientia tamen ipsa tenerei potest; virtus in usu suei tota posita est; usus autem eius est maxsumus civitatis gubernatio, et earum ipsarum rerum, quas istei in anguleis personant, „reapse, non oratione, per-

recte editor coni. *vacillantes*; scilicet semel scripto *bacillantes* pro *vacill.*, hoc posthac in *pacill.* transformatum est. Totum hunc confusionis locum tractavi in Epimetro Commentationi de tabula patronatus subiecto, 1839.

oteique] Vulgo *otiique*; Cod. m. 1 *otique*. V. Excursum VII.

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

usus autem eius est maxsumus etc.] Plato in epinomidis (quod opus ei vulgariter tribuitur) fine decernit, ut ad eos qui summam virtutem adepti sint, summa reip. dignitas deferatur, cum senilem tamen aetatem adtigerint. Eupolis apud Suidam tom. II. p. 554 *μὴ παιδὶ τὰ νοῦνα*, *ne puero remp.* Augustinus de ord: II, 25: *remp. nolint administrare nisi perfecti.* Tum idem in operis fine ex Varronis testimonio: *Pythagoras regendae reip. disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat iam doctis, iam perfectis, iam sapientibus, iam beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, ut eis nollet committere nisi virum, qui et in regendo paene divine scopulos evitaret; et si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret.* Maivs ed. alt.

reapse, non oratione, perfectio] Citat, quod commodum me admonet Otto, Arusianus Messius p. 259 Lindem. sic: *reapse, non ratione, praeceptio*, vitiose. Vocabulum *reapse*, eodem monente praeter hunc locum reperitur apud Ciceronem, infra II, 39. legg. III, 8, 18. Ep. ad fam. IX, 15 init., quibus adde de div. I, 37, 81. de fin. V, 10. Et passim ea voce usus est Plautus. Praeterea vocem in his ipsis Tullii libris legerat Seneca Ep. 108 a Maio allatus, qui etiam ex Scipionis Africani oratione apud Festum h. v. *reque eapse* citat. Cuius vocis rationem adhuc non satis perspectam esse, testantur quae ea de re Zumptius, quem honoris causa affero, statuit Gramm. Lat. §. 132. p. 123 ed. VI: „An den Ablativus *ea* wird in der Verbindung mit *re* die Sylbe *pse* angehängt, *reapse*, in der That", quae duplice nomine laborant. Paragogicum enim illud non solum ablativo *ea* affigitur, sed reperitur etiam aliis casibus, et quidem absque *re*, adiectum: quod docent loci Plautini, Aul. V, 7: *eampse anum adisse.* Cist. I, 3, 22: *ut eampse audistis confiterier.* Curc. IV, 3, 2: *non — mediocri incedo iratus iracundia, sed eapse illa, qua* etc. vs. 5: *non — te mediocri macto infortunio, sed eopse illo, quo* etc. Truc. II, 6, 15: *alios collaudat, eapse se vero non potest.* Hos locos composuit Schmidt Comm. de pronomine Gr. et Lat. p. 26, recte simul docens, *reapse ex re eapse* ortum esse, non ex *re ea ipsa*, ut plurimi opinati sunt. Duplex enim exstitit ac iuxta in usu fuit pronominis *ipse*, ex *is* et paragogico *pse* (comparando cum simili *pte* et *pe*) conflati forma, una antiquior, nec tamen antiquissima vel originaria, in qua primitivum pronomen *is* tantum flectebatur, altera vulgaris et quidem aetate posterior. Quam doctrinam nunc etiam Madvigius Gr. Lat. §. 83. p. 85 secutus est. Fallitur autem Stuerenburgius Comm. gramm. post Cic. Off. p. 172 *ipse* ab *is* et adverbio *pe* derivatum censens, confutandus vel una forma *sepse*, qua ipsa etiamtum Tullius usus est, in-

fectio.“ Nihil enim dicitur a philosopheis, quod quidem recte honesteque dicatur, quein ab heis partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta
p. 123 sunt. Unde | enim pietas? aut a quibus religio? unde ius aut gentium, aut hoc ipsum civile quod dicitur? unde iustitia, fides, aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpidinis, appetentia laudis et honestatis? unde

fra III, 8, ubi v. not. Ceterum de origine paragogici illius, quod ex Sanscrito *vs* Schmidtius ducit, nihil decerno.

quein] Maio editores ad Orellium usque quantum sciam omnes paruerunt ante *ab his* ex coniectura *non* inserenti; idemque etiam in ed. alt. Maius retinuit, sensu negationem sane flagitante. At ego non dubitavi suscipere rectissimam Krarupii coniecturam, Orellio Anal. T. IV, 2. p. 592, Madvigio Opusc. acad. p. 143 mihique ipsi iam antea in Seebodii Krit. Bibl. 1828. Nr. 73. p. 580 in censura Krarupiani libelli comprobatam. „Qua commutatione, ut auctoris acutissimi verba transcribam, dum eadem praebetur sententia, paulo propius ad scripturam Codicis accedimus; constat enim *quod* et *quin* saepissime, ut *quid* et *quin* interdum, a librariis confundi. Illius generis tres loci sunt in ipso Cod. Vat. (I, 24. I, 30, I, 35, in quibus omnibus *quod* scriptum est pro *quid*); huius autem exemplum esse puto Rhet. ad Herenn. IV. 52, ubi edd. habent: *Cur non desinis;* sed in vetustissimo Cod. Reg. Paris. (Nr. 7714) inveni, quod etiam est in Erfurtensi: *Quid* pro *Cur non;* ut appareat *quin* legendum esse, cuius vulgata lectio interpretatio sit.“ Idem hic legendum iam Oudendorpius suaserat Schütziusque suscepit. Ceterum Moserus legendum proposuerat *quod ab his non ortum*, vel *actum*, vel *auctum, confirmatumque sit.*

heis] Orellius Anal. T. IV, 2. p. 592 malebat *iis.*

turpidinis] Ita *turpido* pro *turpitudo* scribit etiam Tertullianus de cor. mil. XIV: quo in loco frustra Gesnerus suspicabatur vitium librarii, frustra quidam editores reponebant *turpitudo.* Sic obtinuit *pinguedo* et *pinguitudo.* Vox *turpido* legitur apud Trebonium in codice antiquissimo mediceo Cicer. epist. ad diversos XII, 16. Ineptit vero apud Putschium Caper p. 2246. v. 30, qui vult scribi *torpedo*, non *turpido*, quasi idem vocabulum idemque significatus sit. Maivs ed. alt. Iniustam esse hanc Capri reprehensionem, ad ipsum §. 160 aliquando demonstrabimus; lubenter vero cum Schützio et Krarupio l. c. p. 4. Maio Codicis scripturam, auctoritate duorum codd. in legg. I, 19 a Creuzero allatorum insuper sustentatam probatamque et Müllero ad Festum p. 395 religiose defendenti adstipulamur, fastidio ceterorum editorum, qui Ciceronis elocutione indignam illam vocis formam iudicantes, Heinrichio duce *turpitudinis* reponant, nihili penso. Demonstrare quidem Heinrichius, cui nuper adstipulatus est Harlessius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. p. 807, novi nihil adiiciens, studuit, quum substantiva in *edo* et *ido* desinentia utique a verbis ducta sint, quale v. c. *dulcedo* a *dulceo, cupido* a *cupio*, non posse non *turpido*, quippe cui nullum verbum adsit, unde ortum esse potuerit, pro barbara voce et turpi vitio haberi. Ut hoc concedamus, quod de substantivorum origine praecipitur, tamen minime quod contenditur hinc consectarium est. Quemadmodum enim illud ipsum *dulceo*, a quo *dulcedo* derivatur, exemplo aliquo firmari

in laboribus et periculeis fortitudo? nempe ab heis, quei haec disciplineis informata, alia moribus confirmarunt, sanxserunt autem alia legibus. 3. Quein etiam Xsenocratem ferunt, nobilem in primeis philosophum,

non potest, etsi id in usu fuisse non negabimus, quidni etiam verbum *turpio* vel *turpeo*, unde Heinrichii de sententia *turpido* formatum fuisset, in usu olim fuisse sumamus? Audiamus denique Ottonem haec ad me scribentem: „Antiquum scilicet vocabulum nimis festinanter a criticis videtur esse expulsum, quum non antiquâ tantum, verum etiam poetica vocabula vocabulorumque terminationes plures in his libris reperiantur, qui et propter antiquiorem orationis colorem et propter poeticam saepe formam compositionis non possunt nisi cum libris ad Herennium Timaeoque Ciceronis comparari, nec sine magno errandi periculo ad reliquorum Ciceronis scriptorum rationem conformari. Qualia sunt verbi causa *fragor* II, 3, de quo egregie disputavit Doederleinius Lat. Syn. T. V. p. 116. n. 170; verbum *horrescendi*, de quo optime exposuit Madvig. ad Cic. Fin. p. 670; vocabulum *intemperies*, cuius contrarium *temperies* recte cum Koene Sprache der Römischen Epiker pro poetico habebis p. 198; quod si ita est, non dubitari posse videtur, quin etiam vocabulum *intemperies* i. e. intemperantia vel antiquum vel poeticum habendum sit, de rep. II, 37. Quod autem ad antiquiorem terminationem in *ies* exeuntem attinet, compara vocabula in *tudo* terminata, qualia sunt *anxitudo*, *firmitudo*; denique finita in *itas*, qualia sunt *impigritas*, *procacitas*, quae Salustium maxime redolent, quaeque vide in Indice Moseri." Adde vocem *impigritas* esse ἅπαξ λεγόμενον, item *turpare* verbum, quod huc inprimis pertinet, de quo monuit Nobbe De fragmentis libror. Ciceronis incertorum. Lipsiae 1827. p. 9.

laboribus] Ita cod. 2 manu; at 1 *lavoribus*. Maivs.

Xenocratem] Cod. *Xenocraten*, quam formam praeter Maium, qui etiam in ed. alt. retinuit, unus Lehn. expressit; „quam, ut Ottonis mei verba hoc de loco referam, repudiavit Cicero in hoc ipso vocabulo ad Att. I, 16, 4 et de senect. 7, 23 et Acad. I, 4, 17, ut *Polemocratem* scripsit pro Flacco §. 74 et *Epicratem* ad Att. II, 3, 1." Adde *Xenocratem* Acad. II, 46, 143. Contra II Verr. I, 19. pro *Tenem*, ut vulgatur, Servius in Aen. Cassellanus a Bergkio editus Part. II. p. 14 habet *Tenen*. Infra VI, 20 codex unus *Gangen*. Tantus vero in hoc Graecae formationis usu Ciceroni vel permittendo vel eripiendo dissensus virorum doctorum est, ut quem ducem sequare dubites: praeter Moserum Creuzerumque ad h. l. v. interim, ne multa, Heusing. ad Off. I, 40. p. 336. Haas. ad Reisigii Gr. Lat. §. 76. p. 109. Neque totus hic locus adhuc satis expeditus videtur, ut certum ferre liceat de cuiusque formae singularis usu, quum ob dissimilium formarum confusionem, tum quod his in rebus meliores libri adhuc non omni qua par est cura excussi videntur. Certius, ut puto, constat de eorum nominum scriptura, quae Graecae originis non sunt: in quibus Latinam terminationem poetas adhibuisse, vera videtur Huschkii observatio ad Tibull. I, 1, 36, collatis Philologische Blätter I. p. 71. De nostri vero loci lectione non ita difficile est decernere, quandoquidem is in his libris unicus est, quo ea forma Graeca reperiatur, dum saepius Latinam Codex exhibet, veluti c. 3 *Themistoclem* et *Miltiadem*, c. 10 *Socratem*, et passim. Apud Quintilian. X, 1, 67 pro *Euripidem* in Turicensi *Euripiden* exhibetur, quod Meyerum si audiamus revocandum erit. Is enim ad I, 1, 15, ubi

p. 124 quom quae|reretur exs eo, quid assequerentur eius discipulei, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Ergo ille civis, quei id cogit omneis imperio legumque poena, quod vix pauceis persuadere oratione philosophei possunt, etiam heis, quei illa disputant, ipseis est praeferendus doctoribus. Quae est enim istorum oratio tam exquisita,

Aristophanen ex eodem libro reponit, haec adnotavit: „Haec accusativi forma ubique in Turicensi apparet. In aetate Quintiliani prior grammaticae latinae ratio omnino mutata est: priores enim ut Cicero graecas formas fere omnes in latinum transferebant colorem, posteriores vero maximum graecarum finitionum numerum recipiebant.“ Ut hoc verum sit, etsi in ea usu ratione cuiusque scriptoris consuetudo singularis plurimum valuerit, ita ut difficillimum videatur, generalem legem constituere omnibus aeque scriptam, tamen non supervacaneum erit adnotare, *Aristotelem* sine ulla lectionis varietate exstare apud Quintil. X, 1, 83, dum in exemplis, quae Meyerus ad confirmandam alterius formae scripturam excitat, *Aristotelen* exstat III, 6, 20.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

quaereretur] Cod. *quaeretur*. Mox vulgo *ex*.

quid] Ita cod. 1 manu; at 2 *quod*. Maivs ed. alt.

legibus] Quae Maius in ed. pr. de Xenocrate attulit, ea nunc auxit loco Laertii IV, 6 de pudicitia eius agente.

Ergo ille civis, quei etc.] Sine distinctione Maius, quem secutus est Villem. *Ergo ille, cives qui* cum Heinr. Mos. Orell. Zell. et Steinack., hic tamen servata scriptura *civis*. Quod nos cum Schützio Nobbioque dedimus, unice verum existimo, tum quod in *cives* nulla caussa inest cur insolenter praeponatur, quum omnis vis contra in *omnes* sita sit, tum quod in hac comparatione cum philosophis oppositione opus videtur, quo quis *ille* sit (intelligunt Solonem) et quo a philosophis dignoscatur melius pateat.

qui id cogit] De hac verbi *cogere* constructione etiam Ciceroni concedenda disputavit Klotz. in Iahnii Jahrb. 1841. XXXIII, 2. p. 206. Schütz. omisit *id*.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*. Ceteri *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

legumque poena] Confer Ciceronem de or. I, 43. Maivs ed. alt.

philosophei] Codex *filosofi*, sed ab antiqua manu in *philosophi* mutatum, ut etiam supra in *philosophum*. De qua novitia scriptura v. Excursum VIII.

etiam heis] Cum Cod. a pr. manu videatur habere *is*, praeferendum fortasse fuit *iis*. Moservs. V. Excursum VIIII.

Quae est enim] Ita cod. 2 manu; at 1 *etenim* sine *est*. Maivs ed. alt. Satis nunc stabilita videtur lectio illa, ab omnibus iam recepta, ex quo intellectum fuit a V. D., in scriptura ed. principis *quae etenim* ferri non posse *etenim*, tum propter interrogationem, in qua poni non solet, tum quod apud Ciceronem certe vocabulo non subiicitur. Quod quum in censura libelli Krarupiani laudata p. 580 olim tribus verbis monuissem, idem examinatis subtiliter iis locis omnibus qui in primis istuc pertinerent, strenue sustinuit Otto ad Cic. de senect. 29. p. 76, consen-

quae sit anteponenda bene constitutae civitatei publico iure et moribus? Equidem | quemadmodum p. 125

— urbeis magnas atque imperiosas,

ut appellat Ennius, vinculeis et castelleis praeferendas puto, seic eos, quei heis urbibus consilio atque auctoritate praesunt, heis, quei omnis „negotei publicei expertes“ sunt, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos. Et quoniam maxsume rapimur ad opes augendas generis humanei, studemusque nostreis consilieis et laboribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum

tientibus tum ipso Krarupio, tum etiam Orellio ad or. pro Coelio 6 et in primis Madvigio Opusc. p. 390 et ad Fin. p. 8. Livio tamen XXI, 39 concedendus ille usus, frequentatus insuper serioris aetatis scriptoribus et iuris quidem maxime auctoribus. Cf. Handii Tursell. T. II. p. 544. An vero nostro loco *quae st enim* scribendum sit, quod Krarupius proposuit Niebuhrium secutus ducem, qui idem III, 8 reponendum suaserat Conspectu orthogr. p. 355, hac de re vide ad II, 10 et ad III, 8.

iure] Cod. prima manu *iure;* mox factum secunda *iuri*. Si illud retineas, mutabis interpunctionem. Maivs, qui *iuri*, quod susceperat, recte nunc, sententia loci postulante, cum illo commutavit, duce Heinrichio, quem antea *iuri* edidisse narrat Moserus Schulzeitung 1829. Nr. 53. p. 435: quem praeter Lehnerum et Nobbium omnes deinceps secuti sunt editores, item probante Krarupio p. 6. Anonymo in Seebodii Neu. Archiv II, 1. p. 142 in mentem venerat legendum: *civitatis publico iuri*, quo non opus: displicent praeterea *mores civitatis*.

urbeis] Vulgo *urbes*. De forma restituta v. ad 1, 34 *civitatium*.

urbeis magnas atque imperiosas] Notavit heic hemistichium Ennii cl. Oriolius. Maivs ed. alt. Videri Ennium in Annalibus, existimat Schützius, hexametrum hac clausula finiisse

— — *urbes magnas atque imperiosas*;

cui suspicioni nihil obstat. Moservs. Versum distinxit Nobb.

negotei publicei expertes] Citat libere ex hoc opere sed nota libri omissa, Arusianus Messius Exempl. elocut. v. *expers;* habet is enim *expers*.

sunt] Vulgo *sint*, cuius modorum variationis nulla idonea caussa afferri potest. Quare non piget scribere nunc id quod scribendum esse multis iam abhinc annis in scholis meis docui; qua in re gaudeo consentientem mecum me habere Ottonem: „Ceterum, inquit, miror neminem offendisse in modo subiunctivo *sint;* qui quamquam ipse per se a verbo *duco* regi posse videatur, tamen dubitationem habet eo, quod in tali membrorum aequalitate, qualis haec est, *eos qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt*, et *his qui omnis negotii publici expertes sint*, ista modorum varietas non sit Tulliana, id quod nuper egregie exposuit Madvig. ad Cic. de fin. p. 248 seq. Quare ego lego *sunt*. Similia vitia latere in I, 42, 65 et I, 43, 66 recte vidit idem Madvig. l. c. p. 690 seq.“

maxsume] Vulgo *maxime*.

ad] Ita cod. 2 manu; sed 1 *at*. Maivs ed. alt.

laboribus] Ita cod. 2 manu; at 1 *lavoribus*. Maivs.

p. 126 reddere, et ad hanc | voluptatem ipsius naturae stimuleis incitamur: teneamus eum cursum, quei semper fuit optumei quoiusque, neque ea signa audiamus, quae receptuei canunt, ut eos etiam revócent, quei iam processerint.

III. 4. Heis rationibus tam certeis tamque illustribus opponuntur ab heis, quei contra disputant, primum labores quei sint re publica defendenda sustinendei: leve sane impedimentum vigilantei et industrio;

voluptatem] Sic cod. non *voluntatem*. Et quidem sic loquitur etiam Ciceronis interpres a me in hoc volumine editus ad or. pro Mil. cap. XII. Conferatur item Fronto diff. vocab. Anonymus denique in Maximiani et Constantini panegyrico c. II. in simili sententia dicit, *voluptas conservandi generis humani*. Maivs ed. alt. Nimirum haec contra Moserum dicta sunt, qui quum Cicero de eo, quod fiat *consilio* et *labore*, vix dixisse possit, nos *ad eam voluptaten* incitari, legendum esse suasit *voluntatem;* velle nos enim id, ad quod naturae stimulis incitemur. Quam speciosam sane coniecturam, insuper loco quodam Tusc. IV, 6, 12 sustentatam, Orellius ita probavit, ut eam adeo in textum susciperet. Sed non agi de libera illa voluntate, qua ad bene faciendum ipsa natura incitante stimulemur, sed de necessitate quadam animo humano insita, qua vel nolentes ad iuvandum genus humanum cogamur et abripiamur, sed ita ut dulcissimam simul ex ea percipiamus voluptatem, docet vel una vox *rapimur*, qua Cicero usus est et qua, si ad voluntatem hominis relata omnia voluisset, apte non poterat uti. Et multo gravior exsistit sententia, si quidem quod ad augendas opes generis humani perficimus, id voluptate nostra ex hoc ipso studio percipienda potius quam voluntate incitati perfecisse dicamur.

optumei] Vulgo *optimi*.

quoiusque] Vulgo *cuiusque*. Illam formam, *quoius*, cur invito Codice, quem editores ad unum omnes secuti sunt, revocarim, dixi ad III, 11.

ab heis] V. Excursum VIIII.

re publica] Hanc vocis scripturam, primum a Maio, mox ab Heinrichio, cuius vide adnotationem, commendatam, a reliquis tantum non omnibus editoribus postmodo probatam, idoneis, ut puto, argumentis confirmavi ad Tac. Dial. 36. p. 67, ita ut non videantur audiendi neque Handius Theorie des Lat. Stils p. 110, coniunctam vocis formam contra Heinrichium defendens, neque Wolfius, qui ad Cic. pro domo 8. p. 158 *rem publicam*, ubi publica auctoritas vel publicum negotium significetur, scribendum censet, *rempublicam* vero, quum civitatem designet, retinet, veluti de harusp. resp. 16. Quibus viris recte nuper oblocutus est Harlessius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. p. 799 seq. Nunc addo Cic. pro Sestio 20 *rem ipsam publicam*. Talibus vero testibus si fidem denegaveris, certe ipsis veterum monumentis habebis, ut titulo Gruteri p. 499, 12, in quo exstat REI POPLICAE. Idem de v. *plebiscitum* statuendum. In Tabula Bantin. in Mus. Rhen. II, 1. p. 39 et 45 scriptum *plebeive scitum*. Idem de phrasi *re uera*. Lucretius II, 659 transposuit *vera re*, neque hoc ex licentia poetae tantum concessa. Cicero enim ipse inter-

neque ita solum | in tanteis rebus, sed etiam in mediocribus vel studieis vel officieis vel vero etiam negotieis p. 91

posuit *autem*, Ep. ad fam. I, 4, quod etiam scripsit Anon. in Maii Auct. cl. T. II. p. 153; *quidem*, Or. pro Cluentio 19, 54. Ceterum cum Schützio Moserus legendum suspicabatur *in re publica*.

neque ita solum] Cod. *neque tai solum*; sed *tai* deinde expunctum, quae fuit metathesis τοῦ *ita*, vocabuli hoc loco minime ferendi. Maivs, qui *neque solum* edidit, obsequentibus ceteris omnibus editoribus. Orellius Anal. T. IV, 2. p. 592: „Ex prima Cd. scriptura Krarup facit *neque tali solum*; Franckius: — *neque futile solum in tantis rebus, sed* cet. Neutra ratio placet. [Neque placuit Mosero Symbol. crit. in Ciceronem, Spec. III. p. 19 seq., ubi totus hic locus retractatur et denuo, in quod ipse olim inciderat, commendatur: *neque tantis solum in rebus*, quae iusto audacior mihi quidem medendi ratio videtur.] Fuitne: *neque tamen solum in tantis rebus*, ubi per se ipsum levitas eius apparet, sed etiam, ubi gravius videri poterat, in mediocribus studiis contemnendum." Haud male hoc, neque plane improbat Moserus. Quod interim edidi, omnium quae VV. DD. in hunc locum commenti sunt, lenissimum, si scripturam Codicis spectes, et sensui aptum videtur, a memetipso olim propositum in Seebodii Bibl. crit. 1828. Nr. 73. p. 580: a qua admittenda lectione adhuc non absterritus sum iis, quae Moserus nescio quo cupidiore animo oblocutus est, mentem meam mea fortasse culpa non satis consecutus. Quem enim particulae *ita* sensum statuerem, diligentem lectorem docere poterat locus a me appositus Or. pro Deiot. 7: *Dii te perduint, fugitive: ita non modo nequam et improbus, sed etiam fatuus et amens es.* Sed negat Moserus inter hunc et illum nostrum locum ullam obtinere similitudinem. At tanta est utriusque similitudo, quanta inter binos locos diversos esse potest. Habent enim hoc commune, quod quominus simile non appellemus, nulla obest caussa, ut membra duo orationis per se disiuncta opitulante particula *ita* copulentur et ita quidem, ut nexus ratio in comparatione quadam non perfecta consistat, cuius posterior sola pars verbo *ita* indicatur, prior in antecedentibus latet, facile mente supplenda. Quale illud est exemplum allatum, dictum fere pro *ut dii te perduint: ita nequam*, et nostro loco *ut leve sane impedimentum* etc. *ita non solum* etc. Dissidet vero uterque locus eo tantum, quod in nostro alterum membrum copula *neque* adiungitur, in illo autem utraque sententia particula directa *non* distenditur. Ceterum quod monuit Maius de corruptae lectionis *tai* caussa, id verissimum puto ob alia nonnulla eiusdem pravae litterarum metatheseos exempla in hoc ipso Vaticano obvia.

sed] Ex Cod. Maius *set*, hac nota subiecta: „Ita cod. pro *sed*, quod alibi tamen in codice occurrit. Verumtamen *set*, non *sed*, praecepto grammaticorum esse scribendum, quamquam vulgo aures audiant *sed*, testis est Longus p. 2231. Cornutus autem de hac scriptura litem esse ait p. 2283. Ego quidem utramque *set* et *sed* scripturam in antiquissimis mss. reperio." V. Maium etiam ad c. 31. Nulla lege atque discrimine *sed* et *set* promiscuo usu in Vatic. exhiberi, locis omnibus diligenter enumeratis monstravit Freundius ad or. pro Mil. p. 8, *set*, quam formam in Orationum Cic. fragmentis palimpsestis semel reperiri idem monet, cum aliis id generis vocabulis, qualia sunt *aliut*, *aput* etc. pro vere Tullianis habere recte dubitans. Antiquiorem certe altera formam *sed* esse, demonstrasse idoneis argumentis mihi quidem videor Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. p. 58, idemque testatur Isidorus in Maii Coll. Vat. T. VI. p. xxxix. Neque grammaticorum illi loci Maio laudati

contemnendum. Adiunguntur pericula vitae, turpisque ab heis formido mortis fortibus vireis opponitur: quibus magis id miserum viderei solet, natura se consumei et senectute, quam sibei darei tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda naturae, pro patria potissumum reddere. Illo vero se loco copiosos
p. 92. et disertos | putant, quom calamitates clarissumorum virorum iniuriasque eis ab ingrateis impositas civibus colligunt. 5. Hinc enim illa et apud Graecos exsempla, Miltiadem victorem domitoremque Persarum, nondum sanateis volneribus eis, quae corpore adverso

aliud quidquam narrant, quam quum apud antiquos, ut diserte ait Cornutus, *sed* in usu fuisset, sua ipsius aetate h. e. fere Neronis imp. utra scriptura praestaret quaesitum esse, lege vero grammaticorum *set* commendatum esse. Et hoc sane exhibetur iam in titulo Antoninorum aetate inscripto, ap. Orell. No. 4370.

natura se consumei et senectute] Sic loquitur Cicero etiam pro Planc. XXXVII. Mr. Maius ed. alt.

sibei] Cod. prima manu *sivi*: mox factum *sibi*. Maius.

esset] Cod. *essed*.

pro patria potissumum reddere] Notae editionis prioris Maius nunc subiicit sub calcem testimonium Dial. de corr. eloq. c. XL. Vulgo *potissimum*.

se] *se esse* nescio cuius susp. apud Mo. „Non displiceret *sese*.“ Mo. Orellivs.

copiosos et] Pro *et* Cod. *ed*, qua de scriptura vide, si tanti videbitur, nobis monita in Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 6. p. 58.

clarissumorum] Vulgo *clarissimorum*.

Hinc enim illa et] Pro *et* Creuzerus *tot* legendum vel id cum Heinrichio, cui solus Zellius obtemperavit, ante *Militiadem* transferendum suspicabatur. At bene Moserus, probante Orellio Anal. T. IV, 2 p. 592: „Scripsit *et apud Graecos*, postea additurus *et apud nostros* v. *nos*: quod facere omisit, postquam longiora interposuerat exempla, et mutata constructione perrexit infra: *Nec vero levitatis* etc. *quae etiam in* etc.“ V. eundem Schulzeitung 1829. No. 53. p. 435. Otto: „Vix dubium est, quin huic *et* respondeat oratio ab his verbis orsa *quae nata et frequentata* etc., ubi egregia orationis clementia suavitateque deflexit oratio ab enunciato relativo annexo praecedenti membro ad exempla Romana proferenda, de quo quidem orationis formae decursu per ipsam particulam *et* facto optime omnium disputavit Madvig. in Exc. I ad Fin. p. 801—805.“ Handius Tursell. T. II. p. 517: „Opponit Cicero cogitatione Graecos aliis gentibus, ut sententia sit: et apud alios et apud Graecos.“

exsempla] Vulgo *exempla*.

volneribus] Iis quae Maius de varia scriptura *o* et *u* monuit, nunc addit Indicem suum Frontonis orthographicum. Praeter Maium omnes editores *vulneribus*, Ciceronis scripturam naevo scilicet liberaturi: quod item supra c. 1, ubi v. not., in *avolsum* accidit.

corpore adverso] II Verr. V, 1: *cicatrices... adverso corpore ex-*

in clarissuma victoria accepisset, vitam exs hostium teleis servatam in civium vincleis profudisse, et The-

ceptas. Hinc *vulnera adversa* in honestis. De harusp. resp. 19, 40: *ut tanquam fortis in pugna vir, acceptis a forti adversario vulneribus adversis, honeste cadere videatur.* Ovid. Fast. II, 211:

Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt.

Tac. Hist. III, 84: *cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem.* Cf. Muret. ad Tac. Ann. I, 49. Grut. ad Ammian. Marcell. XXXI, 36. Bernegg. ad Iustin. IX, 3, 10.

in clarissuma victoria] Recte heic adnotavit nobilis interpres Villemaenius Miltiadem haud vulneratum fuisse in marathonio proelio, ut videtur dicere Cicero, sed in Pari oppugnatione; quibus vulneribus nondum sanatis, Athenis in vinculis obiit. Maivs ed. alt. Idem iam Creuzerus monuerat. Humani igitur Cicero aliquid in se passus est, quum utrasque victorias inter se confunderet: nam ad Marathonium proelium eum, quum de clarissima victoria loqueretur, spectasse, dubitari nequit. Vulgo *clarissima.*

vincleis] Revocavi cum Maio quod Codex fert, inconsiderate spretum ab Heinrichio, Mosero, Orellio, Nobbio, Zellio, de Codicis scriptura lectore ne monito quidem. Ut distractam formam, quam nunc substituerunt, Ciceronem scribere potuisse largiar, tamen etiam contracta eum revera usum esse, colligitur ex iis quae congesserunt Goerenzius ad Legg. II, 59. p. 195 et Beierus ad Off. III, 18. p. 320, collatis iis, quae attulerunt Maius ad III, 1, ubi a 1 m. *vinclo*, Pabstius Varr. lect. ad Somn. Scip. p. 6, Kleinius in App. ed. Heinrich. ad Somn. Scip. p. 8. Altioris vero indaginis videtur, utrum nullo omnino discrimine utraque forma an altera utra sola usus sit; qua de re nihil audeo decernere, neque ausus est Otto, qui ad cap. 26, ubi vide, haec adnotavit: „Haec forma recurrit in codd. de senect. §. 81. Lael. §. 14. Ep. ad fam. V, 15, 1. X, 6, 2. de legg. II, 23, 59. III, 2, 6. in Vat. 9, 21. pro Scauro 2, 1. Phil. XI, 3, 2. Tusc. I, 30, 74. pro Rab. perd. 4, 11. in Verr. III, 24, 59. V, 7, 17. 18. 29. in Rull. §. 16. N. D. II, §. 64. de div. I, §. 110. Off. III, §. 23. 73. Ep. ad Att. III, 24, 1. VI, 2, 1. Contra *vinculum* Ep. ad fam. XIII, 17, 1. Apud Caesarem quoque in codd. est *vinclum*, B. G. I, 4, 1. III, 9, 1. Sic *saeclum*, C. Ep. ad fam. III, 11, 3. *periclum* Caesar B. G. IV, 21, 1. *hercle* C. Ep. ad fam. XVI, 13, 2. de legg. II, 4, 8. 13, 33. III, 1, 1. Lael. 30. Fragm. p. 458 ed. Orell. *piaclum* ad Att. XV, 25.“ *Vinculum* infra c. 32. Rursus *vinclum* VI, 14, ubi vide. *Spectaclum* Duebneri de sententia vulgatur apud Dositheum glossis in Welckeri Mus. Rhen. nov. II, 4. p. 601: sed videtur in *spatiadium*, quae est codicis lectio, *spatiolum* potius latere. Cave vero ne contractam formam, ut nonnulli opinati sunt, pro licentia poetica accipias, veluti *oraclaque Phoebi*, ut in nonnullis libris exstat Ovid. Met. XV, 631. Cf. Heusing. ad Off. I, 35. p. 301. Etenim POPLI (populi) ipsa Lex Servilia ap. Grut. p. 207, et sexcenta alia eius generis, velut illud ipsum ORACLA, in titulis, ex quibus exempla quaedam collegit Raoul-Rochette Lettre à M. Schorn ed. 2. p. 269, quibus ex aliis multis adde tit. VASCLI pro VASCVLI exhibentem in Fiedleri Röm. Denkm. p. 198. In alio lap. Raoul-Rochette p. 304 item VASCLARIVS. Neque magis probanda Goerenzii sententia ad Acad. II. p. 197, qui quum primitus v. c. *peritlum*, *subligatlum* scriptum fuerit, posthac, littera *t* in *c* mutata, aurium caussa *u* insertum esse censet, ita ut brevior forma pro primitiva habenda sit: quae opinio vel uno voca-

mistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque pro-
p. 73 ter|ritum, non in Graeciae portus per se servatos, sed
in barbariae sinus confugisse, quam afflixerat. Nec
vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplis-
simos civeis exsempla deficiunt: quae nata et frequen-
tata apud illos, etiam in gravissumam civitatem nostram
dicuntur redundasse. 6. Nam vel exsilium Camillei, vel
offensio commemoratur Ahalae, vel invidia Nasicae,
p. 74 vel expulsio Laenatis, vel Opimei | damnatio, vel fuga

bulo *vinclum* refutatur. Sed omnino latius patet genus ecthlipseos quam ut hic pertractari possit.

proterritum] Caesar B. G. V, 58: *proterritis hostibus atque in fugam coniectis.* Mr. Maivs ed. alt. Otto: „Iis quae de hoc verbo disputavit Moserus, adde Klotzii Emendatt. Tull. p. 18." Adde Heinrichii Not. ad h. l. p. 163.

Nec vero] *nec vero plura*, vel *alia praeterea l.* dubiae Mo. suspicc. Orellivs.

Atheniensium] Graecorum levitatem a Cicerone passim suggillari videmus, observante etiam Hieronymo comm. ad Galat. lib. I, 3 et Lactantius inst. III, 14. Tum idem Hieronymus loco cit. et ep. X, 3 verba ex oratione mutila pro Flacco laudat, quae nondum inter eiusdem reliquias relata video. En textum Hieronymi: *doctissimi quique Graecorum, de quibus pro Flacco agens luculenter Tullius ait: „ingenita levitas et erudita vanitas."* (Confer in hoc volumine monitum meum ad or. Cic. pro Flacco p. 2.) Cur Graeci sint leves dicit Servius ad aen. VI, 724: *Afros versipelles, Graecos leves videmus; quod natura climatum facit, sicut Ptolemaeus deprehendit.* Confer Cic. in Rull. II, 35. Tum de hac re copiose scribit Firmicus lib. I, 1, 4. Maivs ed. alt.

exsempla] Vulgo *exempla.*

amplissumus] Vulgo *amplissimos.*

civeis] Ex Cod. solus Maius *civis*: ceteri *cives.* De forma revocata v. ad I, 34 *civitatium.*

gravissumam] Sic Maius nunc in contextu, quum antea eam Codicis lectionem in Add. attulisset, quod editorum, qui *gravissimam* exhibent, diligentiam effugit.

exsilium] Vulgo *exilium*, quae forma infra c. 40 et II, 25 recurrit et passim in ceteris Ciceronis codd. rescriptis vel vetustioribus, teste Freundio ad or. pro Milone p. 37: *exsilium* cum Nobbio scripsi non ob etymologiae rationem, de qua v. Cellarii Orthogr. Lat. T. I. p. 230 ed. Harless., perincertam, sed quod *ex* praepositio in compositis, vocali littera sequente, Ciceronis adhuc aetate *s* adsumpsisse videtur V. ad I, 1.

vel expulsio Laenatis] Iis quae editores de Popilii huius exilio congesserunt nunc accedant Diodori verba in Excerptis Vatic. p. 108 ed. Maii: *"Οτι ὁ Ποπίλιος* [Cod. *Πόπλιος*] *μετὰ δακρύων ὑπὸ τῶν ὄχλων προεπέμφθη ἐκβαλλόμενος ἐκ τῆς πόλεως· οὐ γὰρ ἠγνοεῖτο πλῆθος τὸ τῆς ἐκβολῆς ἄδικον, ἀλλὰ τὴν κατ' αὐτὸν ἀφοδοκίαν δεκαζόμενον ἀπιστέρητο τῆς μισοπονηρούσης παῤῥησίας.*

Opimei] Ita [*Opimi*] ex Cod. Maius, quem secutus est Nobb. Tacite suo more Moserus, Orell. et Zellius *Opimii* rescripserunt.

Metelli, vel acerbissuma C. Marei clades, principum caedes, bellorum multorum pestes, quae paullo post secutae sunt. Nec vero iam meo nomine apstinent. Et, credo, quia nostro consilio ac periculo

acerbissuma] Vulgo *acerbissima*.

C.] Ita codex; qui tamen superius [c. 1, ubi vide] habet ·*G*· pro *Gaius*. At contra *C* cap. XII, et quidem cum uno puncto; quum infra sit ·*M*· *Manilius* cùm duobus. Maivs ed. alt.

Marei] Hic rursus antiquam scripturam ex Cod. a Maio traditam (*Mari*) editores cum Nobbio, qui paullo ante *Opimi* tolerarat, scribendo *Marii* oblitterarunt.

principum caedes etc.] Non sine caussa Moserus et Creuzerus hoc loco haeserunt. Vulgo *principum caedes, vel eorum multorum pestes*. Sermo est de temporibus illis gravissimis, quae post Marii cladem insecuta sunt, primum illa post reditum Marii caedes principum, h. e. optimatium (v. Paradox. V, 2) crudelissima, quam vocat Cicero de or. III, 2, deinde varia seditionum et factionum discrimina, et civibus multis et ipsi rei publicae perniciosissima: quae omnia quum ex sese apta sint, Cicero aut uno partitionis membro comprehensa, aut in tres partes disiuncta enumerare poterat, ita ut aut cum Creuzero *vel* ante *principum* inserendum, aut *vel* ante *eorum* delendum videretur. Illa vero emendandi ratio ideo displicet, quod quae non recte divellantur, tum disiunguntur, ac praeterea Cicero iis commatis, quibus *vel* hic praemittitur, non status quosdam temporis et vicissitudines universas, sed certa singulorum quorundam virorum fata iniqua designat. Etiam magis altera emendatio displicet, qua, quum non possis non *eorum* ad *principum* referre, pessimum nascitur asyndeton et sententiae insuper pleonasmus. Neque ut verba *principum caedes* ex margine, sequentium videlicet ad interpretationem conflata, irrepsisse putarentur et inducerentur, quod commentus est Moserus et in quod ipse olim incideram, propter *eorum*, quod aut nihil quo referretur haberet, aut certe cum *illorum* commutandum esset, ullo probari modo potest. Neque denique tolluntur eae offensiones Orellii explicatione, adnotantis: „Mihi videtur, ut fere Creuzero, appositio quasi quaedam ad Marii cladem facta: Marii clades, iuncta cum principum caede ab eodem illo mox perpetrata.“ Quod nunc suscepimus, coniecturae quidem nostrae debetur, sed quae et sententiae optime conveniat et insuper, quum reputaveris litteras *b* et *v* saepissime a codicis Vaticani scriba permutatas esse, quod in hoc ipso vocabulo accidit c. 16 et 32, lenissima aut paene nulla mutatione comparetur. Praeterea codicis exemplum a Maio exhibitum intuenti patebit pro *L* littera facile *E* scribi vel legi potuisse. Denique elegans et paene ad dictionem poeticam, a qua Tullius his in libris non abstinuit, assurgens est phrasis *bellorum pestes*. Virgil. Aen. X, 55: *belli evadere pestem*. Simile illud *moles belli* apud Iul. Obsequent. de prodig. 118, ubi v. Kapp. p. 195. Verbis *principum caedes* iam designatur illa post Marii reditum insecuta optimatium caedes, sequentibus quae eam exceperunt mox bella civilia, quae omnia iam ut inter se connexa uno colo comprehenduntur.

Nec vero iam meo nomine apstinent] Hic locus laudatur a Frontone Exempl. eloc. voc. *abstinet* e I de rep. Sed vocabulum *meo*, quod est prorsus necessarium, abest a codice de rep. vaticano; id tamen miro casu suppletur a Frontone, qui codice Ciceronis meliore utebatur. Revera vocem *meo* habent, praeter mediolanensem, quatuor vaticani codices Frontonis. Maivs. Vulgo *abstinent*. V. ad II, 41.

sese in illa vita atque otio conservatos putant, gravius etiam de nobeis queruntur et amantius. Sed haud facile dixserim, cur quom ipsei discendei aut visendei caussa maria tramittant * * *.

Et, credo, quia] Recte sic interpunxit Heinr., cui solus Zellius obtemperavit, *credo*, ut sexcenties, ironice accipiens, adstipulante. Creuzero. Ceteri vel *et credo*, *quia*, vel sine distinctione. Mosero, qui *et credo*, *quia* vulgavit, serio ista dicta videntur, allato Brut. 93, 320. Sensu sive leviore, sive graviore *credo* dicatur, ubicunque orationi interponitur, significatur quaedam simulatio, qua quod asseritur, specie dubitationis profertur, veluti Legg. I, 14, 41. 15, 42. Mox vulgo *dixerim*.

amantius] Krarup. coni. *amarius*, recte obloquente Orellio Analectis.

caussa] Sic cum uno Nobbio hic et ubicunque ea vox offertur, scripsi. Cod. constanter *causa*, quod ceteri reddiderunt, spreto diserto Quintiliani testimonio, de cuius fide dubitare nefas videtur, I, 7, 10: *Quid? quod Ciceronis temporibus, paulumque infra, fere quoties S littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur? ut caussae, cassus, divisiones: quo modo et ipsum et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent.* Quae scriptura *caussa* etiamtum reperitur in Lege Rubria, post C. Caesaris mortem lata, cuius locum exscripsit Goettlingius de Lege Titia de scribis etc. p. 8. Utraque exstat in Lege Servilia ap. Sigon. de iud. II, 27. (Grut. p. 507). Atque *caussa* in monumentis aliis recentioris aetatis, quousque eius usus passim retentus fuit, reperitur, veluti in Cardinalii Iscriz. Velit. p. 134. Contra *causa* titulus Vespasiani temporibus incisus ap. Münterum Nachr. von Neapel p. 71: item alius post Augustum inscriptus in Ritteri Elem. gramm. Lat. p. 101. Quid? quod et *accussare* olim scriptum fuisse testatur Cornutus apud Cassiod. de orth. T. II. p. 576. Garet. „*Causam* per unam *s*, nec quemquam moveat antiqua scriptura; nam et *accusare* per duo *ss* scripserunt; sicut *fuisse*, *ivisse*, *esse* et *caussasse* per duo *ss* scriptum invenio. In qua enuntiatione quomodo duarum consonantium sonus exaudiatur, non invenio"; ex quo testimonio simul colligitur, Cornuti aetate antiquiorem scribendi rationem adhuc non obsolevisse, damnatam vero illam a grammatico ex caussa subiecta. Ut vero etiam *accussare* et similia Ciceronem scripsisse credam, adducor auctoritate Cod. Vat. or. pro Fonteio, ubi ea ipsa forma scripturae servata est, p. 55, ubi v. Niebuhrium rem pluribus et egregie persequentem, licet p. 58 *accusatur* p. 60 *accusatos* et p. 63 *accusatio* Codex vitiose ferat. Ibidemque p. 58 et 59 *caussa* scribitur. Infra II, 35 *accusavit*.

tramittant] In *transmittant* mutarunt cum Heinrichio Moserus et Nobbius, in qua scriptura reliquis Ciceronis locis, quibuscunque id verbum exstat, codices, quantum memini, consentiunt: quibus tamen, quum nullus eorum ex vetustioribus sit, haud multum tribuerim. Itaque quid Cicero revera scripserit, quum nemo facile expediverit, in Vaticani auctoritate eo confidentius acquiescendum puto; quo evidentius III, 29 ab eodem *traduxerit* exhibetur. Adde *traferre* in Cod. Med. Ep. ad fam. V, 20, 3. Ceterum cf. Cellar. Orthogr. Lat. T. I. p. 101. Harl. et not. ad VI, 20.

An haec Cicero ad Atticum refert, qui adulescens Athenas olim concesserat causa obsequendi studiis suis, ut loquitur Nepos? Sic idem Cicero acad. I, 2: *meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto, id est* etc. An potius philosophorum, sapientiae anquirendae causa, peregrinationes et labores narraturus erat? Sane de fin. V, 29: *cur Plato Aegyptum peragravit?* etc. *Cur Pythagoras et Aegyptum*

(Desiderantur paginae duae.)

IV. 7. * salvam esse consulatu abiens in contione** p. 259

lustravit et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria transmisit? Quae sunt quodammodo politicae huius lacunae supplementa. Sic loquitur Hieronymus ep. LIII, 1 de itineribus Platonis, Apollonii et aliorum eruditionis causa. Sed enim hoc politico *loco* vox *ipsi* fortasse refertur ad romanos Ciceronis admonitores: nisi forte sequebatur *philosophi*. Iam in sequenti hiatu quid amiserimus, ex utriusque limitis vestigiis haud obscure cognoscitur. Maivs. His adiiciuntur in altera editione: „Nempe dixerat fortasse Cicero, si isti reprehensores mei discendi litteras vel visendi locos celebres causa mari et periculis se committunt; cur ego patriae iuvandae causa civiles fluctus dimicationesque vel etiam exsilium vitarem? praesertim quia patriae, veluti parenti, immo etiam potiore iure, serviendum sit." Non possunt vero *ipsi* alii esse quam qui gravius de Cicerone et amantius questi modo dicebantur, id est amici admonitores, quibuscum hic agit. In sententia abrupta supplenda a Maio haud multum differt Orellius, in Analectis sic dicens: „*sed haud facile dixerim, cur, quum ipsi discendi aut visendi causa maria tramittant*, adeoque, sua sponte exsules, nihilominus tamen beati sibi videantur extra patriam versantes, iidem meum exsilium, quod rei publicae causa, ab iis propter nimium otii studium neglectae, aequo animo, ut sapientem decet, toleravi, miserum iudicent atque calamitosum. Hi igitur, quaeso, de me queri desinant, quoniam ego ipsum illud exsilium, in quod ab impiis civibus pulsus sum, summo potius honori mihi duco."

Ceterum Maio ed. alt. fragmenta duo a Nonio Marc. v. *antiquus* et ab Ammiano Marcell. XV, 5 laudata, quorum antea hoc ut sedis incertae sub calcem librorum sex, illud ob libri primi, ex quo sumptum esset, disertam notam, in huius libri fragmentis collocatum fuit, hic inserenti haud quaquam adstipulor, non quod a sensu commode ea hic non reponantur, sed quod tantus eorum ambitus, ut si quae ad conglutinandas eas sententias opus videantur, addita cogites, lacunae duarum paginarum spatium plane excedant: si quidem quae Maius de conditione singularum paginarum in Praef. X narrat, vera sunt. Trecentas enim fere litteras quum quaeque pagina continere dicatur, illa vero fragmenta litteris numeratis unam paene paginam impleant, quae superest altera non sufficere videtur capiendis iis, quae ad coniungendas disponendasque illas duas sententias necessario olim addita fuerunt. Atque de altero fragmento res est prorsus incerta, quum an ex libris de rep. omnino depromptum sit, adhuc dubitari possit. V. Nobb. apud Orell. ad fragm. T. IV, 2. p. 575. Hoc vero dempto potest quidem priori in hac lacuna locus dari; sed quoniam etiam hoc incertum, nolui et huius et alterius fragmenti sedes semel ab editoribus constitutas mutare. Contrario vitio laborat quod Sebastianius Heinrichio p. 207 laudatus supplendum coniecit, collatis or. in Pis. 3 et Epist. ad fam. V, 2: *tempestatumque iniuriis sese obiiciant, me a civitatis periculis arcere conentur, in quibus, cum nuper rem publicam salvam* etc. Nimirum haec verba lacunae spatio minime sufficiunt. Ultimam vero amissarum vocum *rem publicam* esse, dubitari nequit.

contione] Ex Cod. Maius *contione*, uni Lehnero probatum, quod, a Cod. etiam II, 10 et 31 oblatum, ut ego, de origine vocis nihil nunc curiosus, invitis licet ceteris editoribus revocarem, adductus sum auctoritate duorum satis antiquorum SC. ap. Grut. p. 506 et 507, immerito spreta. Eandemque scripturam servant meliores Codd. or. pro Sextio,

P. R. idem iurante iuravissem, facile iniuriarum omnium compensarem curam et molestiam. Quamquam nostrei casus plus honoris habuerunt, quam laboris; neque tantum molestiae, quantum gloriae; maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus, quam ex laetitia improborum dolorem. Sed sei aliter, ut dixsei,
p. 260 **accidisset, quei possem querei | quom mihei nihil in-**

teste Halmio p. 322; tum Cod. Med. Ep. ad Att. I, 14, 6, commendaruntque Schneiderus quoque Gr. Lat. p. 251 et nuper Klotzius Jahrb. Vol. XL. p. ..., cui tamen *contio* ex *conventio* factum esse statuenti non adstipulor. Quo uti solent ad alteram scribendi rationem defendendam etymo vocis quippe a verbo *concieo* derivandae, id non ante recte adhiberi concedam, quam quae huius originationis ratio sit, exploratum fuerit; quae enim Vossius Etymologico v. *cieo* ut analoga confert, *legio* a *lego*, *optio* ab *opto*, ea plane dissimilia esse patet. Ego quidem vocis originem repetere malo ex *coniunctio*, quod quemadmodum *coniunctus* in *cunctus*, ita in *cunctio* transiit, unde *contio* sine ulla difficultate prodiit. Sed haec in transcursu dicta sunto.

iuravissem] Cod. *iurassem*; illud a m. sec., quam praeeunte Maio ceteri editores secuti sunt, ego quoque, utram licet lectionem probem dubius, interim sequendam putavi. Sed amplius quaerendum ea de re. Certe Cicero ad fam. V, 5 dixit *iurasse iuravit*, neque alius quo plenior verbi forma reperiatur, mihi quidem adhuc sese obtulit, neque hoc fortasse librariorum culpa, quandoquidem Tullium, si usitate loqui voluit, quod eum fecisse credibile est, ex ipso docemur imminuta forma usum esse, hunc in modum disserente Or. 47: „Quid? quod sic loqui, *nosse*, *iudicasse*, vetant: *novisse* iubent, et *iudicavisse*? quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate."

laboris] Cod. *lavoris*; illud m. sec.

neque tantum molestiae, quantum gloriae] Non audiendus Moserus, qui unus ea verba ut supervacanea in suspectis habet. Ceterum de Ciceronis consulatu afferri hic possunt Scholiastae in Maii Auct. cl. T. II. p. 4: *Iam enim coeperat invidiosus consulatus esse Ciceronis, aegre ferentibus plerisque, quod indemnatos cives Romanos iussisset in carcere strangulari.*

ut dixsei] Periit id dictum in lacuna. Maivs. His in alt. ed. subiiciuntur: „Sed tamen lumen affulget ex or. post red. in sen. XIV: *Quod si mihi aeternam esse aerumnam propositam arbitrarer, morte me ipse potius quam sempiterno dolore multassem — Quae si semper abessent, magis vestras fortunas lugerem, quam desiderarem meas.* Quem locum Maii notae ed. pr. Moserus ex Add. apposuit. De ratione totius loci optime Handius Tursell. T. I. p. 269 adversus Beierum disputavit, *aliter ut* pro *aliter atque ut* hic dictum ratum. Vulgo *dixi*.

querei] Cod. *quaeri*. Ceterum Moseri interpunctionem secutus sum, dum cum Maio alii, quibus se et Orellius et Nobbius adiunxerunt, post *queri* signum interrogationis ponunt, puncto mox post *evenisset* posito. Eadem loci ratio est c. 6: *qui convenit . . . quom* etc., ubi similiter ab Edd. nonnullis peccatum est.

quom] Vulgo *quum*, ut Cod., vel *cum*. Ita etiam mox.

inproviso] Ita ex Cod. Maius; ceteri *improviso*.

proviso, nec gravius, quam exspectavissem, pro tanteis meeis facteis evenisset? Is enim fueram, quoi quom liceret aut maiores exs otio fructus capere, quam

quoi] Vulgo *cui*. V. ad III, 11.

quoi quom] Haec quum a *dubitaverim* excipiantur, quo verborum concinnitas tollitur, haud immerito VV. DD. offenderunt, audacius vero, *qui* corrigerent, cum Cicerone agentes, quorum agmen duxit Wolffius Observ. crit. in Ciceronis Oratt. pro Scauro et pro Tullio et libb. de rep. fragmenta, Flensburgi 1824: qui quum, quod nemini non statim in mentem veniat, *qui* pro *cui* reponendum coniecisset, plausum tulit non solum Censoris nescio cuius in Seebodii Bibl. crit. 1825. No. 4. p. 445, sed etiam, quod miror, Beieri in Pädag. philol. Litt. blatt 1826. Sect. II. No. 22 p. 187. At illa coniectura, quam non plane improbavit Orellius, ideo iam reiicienda, quod sublato dativo *cui* quae sequuntur verba *quam ceteris* non recte habent, quicum comparentur: nam aegre cum Beiero *mihi* mente suppleas. Mihi quidem, ut Orellii verba et sententiam repetam, *ἀνακόλουθον*, quod in loco inesse negari non potest, facile ferendum videtur, modo ne quod *ἀνακόλουθον* appellavi cum iis confundas, quae scriptori per neglegentiam excidisse dicuntur eique iure vitio vertuntur, quale v. c. est illud Div. in Caecil. init. *siquis miratur me — descenderim*, quod qui Ciceroni correctione eripere student, ii Ciceronem ipsum corrigere putandi sunt, sibi talia permittentem, veluti in his de N. D. I, 5, 12: *ex quo existit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur*, ubi v. Heindorf. Ad logicae rationem scribendum fuerat Ciceroni *is enim fueram qui quum ei*; quod quum languidum esset, scripsit id quod consuetudo dicendi Latina in eo dicendi genere, quo duae constructiones ad eandem quidem personam relatae, diversis vero struendi modis disiunctae iuxta reperirentur, in usum recepit. Pronomen enim non bis tum, sed semel et forma quidem relativa ita poni solet, ut aut a primario aut a proximo enunciato regatur, alterum vero ex contextu intelligatur: quale est quod, ut ne ultra huius libri fines transgrediamur, cap. 6 fin. legitur *quibus nesciret an aliquando uti necesse esset*: quae verba sensu apertissimo nemini offensioni fuerunt, ad logices vero regulas exacta manca sunt. Addo unum Caesarem B. G. I, 40: *Denique hos esse eosdem, quibuscum saepenumero Helvetii congressi non solum in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque superarint*, ubi v. Scheiderum. Quae tota dicendi ratio, qua duae constructiones in unam conflantur, a laudabili studio inutilem verborum abundantiam vitandi repetenda videtur. Eodem ni fallor modo, licet aliis verbis et quidem regula quadam dicendi paullo obscuriore formula concepta rem expedire studet qui nuperrime hunc locum tractavit, Klotzius Quaest. Tull. I. p. 17 et 18, qui dum cum Orellio de elegantia huius elocutionis rixatur, recte hoc quidem admonuit, concinnitatem orationis et facilitatem hac constructione multum iuvari. Neque aliter iudicasse de hoc loco Moserus videtur, quum adnotaret: „Paulo rarior est haec constructio, pro *qui, cum ei* v. *mihi* liceret etc.“ et facile largior, paullo audacioribus eius generis formis loquendi nostrum locum accensendum esse. Neque aliter de hoc loco statuit Otto attractionis nomine illam struendi formam omnium fortasse optime defendens: „Hoc loco, inquit, quamquam recte Orellius inutilem coniecturam *qui* reiecit, non tamen recte fecit, quod hanc orationis structuram *ἀνακολούθῳ* defendere studuit, quum sit attractio, quae dicitur, Ciceroni usitatissima, qua relativum demonstrativumque oratio-

cetereis, propter variam suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixseram; aut sei quid accideret acerbius universeis, non praecipuam, sed parem cum cetereis fortunae condicionem subire: non dubitayerim, me
p. 49 gravissumis tempestatibus | ac paene fulminibus ipseis

nis membrum ita inter se coniunguntur, ut pronomen relativum ad praecedentem structuram relatum, sequatur tamen casum demonstrativum enuntiati insequentis omissum. Dicendum enim erat *qui quum mihi liceret, non dubitaverim*. De qua orationis forma copiose exposuit Krüger Ueber die Attraction der Lat. u. Gr. Sprache. Grammat. Untersuch. Fasc. II. §. 96. p. 239, cuius exemplis adde quae dixerunt Kritz. ad Sallust. Cat. 11, 2. Stuerenburg. ad Cic. pr. Arch. p. 185 et ad c. 10, 25. Cfr. Cic. in Verr. I, 9, 25. in Catil. II, 3, 5. Ep. ad Brut. I, 15 extr. pr. Mil. 31, 84. pr. Cael. 22, 54. Philipp. VIII, 8, 25. Tusc. disp. V, 15, 45. Adde Handii Lehrbuch p. 385. §. 14." Adde Madvig. Ep. cr. ad Orell. de Cic. Verr. p. 106 seq. — Mox vulgo *ex* et *vixeram*.

acerbius] Cod. *acervius*, a m. sec. correctus.

universeis, non praecipuam] Franckius *universis, si non praec.*, ab Orellio Anal. p. 593 recte refuratus.

condicionem] Plerique *conditionem*, ut Moserus. In hac scripturae fluctuatione, donec qua forma Cicero usus sit, aliquis certis argumentis demonstratum dederit, Codicis lectionem (v. et cap. 27. 32. II, 26) reddere tutissimum visum, etiam in Ambrosiano Plautini Trinummi repertam, nuperque defensam a Lindemanno ad Plauti Amph. I, 1, 108 et Wagnero Orthogr. Virg. p. 422. Ceterum de vocis origine, secundum quam *conditio* scribendum esset, haud male nuper disputavit Harlessius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. No. 65.

tempestatibus] Confer Cic. pro Sextio XXI. Maivs ed. alt.

paene] Cod. *paenae*. Heinrich.: „*ac paene* idem quod et paene dicam: maius quid aut vehementius addit minori aut leniori." Cf. Handii Tursell. T. IV. p. 421.

fulminibus] Hanc utrum lectionem m. sec., an *fluminibus*, quod offert Codex, adoptemus, quum arbitrio nostro relictum sit, illam cum ceteris editoribus praetuli eam potissimum ob caussam, quod in tota hac metaphora aliquid requiri videatur, quod cum gravissimis illis tempestatibus, quae commemorantur, apte iungatur, quod in fulmina quidem recte, minus vero in flumina quadrat. Praeterea fluminis decursum quum nemo flectat, insani foret obvium ei se ferre. Atque eo sensu metaphorico *fulmina* absolute dici, comprobat Livii XLV, 41 locus Censori allatus in Seebodii Bibl. Crit. 1825. No. 4. p. 445. In qua lectione recepta unum illud *obvium ferre* me offendit, quod quum haud aliter quam de vera obviam itione dicatur, ut Or. pro Plancio 40: *quum ipsa paene insula mihi sese obviam ferre vellet*, alii videant an fulminibus recte conveniant, quorum quidem ictus animo tranquillo et intrepido exspectare, non autem eludere possumus. Illis vero, qui *fluctibus* ex coniectura reponendum suaserunt, Beiero, Wolffio et Bakio, Schützii verbis respondendum esse Censor l. vidit: „Equidem si Cicero metaphoram sumsisset a tempestate maritima, pro *fluminibus* mallem *fluctibus*. Sed si ad procellam ac tonitrua in itinere terrestri respexit, utique praestat *fulminibus*. Illud vero alienum esse, res ipsa loquitur." Mosero in Maium, qui in subsidium receptae a se lectionis *fluminibus* Bibliorum vulgatam in Ecclesiastico IV, 32 vocasset, non sine irrisione in-

obvium ferre, conservandorum civium caussa, meeisque proprieis periculeis parere commune reliqueis otium. 8. Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasei alimenta exspectaret a nobeis, ac tantummodo, nostreis ipsa commodeis serviens, tutum perfugium otio nostro suppeditaret, et tranquillum ad quietem locum; „sed ut plurumas et maxsumas nostrei ani|mei, ingenei, consilei parteis ipsa sibei ad utilitatem suam pigneraretur;“ tantumque nobeis in nostrum privatum usum, quantum ipsei superesse posset, remitteret. p. 50

vecto hic his in ed. alt. nunc respondit: „Cod. 1 manu *fluminibus;* verum postea scriptis lineis – supra *l* et *u*, emendatum fuit *fulminibus*. Mirum autem videri debet, quod eadem lectionis varietas occurrit in Hieronymi epistula LXXXII. 6. Ceteroquin priori lectioni suffragatur ipsius Tullii locutio de hac eadem re disserentis pro Sext. XX [ubi tempestatum, minime vero *fluminum* mentio]; tum etiam divini Ecclesiastici dictio cap. IIII, *ne coneris contra ictum fluvii;* quod Itali dicunt, *non andar contr' acqua*. Sic denique loquuntur etiam Fronto ad M. Ant. aug. II, 10, Symmachus ep. III, 43 et Photius ep. V. Quod autem hoc loco ait vir illustris Moserus nequicquam me citavisse biblicam auctoritatem, cuius latinitas ab elegantia abest, primum quidem aio interpretationem hanc antiquissimam haud esse contemnendam, locuplete auctore sententiae doctissimo Michaëlis, neque ipsis lexicographis negligendam. Deinde moneo, me non tam de vocabulo agere quam de locutione; huius autem proverbii et similium idoneam apprime vim esse ad confirmandam Tullii lectionem *fluminibus;* ita ut Cicero praedicto proverbio utatur. Equidem malo *fulminibus;* interim tamen et aliam lectionem non pessimam commodis exemplis illustrandam putavi.“

caussa] Vulgo *causa*.

meisque proprieis] Iis, quae Moserus de usu v. *proprius* possessivis iunctae monuit, adde congesta exempla in Iahnii Jahrb. 1832. Vol. VI. p. 11, quorum in uno ap. Cic. pro Sextio 7, 15 pariter exstat *suis propriis periculis*. Infra IIII, 5: *propriam aut suam rem*.

alimenta] Aptissime *alimenta*, ut graece τροφεῖα. Mr. Maivs ed. alt. sed ut plurumas — pigneraretur] Locum citat ex I de rep. Nonius voc. *pigneraretur*. Eundem se legisse satis significat Nectarius doctus ethnicus apud Augustinum ep. XC et CIII; immo id adfirmat Augustinus ep. XCI ad eum scribens: *intuere ipsos de rep. libros, unde illum affectum amantissimi civis ebibisti*. Locum imitatur Lucanus II, 382: *patriaeque impendere vitam — nec sibi, sed toti genitum se credere mundo*. Denique hunc locum esse platonicum monet ipse Cicero off. I, 7. Maivs ed. alt.

plurumas] Vulgo *plurimas*, et mox *maximas*.

ingenei] Vulgo *ingenii*.

consilei] *Consili* affertur ex Guelph. Nonii. Vulgo *consilii*.

parteis] Vulgo *partes*.

remitteret] Quae in priore ed. Maius attulerat, nunc auctiora in alt. sic repetit: „Ita [*remiteret*] cod. consonâ haud duplicata, quam lectionem

V. 9. Iam illa perfugia, quae sumunt sibei ad excussationem, quo facilius otio perfruantur, certe minume sunt audienda; quom ita dicunt, accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum
p. 89 **quibus compararei sordidum, confligere | autem, multitudine praesertim incitata, miserum et periculosum sit. Quam ob rem neque sapientis esse, accipere habenas,**

idcirco retinui, quia huiusmodi mihi aliae se in antiquis codd. obtulerunt; v. gr. in ambrosiano plautinae Vidulariae palimpsesto *naravisti* pro *narravisti*; immo diserte Cassiodorius apud Putsch. p. 2291 scribere iubet *naratio* cum unica *r*. Tum in vulgatis a me Ciceronis fragmentis pro Tullio VI et in Clodium I, 4 legitur *aderet* pro *adderet*." Hic Maio diversa miscenti librariorumque vitiis miram habenti fidem nemo, credo, aures praebebit. Alia est Ciceronis scriptura, alia Plauti, cuius de consuetudine ego nil deciderim. Certe quantum ad vocem *narrare*, constat utrum una an geminata littera canina scribenda esset, inter ipsos veterum grammaticos, quorum principi Varroni simplex scriptura placebat, litem et controversiam fuisse. Cf. Schneideri Gr. Lat. I, 9. p. 429. Atque Umbros unam *r* posuisse, testatur *naratu* in Tabulis Eugubinis obvium, v. Welckeri Mus. Rhen. I. p. 382. Ceterum quod Scioppio duce Moserus narrat, antiquitus, quum una littera esset duplicanda, simpliciter quidem eam poni, sed maioribus ductibus scribi solitam esse, ut v. c. ESE pro ESSE exararetur, id erroneum esse intuenti patebit exemplum SC. de Bacchanalibus summa fide nuper ab Endlichero tabula aerea repetitum post Catal. MS. bibl. Vindob. T. I, in quo titulo verbum illud sine ulla ductuum varietate in littera S non uno, sed pluribus locis reperitur.

excussationem] Vulgo *excusationem*. V. ad I, 3.

certe] V. Handii Tursell. T. II. p. 15 sq. Mox vulgo *minime* et *cum*.

praesertim] Cod. *presertim*.

accipere habenas] Controversiam, utrum sapienti sit gerenda respub., attingit etiam Aristoteles reip. VII, 2 et Cicero pro Sextio cap. X cum interprete Vaticano p. 130. Eandem prolixe versat atque in sententiam Ciceronis concedit Themistius in oratione adversus eos, a quibus ob praefecturam susceptam vituperabatur. Ipse Cicero ad Att. II, 16 (confer etiam VII, 3) hac super re contrarias memorat Dicaearchi et Theophrasti opiniones, quorum ille *τὸν πρακτικὸν βίον* longe omnibus anteponebat, hic autem *τὸν θεωρητικόν*. Socraticorum Aristippi et Antisthenis, quorum prior fugiendam, alter administrandam sapienti ajebat esse remp., scribit Augustinus C. D. XVIII, 41. Tum et Hieronymus ep. CXXX, 17 memorat controversiam celebrem, *utrum solitaria, an cum multis vita melior sit*. Ceteroquin apud Laertium II, 5, 14 ipse Socrates otium rerum omnium pulcherrimam esse statuit. Quin etiam Eusebius praep. ev. XII, 9 adfirmat fugienda esse publica munera. Peripateticis vitae degendae quietam rationem sapiente dignissimam visam esse, quia deorum vitae sit simillima (quare et Epicurus providentiam sustulit, ut Deum otiosum faceret) docet idem Cicero de fin. V, 4; qui tamen IV, 2, 3 et de divin. II, 1, et acad. IV, 36 ait multos peripateticos de capessenda rep. scripsisse, eorumque praeceptis politicis claros viros instructos, magistratibus bene esse perfunctos. Tulliani huius prohoemii controversiam, eiusque confirmationes et *ἀνατάσεις* operae praetium erit cum Platonis sexto de rep. libro conferre, ad quem Cicero respexisse

quom insanos atque indomitos impetus volgi cohibere non possit, neque liberalis, cum impureis atque inmanibus adversarieis decertantem, vel contumeliarum verbera subire, vel exspectare sapientei non ferendas iniurias, proinde quasei boneis et fortibus

videtur. Legatur etiam Plutarchus de stoicorum repugnantiis. MAIVS ed. alt. Mox ex Cod. vulgatum *cum*: alii *quum*.

volgi] Ita cum Codice Maius. Ceteri *vulgi*.

cohibere] Similis locutio apud Cic. philipp. III, 2. Mr. MAIVS ed. alt.

inmanibus] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imm*.

contumeliarum verbera] Augustinus Confess. VIII, 7: *quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam?* Cic. Ep. ad fam. XVI, 26, 1: *verberavi te cogitationis tacito dumtaxat convicio*, et Ep. 27, 1: *mirificam mihi verberationem cessationis epistola dedit.* Petron. Sat. c. 132. OTTO.

proinde] Haud plane mihi cum Orellio convenit, in fluctuatione, qua in libris *proinde* et *perinde* fertur, ad h. l. adnotante, in se spectatum unice rectum hic esse *perinde quasi*, sed ex nostris Cdd. quaestionem decerni non posse, utrum Cicero eiusque aequales, an seculum demum tertium et quartum post Christum natum utrumque vocabulum confuderint. V. eiusdem Garatoniique notas ad Or. pro Mil. 7 (ed. sing. a. 1826) p. 58 et 177. Ut enim verissimum est, *perinde ac, quasi* cet. nonnisi in comparatione poni, quod usu Taciteae formulae assiduo *non* vel *haud perinde* extra omnem dubitationem ponitur, de cuius ratione exposuit Stuerenburg Comm. ad Cic. Off. p. 132, collatis quae ipse olim monui ad Dial. de orat. 5. p. 10, tamen nihil impedit, quo minus etiam *proinde quasi* et similia licet diversa ratione dicta existimemus. Quae enim propria vis vocis nude positae sit, planum faciunt eiusmodi loci, qualis est Vergilius Aen. XI, 383: *Proinde tona eloquio* (ubi est dissyllabum, Servio iam notante, uti in locis mox afferendis Plautinis et Lucretianis), hoc sensu: perge, ut occoepisti, tonare eloquio. Habet igitur quandam vim comparationis, qua ad praecedentia refertur, ferme ac nostrum *weiter, fort, sofort*, quae significatio cum ipso vocis etymo convenit. Quae vis comparationis clarior exsistit, ubi *ut* adsumit, veluti apud Plautum Amph. 63:

faciam sit proinde ut dixi tragicomoedia,

vel I, 1, 59:

respondent, bello se et suos tutari posse: proinde uti
propere de finibus suis exercitum deducerent,

vel apud Lucretium IV, 657:

namque figurarum ratio ut motusque reposcunt,
proinde foraminibus debent differre figurae;

tum etiam clarior, ubi *ac* vel *quasi* adiungitur, veluti apud Lucretium III, 1047:

Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset,

et vs. 1066:

si possent homines, proinde ac sentire videntur,
pondus inesse animo . . . cognoscere.

Ab hoc dicendi genere nihilo differre patet, quae apud Ciceronem leguntur, primum nostro de rep. loco; tum pro Milone 7: *nisi aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Hoc enim saepe ab istis dicitur.* [Postrema haec verba puta

p. 90. **et magno animo praediteis | ulla sit ad rem publicam adeundei caussa iustior, quam ne pareant improbeis, neve ab eisdem lacerarei rem publicam patiantur, quom ipsei auxsilium ferre, sei cupiant, non queant.**

tanquam in parenthesi dicta.] *Proinde quasi Appius ille Caecus viam munierit . . . ubi impune sui posteri latrocinarentur*, quo loco quum codd. quidam *perinde* habeant, *proinde* tamen firmatur auctoritate Erfurtensis. Sine ulla vero lectionis discrepantia in his c. 31: *Nisi forte idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem . . . qualis, aut ubi sit sentire possimus.* De legg. II, 19, 40: *ut, si qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit*, ubi Goerenzius inter alia apte confert Ep. ad Att. III, 13 *proinde habebo, ac si scripsisses nihil esse.* Praeterea adstruxit usum formulae *proinde atque* Orellius ad h. l. ex Lege iudiciaria Galliae Cisalpinae col. 1, 17, ita ut omnis hic usus nulla amplius suspicione prematur. Iam vero his exemplis inter se collatis patet, *proinde*, etsi comparationi inserviat, eam tamen non esse directam, in qua membra comparationis paria sint, ita ut neutrum sine altero esse possit: immo vocem tum usurpari solere, quum explicationis caussa aliquid simile addendum videatur, ea vi, qua nos dicimus *als ob.* Quam consuetudinem soli, quantum sciam, poetae deseruerunt, quorum Plautus in directa comparandi ratione dixit Amph. II, 1, 35:

at te ego faciam hodie proinde ac meritus es,

et II, 2, 53:

atque me nunc proinde appellas, quasi multo post videris.

Lucretius IV, 648: *omnes animantes, ut sunt dissimiles extrinsecus . . . proinde et seminibus constant* [leg. *distant*] *variantque figura.*

caussa] Ex Cod. Edd *causa.* Illud Nobbius quoque.

neve] Schütz. *neque.*

eisdem] Ex Cod. Maius *isdem.* Ceteri *iisdem.*

lacerari] Cod. *lacelari*, quod retinendum non iudicavi, quamquam codicis emendator nihil mutavit. Confer infra de rep. I, 14. Scaurus tamen p. 2252 probe observat, hasce consonas inter se mutuis vicibus fungi; cuius rei maximum argumentum esse ait, quod qui R exprimere non possunt, aut L dicunt aut S. (Ita ait etiam Plutarchus quaest. rom. t. VII. p. 122. Sic apud Cic. ad fam. IX, 21 *Papisii* pro *Papirii*, et apud Liv. II, 31. III, 8 *Vetusii* pro *Veturii.* Confer Quintil. inst. I, 4. Ita variaverunt etiam Etrusci; Lanz. L. E. t. I. p. 258.) Nec minus quod *capra* per diminutionem *capella* dicitur; et *frater fratellus.* Iam postremam hanc vocem vernacula Italorum lingua retinet, neque tamen *frater* abiecit: at *capram* contra retinet, diminutivo *capella* non gaudet. De *l* pro *r* lege etiam Polybium in excerptis vatic p. 440. adn. Immo et Chaldaei scribunt גרגליתא margarita, ל pro ר. *R* mutatur in *l* in dialecto quadam aegyptiaca, nec non in inscriptionibus Sassanidum. Consule Champollionium *précis* etc. p. 63. Maivs ed. alt. Idem in Addenpis p. 385: „Sic de rep. VI, 16 quidam codd. lagomarsiani habent *plelara* pro *praeclara.*“ Hoc est doctrina abuti in defendendo vitio librariorum minime obscuro.

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum.* Mox vulgo *auxilium.*

non queant] Bona est in primis et platonica (reip. I. p. 347) ca-

VI. 10. Illa autem exceptio quoi probarei tandem potest, quod negant, sapientem suscepturum ullam reei publicae partem, extra quam sei eum tempus et necessitas coegerit? quasi vero maior quoiquam necessitas accidere possit, quam accidit nobeis; in qua quid facere potuissem, | nisei tum consul fuissem? Consul autem p. 83
esse quei potuei, nisei eum vitae cursum tenuissem a pueritia, per quem equestrei loco natus pervenirem ad honorem amplissumum? Non igitur potestas est ex tempore, aut, quom velis, opitulandei reei publicae,

pessendae reip. causa haec, qua neglecta homines egregii haud raro habenas deterioribus permiserunt cum publico incommodo. Quare Isocrates ad Nicocl. ed. Auger. p. 64: *δεινὸν τοὺς χείρους τῶν βελτιόνων ἄρχειν, καὶ τοὺς ἀνοητοτέρους τοῖς φρονιμωτέροις προστάττειν.* Tum et Augustinus C. D. IV, 15 ait: *peius esset ut iniuriosi iustioribus dominarentur.* Tum V, 19: *illi qui vera pietate praediti bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus humanis, quam si Deo miserante habeant potestatem.* Cicero de off. I, 21: *iis qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus et gerenda res publica est.* Philo lib. III. ed. Mangey t. I. p. 131 allegoriae sacrarum legum: *ἀεὶ τὸ κρεῖττον ἄρχειν, τὸ δὲ χεῖρον ἄρχεσθαι δεῖ.* Tum etiam divus Basilius apud Damasc. parall. p. 567: *καλὸν ἀεὶ τὸ χεῖρον ὑπὸ κρείττονος ἄγεσθαι.* Laërtius in vita Zenonis segm. CXXI: *πολιτεύεσθαι δεῖ τὸν σοφόν· καὶ γὰρ κακίαν ἐφέξειν, καὶ ἐπ' ἀρετὴν παρορμῆσαι κακὸς ἔσται.* Confer Cassiodorium var. II, 2. Cato minor, ut improborum potentiae resisteret, tribunatum affectavit. Plut. in eius vita cap. XX. Maivs ed. alt.

quoi] Vulgo *cui* et mox *cuiquam*. V. ad III, 11.

extra quam] Vocabulum *exceptio* subsequente *extra quam* a Cicerone poni solitum observavit Moserus, nempe de inv. I, 33. II, 19. ad Att. VI, 1. Maivs ed. alt.

possit] Ita cod. 2 manu; at 1. *posset*. Maivs.

nobeis] Ita *nobis* et mox *potuissem*, cuiusmodi locutio haud infrequens in Tullio est. Immo verbo *nobis* videtur Tullius fratrem secum significare, cui, ut puto, inscribitur hoc opus. Legatur autem de or. I, 1, 2, ubi similes et dictiones et sententiae sunt. Maivs ed. alt. Quod de fratre monitum, explosimus in Prolegomenis, ubi de operis dedicatione sermo fit.

equestri loco natus] Novitatis suae, ab aequalibus ipsi saepe obiectae, Cicero passim mentionem facit, veluti pro Sylla 7: *At hic etiam facetus esse voluisti, cum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti*, ad quem locum v. Schol. in Maii Auct. cl. T. II. p. 257.

amplissumum] Vulgo *amplissimum*.

ex tempore] Ita cod. 1 manu; sed 2 haud scio an *in*. Maivs. Hanc lectionem, frustra a Zachariae Staatswissenschaftliche Betrachtungen über Cicero's Werk vom Staate, Heidelbergae 1823. p. 49 defensam, alienam ab hoc loco esse, evincunt quae de utraque formula Moserus, idoneis formulae *ex tempore* exemplis allatis, quibus adde pro Flacco 15, disseruit. Mox ex Cod. Maius *cum*, ut alii: alii *quum*.

quamvis ea prematur periculeis, nisei eo loco seis, ut tibei id facere liceat. 11. Maxsumeque hoc in hominum doctorum oratione mihei mirum viderei solet, quod,
p. 84 quei tranquillo | marei gubernare se negent posse, quod nec didicerint nec umquam scire curaverint, eidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitateis maxsumeis fluctibus. Istei enim palam dicere, atque in eo multum etiam gloriarei solent, se de rationibus rerum publicarum aut constituendarum aut tuendarum nihil nec didicisse umquam nec docere; earumque rerum scien-
p. 85 tiam non docteis hominibus | ac sapientibus, sed in illo genere exercitateis concedendam putant. Quare quei convenit pollicerei operam suam reei publicae tum denique, sei necessitate cogantur, quom, quod est multo proclivius, nulla necessitate premente rem publicam regere nesciant? Equidem, ut verum esset sua voluntate sapientem descendere ad rationes civitatis non so-
p. 86 lere; sin autem temporibus cogeretur, | tum id munus denique non recussare: tamen arbitrarer hanc rerum civilium minume negligendam scientiam sapientei, propterea quod omnia essent ei praeparanda, quibus nesciret an aliquando utei necesse esset.

VII. 12. Haec plurumeis a me verbeis dicta sunt ob

prematur] Cod. 1 manu *praematur*; 2 *inprematur*, nempe ab *inpremo*; quod non probo. Maivs ed. alt.

Maxsumeque] Vulgo *maximeque*.

gubernare se negent posse] Confer Cic. de orat. I, 38. Maivs ed. alt.

nec umquam] Habemus hic *nec* ante vocalem, quo de usu v. Excursum X. Nonnulli *unquam*, ut etiam mox.

eidem] Vulgo *iidem*. Mox *maximis*.

nec docere] Sic omnino loquitur anonymus scholiastes graecus a me editus ad Danielem p. 162. Et memento a Graecis quoque, v. gr. Didymo et Petro magistro, lectum Ciceronem de rep., ut in testimoniis demonstravi. Maivs ed. alt.

putant. Quare] Bakius coni. *putare*. *At*, quod merito explosit Orellius; *quare* in transitione iam Moserus adverterat.

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum*.

id] Cod. *it*, susceptum Maio, editorum nullo, ut par fuit, obtemperante.

recussare] Vulgo *recusare*, et mox *minime*. V. ad c. 3.

plurumeis] Vulgo *plurimis*. Moserus malebat *pluribus*, non sine

eam caussam, quod heis libreis erat instituta et suscepta mihei de re publica disputatio; quae ne frustra haberetur, dubitationem ad rem publicam adeun|dei in p. 79
primeis debuei tollere. Ac tamen sei quei sunt, quei philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper atque audiant eos, quorum summa est auctoritas apud doctissumos homines et gloria; quos ego exsistumo, etiam sei quei ipsei rem publicam non gesserint: tamen quoniam de re publica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo reei publicae munere. Eos vero septem, quos Graecei sapienteis nomi|naverunt, omneis paene video in media re publica p. 80
esse versatos. Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana,

caussa, sed ad mutandam Codicis scripturam mehercle non sufficiente. Verum quidem et multis exemplis a Mosero et ab Orellio, qui Mosero adsentitur, demonstratum est, *pluribus verbis aliquid dicere* Ciceronis consuetudini convenire, de qua insuper adi Heusing. ad Off. III, 32: sed haud minus verum, et alterum dicere ei licuisse et in ipsis exemplis ab Orellio allatis nonnulla reperiuntur, quibus ut *plurimis* recipiatur, auctoritas codicum ab ipso notatorum suadere videatur.

Ac tamen] Ita solet noster dicere pro *sed tamen* in tali nexu etc. Moservs. Cf. Handii Tursell. T. I. p. 489. Madvigii Opusc. T. I. p. 492.

atque] Ita cod. modo *adque* modo *atque*. Maivs. Qua de scripturae fluctuatione dixi ad Apulcium p. 42. Adde Isidori praeceptum in Maii Coll. Vat. T. VI. p. xxxviii et Madvigii Emend. in Cic. libros philosoph. p. 126. Certo autem certius videtur, formas *ad* et *adque* pro *at* et *atque* ad recentioris aetatis, h. e. a quarto ferme inde saeculo grassantem consuetudinem pertinere, cui frustra grammaticae magistri adversabantur. In Vaticano nostro notavi haec exempla: I, 16 (bis). 17. II, 3. 4. 6. 14. 16 (bis). 17. 18. 25. *Adqui* I, 9. 37. II, 16. *At* I, 13 (bis). 17. II, 20. 40. *Adque* tit. in Clarac Descr. du Musée des ant. à Paris 1830. p. 125.

apud] Maius, qui ex Cod. *aput* edidit, quod editorum nullus suscepit: „Ita, inquit, cod. variat *aput* et *apud*. Sed prior scriptura frequentior in antiquis codd.“ Revera autem posteriorem antiquiorem esse, ex iis colligi videtur, quae congessimus Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 6. p. 59 seq. Ac Placidus Glossis in Maii Auct. class. T. VI. p. 555 eandem particulae scripturam commendat. *Aput* praeter nostrum locum exstat scriptum c. 10. 28. 38 (bis). 43. II, 1. 11. 16. 23. 35.

doctissumos] Vulgo *doctissimos*, et mox *existimo*.

sapienteis] Ex Cod. Maius *sapientis*. Edd. *sapientes*. De forma restituta v. ad 1, 34 *civitatium*.

omneis] Rursus ex Cod. Maius *omnis*. Edd. *omnes*.

propius] Cod. *proprius*; sed altera r videtur expuncta. Maivs.

quam civitateis aut condere novas aut conservare iam conditas.

VIII. 13. Quibus de rebus, quoniam nobeis contigit, ut eidem et in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum consecutei, et in explicandeis ratio-
p. 55 nibus rerum civilium quandam facultatem, non mo|do usu, sed etiam studio discendei et docendei essemus auctores; quom superiores aliei fuissent in disputatio-

civitateis] Ex Cod. Maius *civitatis*. Edd. *civitates*. V. ad I, 34 *civitatium*.

eidem] Ex Cod. Maius *idem*. Reliqui tacite mutarunt in *iidem*.

discendi] Cod. *discedendi*, quem manifestum errorem Krarupius defendere conatus est, vel etiam *disserendi* legi posse censens, recte obloquente Orellio Anal. p. 593. Aptissime post Orellium Otto comparat II, 1: *summum vel discendi studium vel docendi*, ubi Cod. *dicendi*, quo fortasse fretus Schützius nostro loco *dicendi* legendum proposuerat. Similem librariorum errorem notabo ad Quintil. X, 1, 47.

quandam] Vulgo *quamdam*. V. ad I, 44.

essemus auctores] Locum aperte depravatum aut mutilum alii aliter sanare tentarunt. Nobis excidisse *ut* ante *discendi* videtur commate a praecedente *studio* secernendum, deinde post vocem *rudes* tota apodosis, hac fere sententia: *Contuli me ad eam ipsam de re publica disputationem*, quem ad modum Creuzerus hanc lacunam suppleturus est.... Maius *quoniam* delendum esse suspicatur. Heinrich. locum intactum relinquens lacunae signum [post *rudes*] addit. Lehner. *auctores* in *assecuti* mutat, [propositum etiam a C. Z. in Ephem. litt. Ien. 1823. no. 34. p. 272] distinctione maiore post *rudes* posita. Steinacker. reposuit *nacti* pro *auctores*, atque in reliquis anacoluthon statuit ... Wolff. — *discendi, et docendi debemus esse auctores*, idemque ante *nec vero* maximum interpunctionis signum ponit. Moser. in textum recepit *adepti* pro. *auctores*, et apodosin a verbis *nec vero* incipere censet. Zellius. Aliorum conatus tacendos refert Orellius ad locum ipsum et Anal. p. 593, illis ipse haud felicior, sed confidentior, verba *essemus auctores* scilicet ex mala interpolatoris sedulitate nata uncis arcenda ratus; verba enim *essemus consecuti* ad alterum orationis membrum subsequens referri non posse, ipsa eorum sedes indubie indicat, atque insuper eius interpolationis probabilem caussam reperiri negat Reinius Quaest. Tull. I. p. 41, cuius ex sententia pro *auctores* aut *adepti*, aut *assecuti*, aut tale aliquid reponendum. At magnopere me iudice falluntur omnino, qui verbis *essemus auctores* sanatis persanatum totum locum existiment. Desideratur enim apodosis, cui restituendae sani nihil video adhuc allatum. Nam, de lubrica *ἀναχολούθου* ratione, quam statuit Orellius, ut post Wolffium et Beierum huius de figurae abusu bene monentem (Phil. Paed. Littbl. 1826. No. 22. p. 188) nihil dicam, Moserus quum in verbis *nec vero* etc. apodosin contineri putavit, allato Goerenzio ad Acad. I, 11. p. 62, qui doceat, a formula *nec vero* apodosin passim incipere, huius formulae rationem non satis adtendisse videtur, quae copulandi suam vim nullo potest modo plane amittere: et exempla a Goerenzio laudata ab hoc genere dicendi tantopere distant, ut is solo iam apodoseos nomine, quo perperam usus est, culpam contraxisse videatur. Postremo hunc locum sanare

nibus perpolitei, quorum res gestae nullae invenirentur; aliei in gerendo probabiles, in disserendo rudes** Nec vero nostra quaedam est instituenda nova et a nobeis inventa ratio, sed unius aetatis clarissumorum ac**

Torq. Baden in Iahnii Jahrb. Suppl. II. p. 358 sic scribendo sibi visus est: *Quibus de rebus . . . consecuti, et in explicandis rationibus rerum civilium quandam facultatem non modo usu, sed etiam studio discendi et docendi: id essemus auctores, quum superiores alii . . . in disserendo rudes. Nec vero* etc., his ad corroborandam suam coniecturam subscriptis: „*id essemus auctores* d. i. so möchte ich darin Lehrer sein. Möbius hat schon eingesehen, dass in *essemus* der Begriff eines Wunsches liege. Die Construction geht wie in jenem des Terentius Adelph. 4, 8, 16: *idne estis auctores mihi?* Siehe daselbst Westerhov. Die Endsylbe des vorhergehenden Wortes hat *id* verschlungen." Talia refutare non opus videtur. Neque Heinrichio assentior, qui Emend. p. 210 Sebastianii, amici sui, coniectura restitui locum opinatur, sic legendo: ... *discendi et docendi essemus assecuti, recte disputandi et praecipiendi iure nostro quodammodo videmur esse auctores* etc. Scilicet librario parum attento fraudem fecisse similitudinem quandam vocabulorum *assecuti* et *auctores*, ut ab illo statim ad hoc delapsus intermedia ista omiserit. Post tot vana virorum doctissimorum tentamina, etiam in Seebodii Neues Arch. für Philologie II, 1. p. 142 in examen vocata, ego hariolationis novae periculum devitaturus, Codicis scriptura interim servata integra, sic censeo: praeter vitium illud manifestum, quod in verbis *essemus auctores* inest, multo maiorem labem in se hunc locum expertum esse: excidisse enim ea ipsa verba quibus apodosis contineretur, id quod ab aliis iam intellectum fuit, de sede tamen lacunae varias in partes discedentibus. Mihi vero cum Heinrichio et Creuzero, quem Zellius secutus est, alio non posse videtur recte admitti lacuna loco quam post v. *rudes*, et quidem eodem fere quo statuit Creuzerus modo ad sensum supplenda, vel per me licet ea fere dicendi formula, quam Beierus l. c., qui ante *quum superiores* etc. apodosin incipere existimabat, proposuit *non arroganter facere videbamur*, vel *non extimuimus crimen arrogantiae*, vel *non veriti sumus* etc.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Apud ceteros vel hoc, vel *quum*.

aliei] Hic et mox Cod. *ali*, quod unus Maius expressit. An forte Tullius *alei* scripsit, eandem ob caussam, qua dativus *ali* (*alei*) probabiliter ab antiquis dictus est? V. Comm. de pron. tert. pers. p. 30. Ceteri *alii*.

perpolitei] Coeptum in codice scribi *expoliti*; mox factum *perpoliti*. Maivs.

probabiles] Cod. prima m. *provabiles*; mox factum *probabiles*. Maivs.

clarissumorum] Nihil aliud hoc vocabulo nunc designat fortasse Cicero, nisi laudatissimos. Ceterum vel sub primis Caesaribus *clarissimi* dicti sunt senatores, eorumque uxores ac filiae. Deinde vero dignitatis cuiusdam nomen evasit. Haec constant e cod. Iust. XII, 19, 5; tum ex Lampridio Heliog. IV; Tertulliano ad Scap. IV; Augustino C. D. XXII, 8 et ep. CLXXII; Isidoro orig. IX, 4, 12 aliisque auctoribus. Immo etiam in rep. libera *clarissimus* interdum fuit epitheton hominis vel familiae in qua extitisset consulatus; cuius rei exempla protulit atque auctoritates a me observatas cumulavit vir cl. Ioh. Labusius monum. epigraph. christ. mediol. p. 18. 19. Maivs ed. alt. Seriore aetate omnes, qui senatorio ordine digni censerentur, etsi ipsi ordini adscripti non fuissent,

sapientissumorum nostrae civitatis virorum disputatio
p. 55 repetenda memoria | est, quae mihei tibeique quondam adulescentulo est a P. Rutilio Rufo, Zmyrnae quom simul essemus complureis dies, exposita; in qua nihil fere, quod magno opere ad rationes omnium rerum pertineret, praetermissum puto.

IX. 14. Nam quom P. Africanus hic, Paulei filius, ferieis Latineis Tuditano et Aquilio cos. constituisset

veluti professores publice ordinatos, *virorum clarissimorum* nomine appellatos esse, bene docuit Schopen Comm. de Terentio p. 35 sq. Vulgo *clarissimorum*, ut etiam mox *sapientissimorum*.

adulescentulo] Ita ex Cod. Maius: ceteri *adol.* V. ad c. 15.

Zmyrnae] Cod. 2 m. *Smyrnae*, quod susceperunt Heinrichius et Zell. At vide Maium, qui insuper in ed. alt. *Zaguntus* adeo Latinis dictum esse ex Noltenii Lex. antib. demonstrat atque in Add. *Zmyrna* ex Iulio Paride VIII, 1, 22 admovet. V. praeterea auctores Creuzero laudatos. Fatendum vero, aliis locis apud Tullium *Smyrna* reperiri, ut Ep. ad Q. fratrem II. p. 389 ed. Orell. Contra v. varr. lect. in XI Philipp. 2.

complureis] Ex Cod. Maius *compluris*, et ita Steinack. Reliqui *complures*. De forma restituta v. ad I, 34 *civitatium*.

magno opere] Cod. prima manu *magnopere*; mox factum *magno opere*, quae posterior scriptura sapit magis antiquitatem et in palimpsesto Frontonis non semel occurrit. Maivs. Steinack. *magnopere*, sine dubio obsecutus Gernhardio, qui ad Cic. de Off. I. p. 4, ubi minorem vim habeat, post negationem in primis, *magnopere* scribi vult, in maiori vi contra *magno opere*. Moser. Heinrichius, quem Zellius secutus est, *magnopere*, quod suscepit, his defendit: „Loci sunt, ubi *magno opere*, *tanto opere*, *nimio opere*, omnino et unice rectum est; alii, in quibus parum, aut nihil refert, utrum *magno opere* scripseris, an *magnopere*; rursus alii, quibus contracta sola conveniunt: quorum locorum hic quidem est unus. Conf. Goerenz. ad Fin. II. §. 1. IV. §. 73. Gernhard. ad Off. I. §. 3. et al. tum F. A. W. ad Nat. D. I. §. 5." Hic nempe in Anal. litt. Vol. II. p. 291, minime vero doctrinam illam Heinrichianam praedocens, sed Ciceronem plerumque *tanto opere*, *magno opere*, *quanto opere* praetulisse simpliciter tradens. Ut veri in iis quae praecepit Heinrichius aliquid inesse concedam, tamen vellem quando quaeque forma locum sibi vindicaret disertius exposuisset. Nam nulla istinc quam sequare tuto evadit regula. Igitur donec aliquis meliora nos docuerit, in codicum potiorum auctoritate acquiescendum erit. Itaque non debebat invitis libris *tanto opere* scribi de N. D. I, 2, 5. Nostro in loco iudicando ego non aliam discriminis normam invenio, quam ut quod antiquiorem dicendi consuetudinem redoleat, sine caussa a correctore non invectam, praeferamus.

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum*.

Paulei] Nobbe *Paulli*.

Aquilio] Heinrich. et hunc secutus Nobbius *Aquillio*, de qua scripturae differentia difficile ad certam normam exigenda interim consulas Klotzii monita, Jahrb. f. Phil. 1836. Vol. XVII. p. 202, utramque in usu fuisse, illam tamen praeferendam esse censentis. Adde Orellium ad Brut. 42, 154. p. 273 peculiaris ed. a. 1830. In nummis Augusti

aetate cusis constanter quidem *Aquillius* fertur, at in titulo Gruteri p. 150, 7 eius Aquilii, qui a. u. c. 653 consul fuit, nomen per litteram non geminatam scribitur. Ut vero Ciceronem eam scriptionem usurpasse credam, quam ex Cod. exhibui, adducor comparatione analogarum formarum *Rutilius*, *Atilius* etc., de quo v. ad c. 1.

cos.] Vulgo statim post *Tuditano* legitur, quam scripturam praeeunte Maio editores ad unum omnes ad hanc nostram aetatem pertulerunt, nihil, quod non satis mirari possum, in falsa sede notae *cons.* offensi. Quis vero unquam eam statim post primum consulis nomen interponi vidit? Ac vulgaris verborum collocatione in mentione eorundem nominum consularium exstat de N. D. II, 5. De huius notae positu sedulo mihi, ne quid festinantius scripsisse arguerer, quaerenti unus sese obtulit locus in Constitutione Constantini imp., relata in Iuris civilis ecloga, Parisiis 1822. p. 16, ubi sub calcem CONST. CONS. ET CRISPO vulgatur. Sed meliore mox eius Constitutionis, quam Clossius invenit et Cod. Theodos. inseruit (ubi nunc legitur L. I tituli 4 de responsis prudentum prima) exemplo usus, suspicionem meam de vitio illius subscriptionis haud inanem fuisse cognovi. Recte enim ibi CONS post CRISPO, ut par est, legitur. Ceterum postmodum Eclogam illam quum accuratius examinare coepi, tot tantisque vitiis monumenta iuris commaculata tantaque levitate omnia tractata esse animadverti, ut ab eius libri usu omnino cavendum sit. Sed haec per transennam. Quae nemini non statim in mentem veniat coniectura, *cons* illud olim a glossatore margini adscriptum, dein alieno loco ab importuna manu insertum esse, ea nonnihil confirmari posse eo videtur, quod sane in anno designando Romani simpliciter ablativis nominum consularium nonnumquam brevitatis studio usi esse videantur: quod memini in quibusdam titulis sepulchralibus admodum recentis aetatis Christianis me legere. Exemplum suppeditat titulus a. 358 incisus, in Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. p. 511. Quae autem ex antiquioribus illius consuetudinis novi exempla, aut aliena aut dubia sunt. Illuc refero quod apud Gaium Inst. II. §. 254 *consulibus* post consulum nomina a Codice ignoratur, nunc ex coniectura additum, ut mihi videtur, certa, quandoquidem constanti usu illa nota a Gaio apponitur ut v. c. §. 253 et III, §. 63. In dubiis autem pono Lentuli epistolam ad senatum in Cic. Ep. ad fam. XII, 15: *quod cum iis M. Marcello Ser. Sulpicio renovatum erat*, ubi Orellius *consulibus*, necessarium, ut ait, supplementum consulum nominibus recte subiicit; nam omittendi nulla caussa cogitari potest, neque excusatio, praesertim in tali scripto, quo omnia stilo profuso et solemni perscribuntur et a quo alienum quodcunque ab epistolari quandam veniam habet. Neque quis obiiciet Brut. 15, 60: *Nam Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis post illos quos ante dixi, consules mortuus est*, ubi Orellius *consulibus*, graviter reprehensus ab Hanovio Exerc. crit. in Com. Gr. p. 119. Neque serio quisquam abutetur ad defendendam illius verbi omissionem Horatii illis Epist. I, 5, 4: *vina bibes iterum Tauro diffusa*, et si qua his similia reperiuntur. Contra accidisse videtur, ut illa consulatus nota per pravam librariorum sedulitatem alieno loco apponeretur: quod corruptelae genus suspicor experta esse illa Velleii Paterculi verba II, 96: *subinde bellum Panonicum, quod inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio avo tuo Coss. magnum . . . . imminebat Italiae*, a quo loco omnem consulum mentionem alienissimam esse, quum illius belli tempore neque Agrippa neque Vinicius consulatum gessisset, postquam Frandsenius libello inscripto „M. Vipsanius Agrippa, Altonae 1836", demonstravit, compendium illud scripturae *consulari* interpretandum censuit, Reinius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1838. No. 56. p. 458; at neque placet ista epithetorum cumulatio in enuntiato intermedio, neque ipsa eius

in horteis esse; familiarissumeique eius ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixsissent:
p. 273 **Latineis ipseis mane ad eum primus sororis filius venit Q. Tubero, quem quom comiter Scipio appellavisset lubenterque vidisset: Quid tu, inquit, tam mane, Tu-**

epitheti sedes, statim post ipsum hominis nomen, si modo scribendum fuerat, me iudice collocandi. Mihi quidem male a librario additum videtur, qui de consulibus agi opinatus de suo hauc notam adiecisset. Praeterea legendum *ab Agrippa*, quod iam Lipsium video proposuisse. Nostro Ciceronis loco, ad quem redeo, caussa traiectionis istius pravae minime latet. Quum enim ob sequentis verbi *constituisset* initium simile casu excidisset, restitutum quidem fuit a subsequente alio librario, sed non apto loco. Atque librarii culpa hunc locum affectum esse, luculenter testatur ipsa quae in codice legitur forma *Cons*, quam cum altera *con* indubiis exemplis in ullo lapide ante Constantini M. fere aetatem reperiri negat Pelliccia De christ. eccles. politia T. II. p. 247 ed. Ritter. Quem rei palaeographicae arbitrum in paucis peritum secutus non dubitavi Ciceroni *Cos.* restituere, qua nota pluralis antiquos cummaxime usos esse, ostendit Mommsen, Zeitschr. f. d. A. 1846. p. 107. Ut uno exemplo defungar, apud Grut. p. 132, 1 exstat DVOBVVS ASPRIS COS, qui cognomines Aspri a. 212 consulatu functi sunt.

familiarissumeique] Vulgo *familiarissimique*.

frequenter] Cum Mosero Nobb. *frequentes*, cui coniecturae haec opposuit Steinackerus Animadv. et emendat. in Ciceronis de rep. libros Supplemento I (Lipsiae 1840) p. 5: „*Frequenter* hic, ut aliis passim in locis, non *saepe* est, sed frequenti numero. Sic Att. I, 19: *Huic* (Herennio) *frequenter interceditur*, i. e. a multis simul. Cf. Gesner. Thes. voc. *frequenter*; itaque non opus est, ut cum Mosero *frequentes* legamus."

ventitaturos] Ita Cod. 2 m., omnibus editoribus probatum; antea *ventaturos*. Mox Cod. *dixissent*.

Tubero] Cod. *Tuvero*, mox factum *Tubero*. Maivs. Idem vitium in Livii codice Paris. optimo, teste Alschefski ad Liv. XXX. p. xx.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*.

appellavisset] Cod. *atpellavisset*; mox *p* pro *t* scripta fuit posteriore manu. Superius cap. II scribitur prima manu *appellat*. Maivs. Certum videtur, primam manum *adpellavisset* scripturam *t* pro *d* ex crebra harum litterarum confusione posuisse, quam allato hoc ipso loco Freundius ad or. pro Mil. p. 27 ex asperiore quadam minusque urbana pronuntiandi ratione repetit. Eadem quum supra *app.* scripserit, id novum est documentum, in eiusmodi rebus minutis ne eundem quidem scribam sibi constitisse neve certam normam secutum esse.

lubenterque vidisset] Recte breviloquentiam Moserus in his advertit, quippe quae dicta essent pro *libenterque se videre dixisset*. Cicero Timaei init. *Qui quum me . . . Ephesi exspectavisset . . . venissetque eodem Mytilenis mei salutandi et visendi causa Cratippus . . . perlibenter et Nigidium et Cratippum cognovi. Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percontatione consumpsimus*. Ceterum aliorum editorum Tullianorum exemplum secuti et hic et ceteris locis, quibus *libenter* cognataeque eius vocis formae reperiuntur, scripturam per *u*, utpote Tullianae consuetudini unice convenientem revocavimus, nihil morantes, quod in Codice praeterea quatuordecim locis vulgaris forma pertinaciter servatur, *libenter* infra hoc ipso cap. et II, 1, 2.

bero? Dabant enim hae feriae tibei opportunam sane facultatem ad explicandas tuas litteras. Tum ille: Mihei vero omne tempus est ad meos libros vacuum, numquam enim sunt illei occupatei; te autem permagnum est nanciscei otiosum, hoc praesertim motu|rei p. 274 publicae. Tum Scipio: Atquei nactus es, sed mehercule otiosiorem opera, quam animo. Et ille: At tu

libeat I, 17. *libido* I, 38 ter. 40. 42. II, 25. 34. IV, 4. *libidinose* II, 37. Cf. Freund. ad Mil. p. 36, qui eandem aliorum quoque palimpsestorum hac in re inconstantiam notat. Contra genuinam scribendi rationem retinuerunt Codd. rescripti Or. pro Fonteio p. 63 et pro Rabirio p. 82 ed. Nieb., confirmatam Cornuti testimonio apud Cassiodor. de orthogr. T. II. p. 576 Garet., qui *lubido* in antiquioribus libris se reperisse testatus, sua ipsius aetate ut *i* pro *u* scriberetur, tradit consuetudinem inclinasse. Eandem scribendi rationem per *u* servat hic illic Cod. Mediceus Ep. ad Q. Fratrem.

inquit] Ex Cod. Maius *inquid*, quae scriptura etiam exstat c. 11. 15. 18. 36. 37 (bis) 38 (ter) 40. 44. In vitiis vero eam ponendam esse, docet Placidi praeceptum in Glossis in Maii Auct. cl. T. VI. p. 579: *Inquit, t in fine ponenda est: nam si d habuerit, interrogatio est, tanquam si dicas in quid mittas.* Aliter statuentem vide Maium ad c. 15.

tam] Ex Cod. Maius *tan*, quod ita excusat, ut *n* ante *m* plane *m* sonasse contendat. V. ad I, 44 *tamquam*.

tam mane, Tubero] Imitatio Platonis initio Criton. τί τηνικάδε ἀφῖξαι, ὦ Κρίτων; ἢ οὐ πρωΐ ἔτι ἐστί? Cr. Maivs ed. alt.

Dabant] Cod. *davant*; mox factum *dabant*. Maivs.

numquam] Cum Steinackero Moserus *nunquam*, quod tum probabo, quum alteram scribendi formam falsam esse demonstraverit. V. ad I, 44.

nanciscei] Cod. 1 manu *namcisci*, 2 *nancisci*. Maivs.

motu rei publicae] Disputatur scilicet eo tempore, quo C. Gracchus turbulentissimum gerebat triumviratum. (Sic scribo, non *tribunatum*, ut mendose scribit Cicero de am. XII, qui tamen infra de rep. I, 19 *triumviratum* Gracchi appellat.) quo tempore dixerat publice Scipio Tib. Gracchum iure caesum videri. Vide Livii epitomen LIX. Sed de his turbis dicemus inferius. Maivs ed. alt.

Atquei] Ex Cod. Maius *adqui*.

mehercule] Ipse Cicero Orat. 47 libentius ait se dicere *mehercule* quam *mehercules*: quam normam Vaticanus certe librarius per hos libros secutus est, constanter illam formam exhibendo, praeter hunc locum etiam cap. 19 et 38 obviam. Eundem tamen passim etiam altera forma usum esse demonstrat Goerenz. ad legg. I, 16. p. 261. Cf. Zumpt ad II Verr. IV, 14, 32.

At tu] Cod. *at ut*; tum expunctum *ut*. Fortasse metathesis fuit prima scriptura *at ut* pro *at tu*, quam lectionem retinere malui. Maivs. Et retinuere omnes editores praeter Steinackerum, qui *tu* delevit, et Lehnerum, qui cum Censore Ienensi (1823. No. 34. p. 272) *at* eiecit. *Vero*, quod continuo sequitur, Heinrichius deletum vult, ut dictum sit alludendi caussa, quum Scipio modo orsus sermonem esset *atqui nactus es*, haud improbante, nec tamen necessarium iudicante Mosero Schulzeitung 1829. No. 53. p. 436.

vero animum quoque relaxes oportet; sumus enim multei, ut constituimus, paratei, sei tuo commodo fierei potest, abuti tecum hoc otio. *s.* Lubente me vero, ut aliquid aliquando de doctrinae studieis admoneamur.

abuti] Est hic locus unus ex iis, in quibus *abuti* nōn mala illa significatione accipiendum est, quam vulgo huic verbo tribuunt; non potest enim significatio alia esse quam „quantum s. quoad eius fieri potest, quoad tempus patitur, uti otio.“ Qua de re propterea exponendum esse visum est, quod quum olim rarum illum usum dicerent putarentque esse idem quod *uti* (v. Haase adnot. β23 ad Reisigii Scholas de gramm. Lat.) [Adde Iaeger ad Nazar. Paneg. Constant. 30, 3. p. 616 ed. Arntzen. Corte ad Cic. Ep. ad fam. IX, 6, 13] nuper exstitit Klotzius in Iahnii Jahrb. Vol. XXII, 2, qui doceret, *abuti* numquam esse „missbrauchen“, sed semper „in vollem Maasse gebrauchen“; ibi autem, ubi significare videretur, „missbrauchen“, addi adverbia malae significationis, veluti „*perverse* abuti“, ut ap. Cic. de inv. I, 4, ubi non abiiciendam esse voculam *perverse*, id quod Orellius videtur censuisse. Defendere autem studuit antiquiorem sententiam contra Klotzium Harlessius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. p. 806. Sed non sine artificiosa interpretatione omnia exempla ad Harlessii sententiam possunt explicari, v. c. ap. Matium Ep. ad fam. XII, 28, 2: *immoderate abuti* XII, 1, 2: *immoderate* et *ingrate abuti*. Cf. Plancus Ep. X, 15, 1. Cic. IX, 6, 5. XVI, 18, 3. Sed *abuti* simpliciter „missbrauchen“, vel rectius „falsch gebrauchen“ est ap. Cic. Ep. ad fam. XI, 12, 2. Acad. II, §. 143. de legg. I, 16, 45. [Adiice Cic. pro Rosc. Am. 19, 54. Topic. 3, 17; *Usus enim, non abusus legatus est*, ubi v. Boeth. in ed. Orell.] Ego si quod sentio edixero, mihi te non prorsus adversaturum scio. Mihi autem idem huic verbo accidisse videtur, quod Madvigius in Exc. III ad Cic. de fin. p. 822 multis viris doctis accidere dicit, ut quum semel edictum sit, hoc et illud differre, plerique neque in summa scribendi industria spatium habeant inquirendi, sitne utrumque certum et quo genere quaque constantia testimoniorum confirmetur, neque committere audeant, ut proprietatem subtiliter scilicet expositam ignorare, aut non intelligere videantur, potiusque, si quod mendum in recentissima aliqua chartula occurrat, id arripiant et aut nominum auctoritate aut ipsi aliqua excogitata interpretatione exornent. Quae quam sit vera philologorum notatio, id nuper manifestissimo exemplo satis cognosse mihi videor. Nam quum non indocti tantum ludorum magistri, sed doctissimi quoque viri, in quorum numero est Doederleinius, non desinant docere, *contingere* dici in rebus secundis tantum, collectis ego omnibus exemplis, quibus illa significatio huius vocabuli vel confirmaretur vel reiiceretur, totidem locos Ciceronis inveni, in quibus de rebus adversis dictum sit, quam in quibus de secundis, ut Tusc. V, §. 15: *quid si idem — paupertatem, ignominiam, infamiam timet, si debilitatem, caecitatem; si denique, quod non singulis hominibus, sed potentibus populis saepe contingit, servitutem* etc. Fin. IV, §. 75: *aeque contingit omnibus, ut incontentae sint.* Off. II, §. 65: *ut omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est, idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit.* §. 50: *Sordidum ad famam, committere ut accusator nominere, quod contigit M. Bruto.* De senect. §. 71: *quid est — tam secundum naturam, quam senibus emori, quod idem contingit adolescentibus.* Lael. §. 8: *nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii.* Ep. ad fam. V, 16, 5: *si tibi unum hoc detrahi*

X. 15. Tum ille: Visne igitur, quoniam et me quodammodo invitas, et tuei spem das, hoc primum, Africane, | videamus, ante quam veniunt aliei, quidnam sit Q. IV. p. 97

potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse. XI, 16, 2: *a Gabinio consule relegatus est, quod ante id tempus civi Romano Romae contigit nemini.* Cic. in Catil. I, §. 16: *Quis te salutavit? quodsi post hominum memoriam contigit nemini* etc. Cf. II, §. 22. 52. Num in his omnibus exemplis Gorgiae arte malum fiet bonum, ut Cicero ludi magistellulis satisfaciat? At sicut vocabulum *contingendi* proprie nihil aliud est quam accidere (cf. de N. D. II, §. 115), unde saepe cum hoc vocabulo orationis variandae causa coniungitur (v. Cic. Phil. II, §. 17. Epist. 110 ap. Doederlein. Synon. Lat. Vol. V. p. 340) vel uno loco duplici significatione intelligitur, ut ap. Cic. Ep. ad fam. XV, 13, 2: *Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas; mihi ad remunerandum nihil suppetat praeter voluntatem*, vel interdum bona, quod aiunt, significatione reperitur, ut Ep. ad fam. III, 12, 2. VIII, 1. XV, 4, 16. Fin. II, §. 2. 3. 8. V, §. 32. pr. Mil. §. 78. Si autem, qui casu in hos locos posteriores inciderunt, neque vero in superiores, quos commemoravimus, inanem illam significationem, quippe solam, constituerunt; ita etiam in vocabulo *abutendi* idem factum est, ut quum proprie nihil aliud significaret, nisi re ita uti, ut nihil supersit, id quod et in bonam partem et in malam fieri potest [etiam idem esse quod bene uti, monuit Placidus Glossis in Maii Auct. class. T. III. p. 427. 431], ii qui casu quodam in eos tantum inciderunt, in quibus mala esset significatio verbi, inanem illam significationem excogitarent pessimeque verterent ubique „missbrauchen." Otto.

Lubente] Ed. pr. ex Cod. *libenter*, recte editore monente, scribendum esse *libente*, quod omnibus subsequentibus probatum est. Schuetzio praeeunte *lubente* dedimus. Plaut. Asin. II, 2, 213: *edepol me libente facies*, ubi eodem vitio Cod. Monac. *libenter*. Diversae rationis est locus II, 38: *sane, inquit Scipio, et libenter quidem*, a Maio nunc ed. alt. tanquam in praesidium lectionis a Cod. oblatae appositus. — Ceterum ante *lubente* inserui *S*, ad significandam Scipionis, ad quem oratio transit, personam, superiorum editorum morem secutus, qui praeeunte Maio, quem vide ad c. 13, ab hoc inde capite similibus locis, ubi tacite mutatur loquentis persona, initiales loquentium litteras interposuerunt. Quae distinguendi ratio, solum in commodum lectorum inventa, non erat tam fastidiose a Heinrichio ad c. 35 extr. p. 188 spernenda, neque docendus Maius vel alius editorum ullus, in dialogis inserto *inquit* saepe significari, loquendi partes alteram personam suscepisse, idque more Graecorum in sermonibus, Platonis inprimis fieri.

tuei] Ita Cod. prima manu *tui*; sed mox laevo consilio extrita fuit *i* littera, quam ego restituendam iudicavi. Maivs.

Q. IV] Ex hac quaternionis quarti desinentis notā, quae est in secunda post absolutum prohoemium pagina, constat prohoemii paginas fuisse LXII, quarum nonnisi XXVI supersunt. Id facili supputatione demonstratur. Nam unusquisque quaternio habet paginas XVI; primus autem et alter quaternio desunt, deest etiam folium extimum tertii, nempe paginae quatuor; denique postremae duae circiter paginae quaternionis quarti ad prohoemium non adtinent. Sic ego in principe editione evidenter lacunarum spatium dimetiebar; qua re non considerata, cl. Villemaenius ed. gall. p. 3 paucas exordientis operis paginas desiderari putabat. Maivs ed. alt.

de isto altero sole quod nuntiatum est in senatu; neque enim paucei neque leves sunt, quei se duo soles vidisse dicant; ut non tam fides non habenda, quam ratio quaerenda sit. Heic Scipio: Quam vellem Panaetium nostrum nobiscum haberemus, quei quom cetera, tum haec caelestia vel studiosissume solet quae-
p. 98 rere. Sed ego, Tubero (nam tecum | aperte quod sentio loquar) non nimis assentior in omnei isto genere nostro illei familiarei, quei, quae vix coniectura qualia sint possumus suspicarei, seic affirmat, ut oculeis ea cernere videatur aut tractare plane manu. Quo etiam sapientiorem Socratem soleo iudicare, quei omnem eiusmodei curam deposuerit, eaque quae de natura quae-

aliei] Ex Cod. Maius *ali*, quem nullus editorum secutus est. V. supra monita.

quidnam sit de isto altero etc.] Ita [*quidnam sit, de isto altero sole quod* etc.] distinxi cum Steinackero et Lehnero [item Orellius, Nobbius Zelliusque], cum Heinr. distinxerit post *sole*, A. Maius plane nihil hic distinctionis habeat. Noster saepissime pronomen relativum post plura verba ponit, quibus praeponi debebat. Moser. Hac de re quis dubitet? Ego cum Maio facio, ea quae sensu arctissime coniunguntur grammatica distinctione non recte divelli ratus, verborum *de isto altero sole* ipsa positione plane prodente, ea simul ad praecedentia referenda esse. Ceterum quod post *senatu* fine huius enunciati vulgo additur signum interrogationis, id tollendum censui, quum interrogationi directae nullus hic locus sit.

senatu] In Codice saepe scribitur *saenatus*, superaddita *a*, si quando omissa fuerat. Maivs

neque enim paucei — dicant] Augustinus Epist. 199, 34. p. 981 ed. Bassan. *Duos soles quando nos vidimus? quos visos litteris mandaverunt, qui tunc fuerunt, antequam Dominus venisset in carne.* De forma *duo* v. ad c. 13.

quam vellem] Sic loquitur Cicero tusc. I, 33. Maivs ed. alt.

Panaetium] Iis quae hoc de philosopho Maius olim congessit, nunc adiecit locum Gellii XVII, 21. Mox ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum*.

studiosissume] Vulgo *studiosissime*.

qualia sint] Liberavimus haec verba virgulis, quibus utrinque a reliquo contextu Moserus coercuerat, tacite, sed acerbe cartigatus a Madvigio ad Fin. V, 6. p. 638, cui plane adstipulor veterum morem sententiae secundariae cum primaria miscendae a nostra interpunctionis norma magnopere abhorrere neque ad eam recte exigi posse statuenti. Quibuscum confer modo notata ad verba *quidnam sit* etc.

videatur] Cod. *videantur*; sed *n* videtur deleta. Maivs.

oculeis ea cernere etc.] Vide simillimam sententiam ap. Cic. pro Scauro §. 26: *non ut audire ea quae dicebam, sed ut cernere et paene tangere viderentur.* Otto. Vocem *plane* Handius Tursell. T. IV. p. 469 eo explicat, quod opponatur dubia coniectura certae tractationi.

rerentur, aut maiora, quam hominum ratio consequei posset, aut nihil om|nino ad vitam hominum attinere p. 33
dixerit. 16. Dein Tubero: Nescio, Africane, cur ita memoriae proditum sit, Socratem omnem istam disputationem reiecisse, et tantum de vita et de moribus solitum esse quaerere. Quem enim auctorem de illo locupletiorem Platone laudare possumus? quoius in libreis multeis loceis ita loquitur Socrates, ut etiam quom de moribus, de virtutibus, denique de re publica disputet, nume|ros tamen et geometriam et harmoniam studeat p. 34
Pythagorae more coniungere. Tum Scipio: Sunt ista,

posset] Ita confidenter praeeunte Lehnero correxi *possit*, quod a Codice oblatum ab ceteris editoribus omnibus servatum est. Lectionis repositae rationes quo minus exponerem ipse, otium fecerunt mihi ea, quae Otto, eandem lectionem sustentaturus et acute et diserte ea de re ad me scripsit: „Miramur, inquit, sane, cur hoc Cicero in hac inclusa ac pendenti sententia relativa, quae pendet e verbo perfecti temporis coniunctivi *deposuerit* et *dixerit*, praesens tempus *possit* retinuerit nec ad enunciati relativi tempus imperfectum retulerit, in ea praesertim re, quae non extra orationem obliquam et ab ea seiuncta intelligatur, quum alibi propter notum Latinorum studium sententias annexas ad primarias verbi tempore accommodandi ad relativam formam etiam ea revocet, quae noster sensus disiungat tanquam ad rem veram et praesentiam pertinentia, de quo toto genere, quod alii sparsim attigerant, accuratissime disputavit Dietrich in Quaest. Gramm. et crit. de locis aliquot Ciceronis Lipsiae 1835. Solve enim orationem ita: „Socrates omnem eiusmodi curam *deposuit* eaque, quae de natura *quaererentur*, aut maiora, quam hominum ratio consequi *posset*, aut nihil omnino ad vitam attinere dixit," et habes genuinam orationis Ciceronianae, quod ad tempora attinet, formam. Quare rectissime Lehnerus scripsisse mihi videtur *posset*, nec video quomodo Moserus praesens tempus e vulgaribus temporum consecutionis praeceptis defendere velit, quod nec fecit, nec facturus, credo, erit vel facere denique poterit unquam, nisi forte in inconstantiam quandam incidisse putes Ciceronem, qua aut in illo verbo, quod proxime primario subiicitur, aut in orationis progressu, quum philosophorum veterum decreta reddidit, nec solum ubi ea ad unum aliquem auctorem refert, sed etiam ubi communiter de scholis loquitur, aut ubi ipse superiorum sententiam prorsus suam facit, interdum clarissime in uno et altero orationis membro praeterito tempore utitur, deinde ad praesens redit, v. Madvig. ad Fin. p. 463 seq., quamquam admodum vereor, ne id in tali quidem orationis progressu, interiectis iis orationi obliquae sententiis relativis secundariis nunquam fecerit. Cf. Madvig. ad Fin. p. 57. et, si vis, p. 248, quamquam haec alieniora sunt." Mox vulgo *dixerit*.

vita] Cod. *bita*; mox ibidem factum *vita*. Maivs.

quoius] Vulgo *cuius*.

quom] Ex Cod. Maius *cum*; hoc alii: alii *quum*.

harmoniam] Cicero N. D. III, 11: *nisi vero — putamus — ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat*. Cr. Maivs ed. alt.

ut dicis; „sed audisse te credo, Tubero, Platonem, „Socrate mortuo, primum in Aegyptum discendei caussa, „post in Italiam et in Siciliam contendisse“, ut Pythagorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse, et Philoleo commentarios esse nactum; quomque eo tem-

sed] Ex Cod. Maius *set.*

Tubero] Ita Cod. *Tubero* uti felicissime emendaverat Cuiacius obser. XI, 9. Nonii, qui hunc locum citat voc. *contendere*, corruptam lectionem *tum vero* in antiquis editionibus. Parisiaca tamen anni MDCXIIII Nonii editio habet *Tubero*. Maivs. Eamdem scripturae varietatem in Livio advertit Alschefski ad Liv. XXX. p. xx.

caussa] Omissum a Codice ex Nonio l. l. quidem Maius restituit, omitti tamen sine loci incommodo ratus, cui recte oblocutus est Moserus. Neque illum quisquam nisi Krarupius sequendum duxit, nunc bene ab Orellio Anal. T. IV, 2. p. 593 refutatus, eius vocis omissionem ab usu certe Ciceroniano abhorrere docente. Ceterum vulgo *causa*: illud Nobb.

et in Siciliam] Omittit Nonius, notante Maio.

contendisse] Quae Maius hic de Platonis itineribus congèssit, ea idem nunc Hieronymi Epist. 53 loco auxit.

Philoleo] Ita Cod. 2 manu; at 1 *Philoteo*. Est autem Graeca secundi casus terminatio, pro Latina *Philolai*. Maivs ed. alt., qui quum in principe editione Latinam formam nempe a Codicis m. 2 exhibitam, quod secus esse accuratius nunc Codice examinato comperimus, scripsisset, ab omnibus subsequentibus editoribus repetitam, nunc Niebuhrio obsecutus est, qui quod nunc receptum est, quo erat acumine egregio, in *Philoteo* latere significaverat Ind. Lat. v. *Graeca declinatio*. Cui frustra haec sed digna quae referantur Heinrichius opposuit: „Praeclarum acumen; in quo est tamen, quod dubitem. Nam nullus Ciceronis liber iam primis saeculis tanto fuit a grammaticis studio tractatus, quanto hic de Re publica; ut *Philoleo*, pro *Philolai*, antiquioris grammatici curiosa interpolatio potius videatur esse, quam ipsius scriptoris manus. Et quamquam in Virgilio mihi minus quam aliis incertae sunt formae Homericae et sonantiores *Androgeo*, *Peneleo*, tamen, propter solam Latinitatem Ciceronis et totius eius aetatis, non dubito, quin ni singularis aliquapiam causa accessisset, in prosa certe oratione ab hac insolentia plane abstinuerint. Talis causa erat, si nomen Philolai cum isto genitivo Attico in titulo ipsius librorum circumferretur, et in omnium ore ac manibus esset *Φιλόλεω περὶ φύσεως*, *περὶ κόσμου*. Sed de hoc nihil constat, immo contraria omnia, si A. Boeckhii de hoc Archyteo librum perdoctum conferas. Ipsos inter Graecos nulla alia forma, quam vulgari, videtur nomen usurpatum fuisse; nec Plato appellat nisi *Φιλόλαον*. Ipsique Ciceroni III de Oratore est *Philolaus*; et sic aliis locis *Archelaus*, *Critolaus*.“ Non nego in his inesse quae a recipienda forma Attica manum cohibere possint: contra vero quum nunc demonstrandum sit, *Philoleo* a Cicerone scribi non potuisse, malo eo maiore fiducia id servare, quo plures caussae cogitari quidem possint, ista forma licet insolentiore cur Cicero usus fuerit, et quo minus veri sit simile, eam formam curiosae cuiusdam grammatici interpolationi deberi. Tam multa lectori attento in veterum sermone singularia occurrunt, ut omnia ad vulgarem normam exigenti, quum praesertim quo consilio quaeque a

po|re in heis loceis Pythagorae nomen vigeret, illum p. 263

scriptore hoc vel illo modo scripta sint utplurimum ignoremus, verendum sit ne iure criticis vindicato temere abutatur. Simile, quamvis non idem, neque eiusdem rationis et excusationis est quod Ennius in *Mettioco Fufetioco*, ut Hermanno duce nunc optime restituit Meyerus ad Quintil. I, 5, 12, Graecorum terminationem οιο exprimere conatus est. Ceterum *Philoleo* Huschkius Commentatione de Annio Cimbro Rostochii iam a. 1824 emissa, quae Moseri diligentiam subterfugit, p. 54 seq. eo defendere studuerat, quod teste Terentiano Mauro a se emendato Cicero *Ioleus* (vel *Ioleos*) pro *Iolaus* dixisset: verum hoc et magni in hac quaestione momenti argumentum, tum vero demum adhibendum, quum, quod fieri nequit, demonstratum sit, Ciceronem illam nominis formam revera suam fecisse et in contextu simpliciter posuisse, dum ea potuit a Cicerone in exemplis rarioris usus allata esse. Postremo notanda videtur Orellii in hoc loco socordia, qui edito *Philolai* neque de codicis varietate neque de Niebuhrii coniectura, quam Heinrichius merito palmariam vocat, ne verbo quidem moneat.

nactum] Ex Cod. Maius solus *nanctum*, nemini probatum, hac nota subiecta, in ed. alt. nunc sic aucta: „Ita codex *nanctum*; at superius cap. VIIII et libro II, 29 *naetus*, quam inconstantiam in Caii quoque scriptura notavit diligentissimus editor. *Nanctus* legitur in vaticanis quoque iuris anteiustinianei fragmentis a me nuper editis. Et sane Caper de orthograph. ed. Putschii pag. 2241 vetat retineri *n* in *τοῦ nanciscor* supino; verumtamen id ipsum Capri vetitum iudicio est, aliquando contrariam obtinuisse scripturam. Reapse autem Beda p. 2339 ait: *nanctus per n et c scribi debet.* Et ita Isidorus iubet ed. Areval. tom. III. p. 505.“ Hanc scribendi rationem, quam praeterea exhibent Codex Sallustianus teste eodem Maio Auct. cl. T. I. p. 417, Nonius Gerlachii p. 380. Gloss. Fuld. ap. Dronke Adn. cr. in Tac. Agr. 1842. p. 17, nullo monumento vetere munitam, aliquando obtinuisse, siquidem ea antiquos scriptores usos esse contenditur, quod Maius ex Capro colligere videtur, nunquam credam. Nam qui ita scribere solerent, atque ita adeo scribendum esse seriore aetate fuerunt qui praeciperent, teste Incerto de orthographia in Maii Auct. class. T. VI. p. 580, eos suspicor in falsam hanc scripturam eo inductos esse, quod *n* litteram in infinitivo ad participium referendam putarent. Nihil vero mirandum, eam scripturam passim a librariis codicibus illatam esse, quod testantur exempla supra posita et quae hac de re Otto adnotavit: „Eius orthographiae haec ego ex optimis Codd. aliorum scriptorum habeo exempla notata. Caes. Bell. Gall. IV, 36, 3 cod. optimus Bongars. primus, et V, 3, 9. editio Veneta prima praestantissima. Cf. Varr. lect. e codd. praestantissimis, quos ego laudavi in praefat. Div. Liv., in quorum numero sunt Florent. Leidens. I. Harlei., a Drakenborchio allatis e Liv. XXII, 2, 4. 44, 3. XXIII, 2, 2. XXIV, 31, 14. 36, 1. XXV, 30, 2. XXVII, 28, 2. XXVIII, 31, 3. Burmann. ad Sueton. Caes. 10 et 45. Tib. 42. Calig. 3.“ Adde Moser. ad Cic. Tusc. I, 43. p. 354, qui parum explicite antiquam vocat eam scripturam. Neque debebat eam formam Senecae vindicare Fickertus Epist. T. I. p. 504, neque Apuleio Hildebrandus T. I. p. 354, qui quum negaret, eam scripturam pravae librariorum consuetudini tribuendam esse, constare sibi si voluisset, item mox p. 376 *naetantem* pro *natantem* recipere debuisset. Ceterum idem Capri praeceptum laudato ipsius nomine refert etiam Priscianus X. p. 888.

quomque] Ex Cod. Maius *cumque*: ceteri vel hoc, vel *quumq.*

Pythagorae nomen] Cicero tusc. I, 16: *sic viguit Pythagoreorum nomen.* Maivs ed. alt. Cf. de hac re Firmic. Matern. mathes. I, 3. Otto.

se et hominibus Pythagorieis et studieis illeis dedisse. Itaque quom Socratem unice dilexsisset, eique omnia tribuere voluisset, leporem Socraticum suptilitatemque sermonis cum opscuritate Pythagorae et cum illa plurumarum artium gravitate contexsuit.

XI. 17. Haec Scipio quom dixsisset, L. Furium repente venientem adspexsit, eumque, ut salutavit, amicissume | adprehendit et in lecto suo collocavit; et p. 264
quom simul P. Rutilius venisset, qui est nobeis laudatus sermonis auctor „eum quoque, ut salutavit, pro„pter Tuberonem iussit adsidere.“ Tum Furius: Quid vos agitis? num sermonem vestrum aliquem diremit noster interventus? Minume vero, Africanus; soles enim tu haec studiose investigare, quae sunt in hoc

Pythagorieis] V. Excursum XI.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, ut nonnulli: alii *quum*. Item mox. Tum mox vulgo *dilexisset*, et *contexsuit*, et *adspexit*.

suptilitatemque] Vulgo *subtil.*, ut mox *obscuritate*. V. ad II, 41.

plurumarum] Vulgo *plurimarum*.

contexsuit] Repetitae ex ed. pr. longiori notae de imitatione huius loci apud Hieronymum et Augustinum Maius nunc subiicit: „Hunc item de rep. locum respicere videtur Valerius M. VIII, 7. ext. 3.“

amicissume] Vulgo *amicissime*, ut mox *minime*.

adprehendit] Ita Cod. Lectore nihil monito *app.* Heinrich. Moser. Orell. Zell. et Nobbius.

simul] Non est i. q. *una* hoc loco, ut cap. seq. dicitur *una venerant*, sed eodem tempore, quae propria huius particulae notio est, posthac eodem sensu quo *una* cum ab aliis, tum a Cicerone usurpata, veluti in phrasi *simul esse*, pro Quintio 28, 85. Tacitus Ann. I, 73: quod *venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset*. Cf. Seebode Obs. ad Tac. Agr. p. 10 seq.

laudatus] Ex Cod. Maius *lautus*, his nunc adscriptis: „Nempe *abundans*, vel *competens*, vel *elegans*, vel *suavis*: has quippe notiones omnes Nonius voci *lautus* tribuit. Cl. Steinackerus contra codicis fidem malebat heic *laudatus*.“ Hoc probante Creuzero susceperunt Moser. Orellius et Nobbius, dum ceteri Codicis lectionem expresserunt. Atque ego suscepi, non quod *lautus auctor* pro locuplete dici negem, quamquam adhuc eius locutionis exemplum desidero, sed quod nihil attinebat, Rutilii fidem, ut Moseri verba mea faciam, laudare, de qua neque quisquam dubitare poterat et quae ut in re manifesto ficta ne requirebatur quidem. Ceterum haud minus ingeniosa et fortasse vera, ut Orellii Anal. T. IV, 2. p. 593 verbis utar, est Franckii coniectura *totius* pro *lautus*.

sermonis auctor] Maius Ind. rerum p. 379 ed. alt.: „Sic Proclus ined. de Ere pamphylo *ὁ τοῦδε λόγου πατήρ*. Et sic Graeci rhetores vel litteratos appellant *λόγων πατέρας*.“

adsidere] Locum citat Nonius voc. *propter* ex I de rep. Matvs. Nonnulli *ass.*

genere, de quo instituerat paulo ante Tubero quae|rere. p. 209
Rutilius quidem noster etiam sub ipseis Numantiae moenibus solebat mecum interdum eiusmodei aliquid conquirere. Quae res tandem inciderat? inquit Philus. Tum ille: De solibus isteis duobus, de quo studeo, Phile, ex te audire quid sentias.

paulo] Ita ex Cod. Maius: ceterorum plurimi *paullo*.

quaerere] Cod. *querere*, et inferius *querendus* et *querimus*. Alibi tamen plerumque cum diphthongo. Maivs. Satis igitur antiqua haec pro diphthongo simplex *e* exarandi consuetudo (v. Salm. ad Tertull. de pall. p. 327. Freund. ad Milon. p. 29 sq.); in novitiis codicibus, ut constat, usu paene solemni recepta. Cuius scripturae exempla iam in titulis non admodum recentioris aevi leguntur, veluti in Act. soc. Ien. T. V. p. 58. Melchiorri Sill. d'iscriz. p. 67. EDEM (aedem) inscriptio Vaticana in Tatham Antike Bauornamente. Alia exempla dabit Sylloge nostra.

conquirere] Sine caussa idonea Moserus *anquirere* coniecit. Illud est, recte monente Orellio, communiter, una quaerere, quo sensu eo ipso, quem suam in rem Moserus affert, loco de orat. I, 46, 202 legitur.

incidit] Insolita phrasis, quum vulgo *in sermonem* addatur, ut Lael. I, 2. Nam alia est eorum locorum ratio, in quibus fere pro *accidere* dicitur, ut de fin. I, 3, 7 *quum inciderit*.

inquit] Ex Cod. Maius *inquid*, quam scripturam editores adnotare supersederunt, Mosero certe non negligendam. V. ad c. 9.

Philus] In codice scribitur modo *Philus*, modo *Pilus*; et quidem posterior manus plerumque refecit in codice *Pilus*, quae est scriptura magis propria latini sermonis. Apud Augustinum quoque C. D. II, 21 legitur *Pilus*; nec non in variis lectionibus chronici Cassiodorii. Quin adeo Ennius annal. X, 2 scripsit *Pilippus* pro *Philippus*: nec alia vetera eiusmodi exempla desunt. Maivs. Miror a sobrio homine talia scribi, atque adeo in altera ed. repeti potuisse. Ut de Ennio nunc non quaeram, quem potius *Bilippus* scripsisse ex iis, quae Anal. crit. p. 12 congessimus, probabile est, praeterea Etymologo M. p. 179, 17 testante, Macedonas ut *Βρύγες* pro *Φρύγες*, sic *Βίλιππος* pro *Φίλιππος* propter utriusque litterae cognationem dixisse: quae eius scripturae exempla Maius laudat, in vitiis scribarum ponenda sunt. Neque frequentia sunt exempla litterae *p* pro *ph* positae. *Philus* unice consuetudini Tullianae convenire demonstravimus Excursu VIII.

de quo studeo] Quod pro *studeo* a prima manu in Cod. est *studio*, factum est errore saepius obvio. Quod vero inde efficere vult Maius, videlicet *quo* tum demum ex vera lectione *quibus* a librariis correctum fuisse, postquam pravum illud *studio* irrepserat, eo nihil mihi videtur minus. Moservs, recte pluribus demonstrans, relativum saepe ad rem sive *πρὸς τὸ σημαινόμενον*, ut vocant, non ad verba construi. Eodem modo locum defendit Censor in Ephem. litt. Hal. 1833. Suppl. 114. p. 908. Adde simillimum locum de orat. II, 7, 25: *Nam ut C. Lucilius . . . dicere solebat, ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis se, neque ab doctissimis legi velle „quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse: de quo etiam scripsit,* quem locum, quum *de* adeo contra codd. auctoritatem omitteret, quod omitti posse recte negat Madvig. ad Cic. fin. I, 3. p. 18, Orellius corrupit. Refutantur igitur et Lehnerus et Schützius, quorum hic Maii coniecturam *quibus* probavit, ille adeo suscepit. Vide praeterea notata ad illa *quod optimum*

XII. 18. Dixserat hoc ille, quom puer „nuntiavit, „venire ad eum Laelium, domoque iam exsisse.“ Tum Scipio, calceeis et vestimenteis sumpteis, ex cubiculo p. 210 est egressus; et quom paulului inambu|lavisset in porticu, Laelium advenientem salutavit, et eos, quei una venerant, Spurium Mummium, quem in primeis diligebat, et C. Fannium et Quintum Scaevolam, generos Laelei, doctos adulescenteis, iam aetate quaestorios: quos quom omneis salutavisset, convertit se in porticu et coniecit in medium Laelium: fuit enim hoc in amicitia quasei quoddam ius inter illos, ut militiae p. 197 propter exsimiam bellei gloriam | Africanum ut deum coleret Laelius, domui vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, opservaret in parentis loco Scipio. Dein quom essent perpauca inter se uno atque altero spatio

iudices cap. 30 fin. Pro *studeo* Orellio *aveo* coniicienti, allato Tusc. I, §. 112: *aveo enim audire quidquid est*, scite Otto meus opposuit infra c. 41 fin. *studeo cursus istos mutationum . . . noscere.*

Dixserat] Vulgo *dixerat* et mox *exisse*.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*, ut mox.

puer] Videlicet Laelii, non Scipionis.

nuntiavit — exsisse] Locum e I de rep. libere citat in exem. elocut. Fronto [Arusianus Messius ed. Lindem. p. 227] voc. *exit* sic: *nuntiatum est venire Laelium domoque iam exisse*. Maivs.

salutavit] Cod. *salutabit*; mox ibidem factum *salutavit*. Maivs.

paulului] Orell. Nobb. *paullulum*.

adulescenteis] Vulgo *adulescentes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

quaestorios] De aetate quaestoria Maio quaerenti notae suae, quam ed. alt. repetit, addere placuit, Ernestio in Clavi Cic. indice legum annum aetatis XXXI videri statuendum esse. Idem Add. p. 385: „De quaesturae origine disputat curiose Tacitus annal. XI, 22.“ Contra sat certis argumentis annum XXV evicisse Lipsium Exc. ad Tac. Anal. III, 29 narrat Spaldingius ad Quintil. XII, 6, 1. T. IV. p. 554. Ceterum cum phrasi *quaestorius* Maius Ind. rerum p. 376 ed. alt. comparat Tacit. Ann. XIV, 41 *iuvenis quaestorius*. Adde Liv. XXIX, 14.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*. Item mox.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*. Edd. *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

exsimiam] Vulgo *eximiam*, et mox *domi* pro *domui*, de quo v. ad c. 40.

opservaret] Vulgo *obs*. V. ad II, 41.

uno atque altero] Ita cod. [*an*] pro *aut* vel *sive*, cuiusmodi alia exempla non desunt; itemque viceversa. Vide Gesnerum in *an* et *aut*. Nam quis vetat heic posse intelligi quamdam veluti interrogationem, ut in aliquot dubitativis locutionibus Latini solent? Maivs ed. alt. Postrema, quae ab ed. pr. aberant, adversus Moserum scilicet dicta sunt, qui quum primus *an*, quod et Heinr. et Steinack. patienter repetierant, alie-

collocutei, Scipionique eorum adventus periucundus et

num ab hoc loco esse perspexisset, quae etiam Madvigii sententia est ad Fin. II, 3. p. 320, eius loco *aut* reposuit, quod hinc suscepit Orellius laudato Tusc. V, §. 88, ubi pro *mortem aut dolorem* Guelph. item habere *an* dicitur. Eandem lectionem calculo suo comprobavit Freundius ad Milon. p. 19, quippe corruptelae caussam ex eo repetens, quod *aut* olim *aũ*, quod pro *an* habitum esset, scribi solitum fuerit: quod si in minuscula scriptura fieri potuit, id etiam in maiuscula factum esse, idoneo vellem exemplo demonstratum dedisset. Codicis vero scripturam rursus amplexi sunt et Zellius et Nobbius, quorum illi, qui admissum *an* in nota subiecta defendere studuerat, quum Moserus oblocutus esset, Symbol. crit. in Cic. Spec. II, Ulmae 1828, p. 15, eundem lapidem, quum interim in eiusdem lectionis vindices et patronos gravissimos, Beierum ad Lael. ed. mai. p. 102 et Handium Turšell. T. I. p. 302 incidisset, denuo et maiore cura volvendum sibi duxit in Symbolarum illarum Specimine tertio 1833 edito p. 14 seq. Interim idem sententiam suam ambiguis his verbis explicuerat Schulzeitung 1829. No. 53. p. 436: „Wir aber glauben, es sollte, wenn *uno aut altero* nicht als die leichtere Emendation vorgezogen werden dürfte, *uno alterove* heissen, wie de Or. I, 7, 28 ganz ähnlich steht: *duobus tribusve spatiis*. Auch könnte *uno an altero* entstanden sein aus *uno atque altero*." Postremo hunc locum denuo in examen vocavit Steinackerus Animadv. et observat. in Cic. de rep. 1840. p. 5 atque *an* sic defendit: „Utitur autem Cicero hac particula et his et nonnullis aliis in locis sic, ut, quum duo posuit, simul significet, se, utrum verius sit, dubitare quidem, sed in medio velle relinquere, quoniam nihil ad rem." Cuius libelli in censura Diariis Darmstadiensibus 1841 inserta quum de toto hoc locutionum genere enucleatius p. 396 exposuerim simulque cur mihi *atque*, quod nunc suscepi, probandum maxime videatur, illa ne repetam, paucis nunc me continebo, quibus *an* nullo pacto hic ferri posse demonstrem. Ut vera esse concedam quae Steinackerus de usu illo particulae *an* Ciceroniano disputavit, si universe accipiuntur, tamen nego ea pertinere ad eam phrasin, in qua nihil attinet dubitare, utrum unus an alter significetur, vel aliis verbis, utrum uno an duobus locis vel temporibus aliquid factum esse dicatur. Nostro loco non poterat Cicero se dubitantem fingere, an Laelius et Scipio uno an (aut) altero spatio conlocuti essent, quod absurdum fuisset; sed in medio ei relinquendum erat, quot locis conlocuti essent. Itaque unice hoc dicere poterat, viros illos inter ambulandum, ut fieri solet, hic illic, h. e. pluribus locis constitisse et inter se conlocutos esse. Quae vera loci ratio est, cui unice convenire particulam coniunctivam mecum censebis, eo sensu, quo, ut monui l. l., phrasi *unus et*, *atque alter* vel *alterque* plures uno significentur. Cur ego vero ex his *atque* maxime optarim, item l. l. dixi necdum sententiam mutavi.

Scipionique eorum] Cod. 1 manu *Scipioni quo eorum*; 2 *quorum*. *Quoi* (ut videtur refectum in codice) ego malebam sicuti III, 12 legimus *quoique*. Et quidem *quoi* pro *cui* se puero fuisse in usu, ut distingueretur a sono τοῦ *qui*, ait Quintilianus inst. I, 7. Vide certe Plautum Cistell. IIII, 1, 27. Sed tamen felicissima mihi visa est cl. Steinackeri emendatio *Scipionique*, quam adscivi; praesertim quia haec prima videtur codicis scriptura. Sic melius se habet illud *placitum est* relatum ad omnes; quamquam Cic. ad fam. XI: *placitum est mihi ut postularem*. Maivs ed. alt. Recte, quod unice loco convenit, *Scipionique* nunc cum Mosero susceperunt Orellius et Nobbius, ille collatis in Anal. p. 593 aptissime his verbis cap. 9: *quem quum comiter Scipio appellavisset libenterque vidisset*. Eadem enim brevitate gratissima accipienda sunt

pergratus fuisset, placitum est, ut in aprico maxsume pratulei loco, quod erat hibernum tempus annei, considerent: quod quom facere vellent, intervenit vir pru-
p. 198 dens omnibus|que illeis et iucundus et carus M. Manilius, quei a Scipione ceterisque amicissume consalutatus, adsedit proxsumus Laelio.

XIII. 19. Tum Philus: Non mihi videtur, inquit, quod hei venerunt, alius nobeis sermo esse quaerendus, sed agendum accuratius, et dicendum dignum aliquid horum auribus. Heic Laelius: Quid tandem agebatis, aut quoi sermonei nos intervenimus? *PH.* Quaesierat
p. 269 ex me Scipio,| quidnam sentirem de hoc,' quod duo soles visos esse constaret. *L.* Ain vero, Phile? iam explorata nobeis sunt ea, quae ad domos nostras quaeque ad rem publicam pertinent, siquidem, quid aga-

verba *Scipionique — fuisset*, ac si dictum esset: Scipioque eorum adventum periucundum et pergratum sibi esse significasset. Lectionem *cui*, sive *quoi*, olim a Censore Ienensi (1823. No. 34. p. 272), Villemaenio commendatam, Heinrichio aliisque probatam, frustra Zellius nuper defendere studuit; sententia enim prodit non solum admodum languida, sed etiam coniunctivo laborat, cui nullus hic locus dari potest.

pergratus fuisset] Similiter loquitur Cicero in Hortensii fragmentis. Maivs ed. alt.

maxsume] Vulgo *maxime*, ut mox *amicissime*, et *proximus*.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. hoc vel *quum*.

Manilius] Cod. 1 manu *Manlius*; illud 2 m. Nonnulli mox *assedit*.

quaerendus] Cod. *querendus*.

quoi] Vulgo *cui*.

ex me] Cod. post *Scipio* repetit *ex me*; verum id postea expunctum fuit. Maivs.

Ain vero] unam per se complet enuntiationem interrogativam, cui id quod ea affirmatur per ironiam, altera subsequenti interrogatione declaratur, ut *ain tandem* cap. 15. Fin. IV, 1.

Phile] Ita cod. 1 manu; at 2 *Pile*. Maivs.

ad domos] Cod. *at d.*

pertinent] Cod. 1 manu *pertinent*; sed mox superaddita *a*; id quod immerito factum contendebat Moserus. Maivs ed. alt., *pertineant* exhibens. Sed audiamus ipsum Moserum scienter rem hoc modo explanantem: „Coniunctivum si posuisset Cicero, primum melius omisisset *ea*, tum id diceret: *nondum exploratum est in rebus, quae ad domos nostras et quae ad rem publicam pertinent, quorum unaquaeque pertineant, utrum ad domos, an ad rem publicam*? Quod ineptum esse nemo non videt. At vero vult: *Scimus omnes, quid ad domus nostras et quid ad rem publicam pertineat, idque probe distinguimus: an vero ea, quae ad utrumque pertinent, iam satis explorata sunt omnia*? Restituendus igitur fuit Indicativus *pertinent*, invito etiam Codice, ne

tur in caelo, quaerimus? Et ille: An tu ad domos nostras non censes pertinere scire, quid agatur et quid fiat domui? quae non ea est, quam parietes nostrei cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium quamque patriam dei no|beis communem secum dederunt; p. 270
quom praesertim, sei haec ignoremus, multa nobeis et magna ignoranda sint. Ac me quidem, ut hercule etiam te ipsum, Laelei, omnisque avidos sapientiae „cognitio ipsa rerum consideratioque delectat.“ 20. Tum Laelius: Non inpedio, praesertim quoniam feriatei sumus; sed possumus audire aliquid, an serius venimus? *PH.* Nihil est adhuc disputatum; et,| quoniam est inte- p. 43
grum „lubenter tibei, Laelei, ut de eo disseras, equidem concessero.“ *L.* Immo vero te audiamus; nisei

Laelius diceret aliquid, de quo ne cogitare quidem potuit. Indicativum Steinack. et Lehn.“ Item Zellius et Orellius, coniunctivum servante Heinr. et Nobbio.

quaerimus] Cod. *querimus*.

ad domos] Cod. *at d.* Mox vulgo *domi*.

dei] Ex Cod. Maius *di*, unde Edd. *dii*. V. Comm. de pronom. tert. pers. Lat. p. 31 et 91.

secum dederunt] Nectarius apud Augustinum ep. CIII, 2 hunc Ciceronis locum se legisse demonstrat his verbis: *non enim illam mihi civitatem dicere videbare, quam muralis aliquis gyrus coerceat, nec illam quam philosophorum tractatus mundanam memorans communem omnibus profitetur.* Tum Lactantius ad Ciceronem aeque respiciens inst. II, 5: *Aiunt* (philosophi) *deorum et hominum causa mundum esse constructum, quasi communem domum.* Maivs ed. alt. De sententia ipsa adi praeter Moserum etiam Goerenz. ad legg. II, 10. p. 141. Quibus adde Arium Didymum ap. Euseb. Praep. ev. XV, 15: ὅτι ὁ κόσμος οἱονεὶ πόλις ἐστὶν ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσα, τῶν μὲν θεῶν τὴν ἡγεμονίαν ἐχόντων, τῶν δὲ ἀνθρώπων ὑποτεταγμένων· κοινωνίαν δ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὃς ἐστι φύσει νόμος. — Cum Heinr. interrogandi signum posuimus post *domi*, neque vero post *dederunt* cum Maio, Schuetzio, Steinack. et Lehn., neque, quod Censor Lips. p. 84 velle videtur, post *ignoranda sint*. Moservs. Hunc secuti recte sunt Orellius et Zellius; Nobbius perverse semicolon posuit.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*.

omnisque] Ex Cod. Maius *omnisque*. Reliqui praeter Steinackerum omnes tacite *omnesque*.

delectat] Locum libere e I de rep. citat Fronto exem. eloc. voc. *delectat*. Maivs. Scilicet Arusianus Mess. p. 224 Lindem.: *Ipsa cognitio nos delectat*.

inpedio] Ex Cod. Maius solus *inpedio*.

lubenter] Vulgo *lib*. V. ad c. 9.

concessero] Apud Macrobium de diff. et soc. gr. et lat. verb. cap.

forte Manilius interdictum aliquod inter duo soles putat esse componendum, ut ita caelum possideant, ut uterque possederit. Tum Manilius: Pergisne eam, Laelei,

de con. mod. locus hic citabatur e I de rep. corruptus sic: *libenter tibi, Laeli, uti eum desideras, equidem concessero.* Maivs. Item citat, sed non nominato auctore, grammaticus inc. de verbo in Eichenfeldii Anal. Lat. Gramm. p. 160, iisdem vitiis, praeter quod *ut* habet pro *uti*. De vi futuri *concessero* adi Madvigium Opusc. T. II. 96 et Praef. p. VI.

interdictum] Significari his facete a Cicerone interdictum praetoris, quod ubi de possessione, aut quasi possessione (sunt verba Gaii IV, 139) aliquorum contendebatur, promulgari soleret, a Maio quamvis breviter adnotatum est. Neque nunc lubet de hoc interdictorum genere accuratius exponere. Satis videtur nonnullos Ciceronis locos designasse, quibus eiusdem iuris formulae mentio iniicitur. Pro Caecina 8: *His rebus ita gestis, P. Dolobella praetor interdixit, ut est consuetudo, de vi, hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum, ut, unde deiecisset, restitueret. Restituisse se, dixit. Sponsio facta est.* Vide praeterea eiusdem orat. 13 et 28 et totam pro Tullio orationem, praesertim 23: *Ego ipse, tecto illo disturbato, si hodie postulem, quod vi aut clam factum sit, tu aut per arbitrum, aut sponsione condemneris necesse est.* De sponsione adeas Gaium IV, 141.

duo] Ita licet invito Codice *duos* exhibente, quem secuti sunt Schuetzius, Steinack. Lehn. et Nobbius, scripsi cum ceteris, non quod Ciceronem *duo* scribendo insuavem litterarum sibilantium concursum nimium vitaturum fuisse opiner, quae Heinrichii sententia fuit, nuper etiam Steinackero, quum hunc locum retractaret Animadv. in Cic. de rep. p. 6, probata, sed quod mihi non persuadeam, ut Ciceronem, quum supra capitis init. *duo* posuisset, intra tam breve spatium altera forma usum esse censeam; cuius sententiae, quum Steinackero in censura eius libelli laudata opposuissem, eo minus adhuc piguit, quo Moserum mecum hac in re consentientem lubentius cognovi. Quum igitur optio esset utram formam utroque loco restitueremus, probabilius mihi visum *duos* hic ex correctione, nisi ex vitiosa eiusdem litterae geminatione, fluxisse, quam illic a correctore obsoletam ipsius aetate formam *duo* illatam esse. Praeterea illud ipsum *duo soles* exstat in epigrammate antiquo, quod excitat Laurenbergius Antiq. p. 144. Atque vereor ne Ciceronis fere aetate alia nulla accusativi forma in usu fuerit, quam hic illic etiamnum codices meliores servarunt, vel diligentius excussi suppeditabunt. Ex multis notabo haec exempla: infra II, 14. 19. de div. I, 3, 6. Varro in libris de R. R. binis locis *duo*, neque memini praeterea *duos* alicubi legisse. Ceterum de toto illo loco, qui ad Ciceronis studium cacophoniam vitandi spectat, vide quae ad h. l. Otto adnotavit, propter notarum harum angustias in Excursum XII relegata, et quae ipsi ibi subnotavimus.

uterque] Kobbius Conv. Germ. p. 15: „Wir finden hier in der treffendsten Beziehung ein neues Beispiel des Gebrauchs von *uterque* für *alteruter*. Denn da die im Text vorhergehenden Worte *ut ita coelum possideant* nach den Grundsätzen des Römischen Rechts über den Besitz, wo sich weder die possessio plurium in solidum, noch die sogenannte compossessio begründet findet, nur von *einem* Subjecte (hier der *einen* Sonne) verstanden werden dürfen, so wie die Formel *uti possidetis* nur auf einen der streitenden Theile geht, so ergiebt sich hieraus vollkommen die Bedeutung des *uterque*."

artem inludere, in qua primum excello ipse, deinde sine qua scire nemo potest, quid sit suum, quid alienum? | Sed ista mox: nunc audiamus Philum, quem p. 44
video maioribus iam de rebus, quam me, aut quam P. Mucium, consulei.

XIV. 21. Tum Philus: Nihil novei vobeis afferam, neque quod a me sit cogitatum aut inventum. Nam memoria teneo C. Sulpicium Gallum, doctissumum, ut scitis, hominem, quom idem hoc visum diceretur, et esset casu apud M. Marcellum, quei cum eo consul fuerat, sphaeram, quam M. Marcelli avos, capteis | Sy- p. 103

inludere] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *ill.*

excello ipse] Si aliunde constaret, Laelium iuris fuisse peritum, (quod certe nusquam, quod sciam, negatur) aptius et convenientius rei, modestius etiam, loqueretur Manilius dicens *excellis ipse* vel *excellis tu ipse.* Sed nihil muto. Mosbavs. Neque ego muto. Sed non video quomodo arrogantiae non ferendae crimine Manilium liberemus, nisi illud consulto a Cicerone ad cavillandum hoc Manilii vitium positum statuamus; verum eo an Manilius reapse laborarit, ignoramus. Simillimus locus est Acad. I, 1, 3: *praesertim quum et ipse in eo excellas.*

Sed ista mox] Quinto in libro de iure agendum fuerat. Maivs ed. alt.

P. Mucium] Hoc de homine Maius quum praefationem suam, ubi de Q. Mucio Scaevola in prosopographia verba fiunt, nos recolere iubet, *Publii* praenomen hic non attendisse videtur. Ille enim, cuius praenomen *Quinti* insuper expressis litteris scriptum cap. 12 habemus, vel ideo hic intelligi nequit, quod qua tum fuit aetate, qua hic dialogus habebatur, quaestoria, iuris civilis scientia ita iam excelluisse non videatur, ut merito iuxta Manilium laudari potuerit. Immo non potest non hic dici pater illius, qui in explicando iure civili eximiam famam et auctoritatem consecutus, una cum Manilio nostro et Bruto ius civile fundasse dicuntur. V. Pomponium de origine iuris I D. 2, 39, quicum confer Gellium XVII, 7, ubi de veteris legis Atiniae varia interpretatione agitur, eosdem triumviros iuris civilis peritissimos iungentem: *Q. Scaevola patrem suum* [hic est Puhlius noster] *et Brutum et Manilium viros apprime doctos quaesisse ait dubitasseque* etc.

Philus] Ex Cod. Maius *Pilus*, quod Villemaenio praeeunte ceteri editores correxerunt.

C. Sulpicium Gallum] Praeter Maium eius de astrologiae studio confer Heusingero et Beiero allata ad Off. I, 6. Minus quam par fuit, a V. D. adhuc expensum, quod ex Plin H. N. II. 12, 9 (*mox et composito volumine*) colligitur, scriptum de defectu solis et lunae Sulpicium reliquisse; quare in indice auctorum, quibus Plinius usus fuisset, ipse laudatur ad lib. II.

doctissumum] Vulgo *doctissimum.*

quom] Ex Cod. Maius *cum.* Edd. tum hoc, tum *quum.*

sphaeram] Maius, qui ex Cod. *sferam* edidit: „In codice modo scribitur *sfaera*, modo *sphaera*, modo *sphera*.“ Ipse dedit *sfaeram*. Illud ab Heinrichio inde editores recte susceperunt.

racuseis, exs urbe locupletissuma atque ornatissuma sustulisset, „quom aliud nihil ex tanta praeda domum suam deportavisset“, iussisse proferri. Quoius ego sphaerae quom persaepe propter Archimedei gloriam nomen audissem, speciem ipsam non sum tanto opere admiratus: erat enim illa venustior et nobilior in volgus, quam ab eodem Archimede factam posuerat in templo
p. 104 Virtutis Marcellus eidem. 22. Sed posteaquam | coepit rationem huius operis scientissume Gallus exponere, plus in illo Siculo ingenei, quam videretur natura humana ferre potuisse, iudicabam fuisse. Dicebat enim Gal-

Marcelli avos] Cod. 1 manu *Marcellus*; 2 *Marcelli avus*, quae est emendatio certissima. Maivs. Vulgo *avus*, et mox *ex*.

locupletissuma] Vulgo *locupletissima*, ut mox etiam *ornatissima*.

ornatissuma] Subiicit Maius ed. alt. notae suae: „Confer Cic. Verr. IV, 52. Mr.“

sustulisset] In nota sua post Polybii locum allatum Maius nunc inseruit: „Quare et in margine codicis Urbinatis polybiani CII. p. 130 adnotatur: *τὸ ἀστρονομεῖν καὶ γεωμετρεῖν τῶν στρατηγῶν προσήκει.*“

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc vel *quum*.

quom aliud — deportavisset] Citat et quidem ex II de rep. Arusianus Messius v. *deporto* p. 225, more suo, libere: *Cum aliud nihil domum suam deportasset*, ubi libri I notam restituendam censet Maius, qui primus hunc locum admovit. Gravioris vero momenti quaestio est, plenamne an contractam formam *deportasset* praestare dicamus: de quo formarum discrimine supra monui. Ceterum ex ed. princ. Stuttgart., qua *portavisset* operarum errore scriptum, id vitium transiisse in ed. Heinrichii, Schützii et Lehneri, monuit Moserus. Mox vulgo *cuius*.

sphaerae] Ex Cod. Maius *sfaerae*. Mox idem ex Cod. *cum*, et ita plerique: alii *quum*.

Archimedei] De hac genitivi forma iis quae attulerunt post Maium ad h. l. et ad c. 40 Heinrichius et Moserus adde quae exhibentur in Excursu XIII. Vulgo *Archimedi*.

nobilior] Cod. 1 *novilior*, 2 *nobilior*. Maivs. Heinr. coni. *notabilior*, ab Orellio Moseroque in Schulzeitung 1829. No. 53. p. 436 refutatus.

volgus] Ita ex Cod. Maius, quod ceteri aspernati sunt. — De hac Archimedis sphaera v. Schiek Die Himmelsgloben des Archimedes, Abth. II (Hanovii 1846) p. 18 sq. — Mox vulgo *idem*.

scientissume] Vulgo *scientissime*.

ingenei] Vulgo *ingenii*.

plus — ingenei, quam videretur natura humana ferre potuisse] Similiter Chalcidius in Timaeum fol. XXXVI. a. ed. Ascens. *maius esse opus dicit, quam ferre valeat hominis ingenium*. Alia Maius comparavit.

iudicabam] Cod. *iudicam*; sed mox factum *iudicabat*. Mihi videbatur scribendum *iudicabam*. Maivs. Quem secuti sunt omnes praeter Krarupium, cui ex *iudicam* effici posse *iudicavi* videbatur p. 12, in quod et ipse olim incideram, sed quod quum vim imperfecti loco melius

lus, sphaerae illius alterius solidae atque plenae vetus esse inventum, et eam a Thalete Milesio primum esse

convenire intelligerem, posthabendum duxi. Neque abhorret illud corruptelae genus, quo imperfecti media syllaba interciperetur, ab antiquiorum codicum consuetudine: quod evenit Liv. XXX, 32 in *subiciebant*, de cuius varia scriptura et ipsa depravationis ratione Alschefsky consulendus est in eius libri editione a se curata p. XXIII.

sphaerae] Ex Cod. Maius *sfaerae*.

Thalete] Unice vera haec apud bonos scriptores ablativi forma, cuius loco quod de N. D. I, 33 vulgatur *Thale* non adducor ut genuinum censeam, minime defendendum accusativi forma *Thalem* apud Plaut. Capt. II, 24 et Bacch. I, 2, 24. Nam *Thalen*, quod in Cic. de or. III, 34 legitur, a Cicerone eo minus mihi persuadeo olim scriptum fuisse, quo certius accusativi *Thaletem* exemplum nunc in his ipsis libris nacti sumus, c. 16. Apuleio vero, ex quo afferunt dativum *Thali*, hoc idioma cum aliis id generis permultis relinquamus. Sed ut a nomine ad rem nos vertamus, a Thalete quandoquidem Cicero ait sphaeram primum tornatam esse, vulgari is famae contradixit, secundum quam Anaximandro universo ceterorum scriptorum consensu eius inventi honor tribuitur, qua de re diserte nuper exposuit Schiekius in Prol. schol. Hanovii 1843 edita (Ueber die Himmelsgloben des Anaximander und des Archimedes, I Abth.): qui quum hac de dissensione statuendum sibi esse intelligeret, §. 9 eam ita dissolvere studuit, ut Ciceronem, si quidem genuina esset lectio *tornatam*, in appellando Thalete pro Anaximandro errasse, aut si illius vocis loco *ornatam* vel adeo *adornatam* legendum esset, sphaeram ab Anaximandro adiuvante Thalete, qui eam stellarum signis adornasset, confectam esse suspicaretur. Mihi vero neutra sententia viri amicissimi satis probabilis videtur. Ut de posteriore primum dicam, quum ea manus 1 auctoritate sola nitatur, quam in tam aperto eius lectionis sensu altera nunquam mutatura fuisset nisi *ornatam* pro *tornatam* in perspicuo scribentis vitio referendum visum fuisset, insuper etiam eo laborat, quod id quod discipuli potius fuisse videatur, magistro iam tribuitur. Quantum ad priorem sententiam, tametsi concedi potest, in nominando Thalete Tullium memoria lapsum esse, tamen qui quae inter utrumque philosophum necessitudo intercesserit, apud se reputarit, facile in eam sententiam adducetur, ut opus a magistro inventum discipulum adornasse atque, quod tamen in sola coniectura quamvis non improbabili positum est, primum vulgasse censeat: quod si admittamus, simul patet, cur Anaximandri potius quamThaletis nomine sphaera illa celebrata sit. Quodsi denique Thaletem unus sane Cicero pro Anaximandro exhibet, memineris qui pro Anaximandro loquantur, eos esse numero admodum paucos, Plinium, Diogenem Laert. et Suidam, illum vero omnium testium esse antiquissimum. Praeterea simile aliquid Pythagoram quoque commentum esse, fama fuit, quam secutus est Hermesianax vs. 85 sq., quicum conferendus Galenus de philosoph. hist. T. XIX. p. 270 ed. Kühn.: apud quem quod nunc vulgatur *βαιῇ ἐνὶ σφαίρῃ πάντ' ἀποτασσόμενον*, comparari potest cum Claudiani Epigr. I, 26 ed. Barth. (p. 515 ed. Walch.): *Iuppiter in parvo cum cerneret aethera vitro*. Restat ut breviter moneatur, quae Cicero de Thaletis sphaera ab Eudoxo iterum descripta et ornata, ab Arato denique versibus elata referat, quum praeter hanc etiam aliae eiusdem generis fabricae ab aliis post Thaletem confectae circumlatae sint, summatim dicta accipienda esse, quod quum Tullius totum locum, qui est de sphaeris Graecorum, non pertractaturus esset, nihil debet videri mirum. Qua de re accurate exposuit Schiekius p. 35.

tornatam: post autem ab Eudoxso Cnidio, discipulo, ut ferebat, Platonis, eandem illam astreis caelo inhae-
Q. IV. rentibus es|se descriptam; quoius omnem ornatum et
p. 65 descriptionem, sumptam ab Eudoxso, multeis anneis post non astrologiae scientia, sed poetica quadam fa-

tornatam] Ita cod. 2 manu; at 1. *ornatam*. Cicero in arateis 304: *tam tornare cate contortos possiet orbes*. Maivs. Lectionem m. 1 in manifestis huius librarii vitiis refert Rud. de Raumer De Servii Tullii censu p. 18. Mox vulgo *Eudoxso*.

ferebat] Cl. Heinrichius emendabat *ferebant*. Maivs. ed. alt. Ingeniose illud, quod cum Mosero et Nobbius et Zellius in contextum adsciverunt, sed non vere Heinrichius, a Bakio, ut doceor ab Orellio, qui Codicis scripturam expressit, iam refutatus. Etenim *ferebant* si ex ore Galli dicitur, in *ferent* commutandum erat: sin ex loquentis persona, inepte inseritur. Sed refert Philus quae a Gallo acceperat et recte ad Galli auctoritatem hac in re provocabat, quoniam alia ex fama Eudoxus Archytae quoque discipulus putabatur. V. Diog. Laert. VIII, 86. Illam autem famam Cicero etiam de divin. II, 42 secutus est.

eandem] Vulgo *eamdem*. V. ad II, 41.

illam astreis caelo] Cod. 1 manu *illam stellisque caelo*; 2 vero deletum *stellisque* et scriptum *astris*. Maivs. Copula residua *que* certo mihi olim fuit indicio, Ciceronem scripsisse utrumque *astris stellisque*, cuius coniecturae eo minus etiamnunc piget, quo maiorem fidem consensu Ottonis nanciscitur, qui idem sibi placere ad me scripsit, sustentandumque existimat iis, quae Doederleinius Synon. Lat. T. IV. p. 410 attulerit, et Augustini insuper loco de civ. dei VII, 6: *a summo autem circuitu coeli usque ad circulum lunae aethereas animas esse astra ac stellas*. Sed consistere licet in ipso Cicerone, cuius in Somn. Scip. 15 leguntur: *sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis*. De N. D. I, 13: *signis sideribusque caelestibus*. Ceterum eodem plane modo Noster de coelo ipso locutus est, Tusc. V, 24: *quum ... sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere certis infixa sedibus*, quo loco me suspicio subit, quin extrema verba *certis infixa sedibus*, quae et loco incommodo subiiciuntur et plane otiosa sunt, ex margine irrepserint, quippe explicationis gratia ad *caelo inhaerentia* a docto quodam librario adscripta. Quae enim sidera coelo *inhaerent*, non moventur, sed certis infixa sunt sedibus. Ac discernit ea Cicero ipse a planetis, verba haec continuo subiiciens: *septem alia suos quaeque tenere cursus* etc. Atque hoc Tusculanarum loco collato demum perspicitur, quid discriminis Cicerone teste Eudoxi inter et Thaletis sphaeram intercesserit: in hac enim planetas tantum quinque cum sole et luna, in illa vero reliqua quoque sidera descripta fuisse. De stellarum siderumque positura et motu vario quid Eudoxo placuerit, exponit Simplicius in Philological Museum Vol. II. p. 599. 613. 615. 617. Apud Cramerum Anecd. Gr. T. II. p. 522 obiter adiicio *Εὔδοξος* pro *Ἔνδοξος* scribendum videri.

inhaerentibus] Cod. sine diphthongo *inherentibus*, sed deinde haud scio an sit superaddita *a*. Sed et ipsa terminatio vocabuli in codice est obscura. Maivs ed. alt.

sumptam] Ita Cod.; sed alibi *sumt*. Maivs ed. alt.

astrologiae] Ita a Cicerone *astronomiam* vocari, quo nomine demum Seneca usus sit, scite olim animadversum ab Heusing. ad Cic. Off.

cultate versibus Aratum extulisse. Hoc autem sphaerae genus, in quo solis et lunae motus inessent, et earum quinque stellarum, quae errantes et quasei vagae nominarentur, in illa sphaera solida non potuisse finirei. Atque in eo admirandum esse inventum | Ar- p. 66

I, 6. p. 49. Promiscuo usu utrumque vocabulum dictum esse ad illa Aristotelis Meteor. I, 3, 3 verba *τῶν ἀστρολογικῶν θεωρημάτων* his exposuit Olympiodorus p. 139 ed. Ideler. *Οὐκ ἔδει δὲ εἰπεῖν ἀστρολογικῶν, ἀλλ' ἀστρονομικῶν· ἡ γὰρ ἀστρονομία οἶδε τὴν κίνησιν. τί οὖν; φαμὲν ὅτι ἀρχαϊκῶς ἐχρήσατο. πάλαι γὰρ ἡ περὶ οὐρανοῦ πραγματεία καὶ ἡ ἀστρονομία καὶ ἡ ἀστρολογία ὡς μία ἐπιστήμη ἦν, ἡ μὲν τὴν οὐσίαν τῶν ἄστρων διδάσκουσα. ἡ δὲ κίνησιν, τὰ ἀποτελέσματα· ὁ οὖν Ἀριστοτέλης τὴν ἀστρονομίαν ἀστρολογίαν ἐκάλεσεν. ὁ δέ γε Πλάτων τὴν φυσιολογίαν ἀστρονομίαν καλεῖ ἐν Τιμαίῳ*, ubi Idelero Olympiodorus spectasse videtur Platonis p. 27. A: *ἔδοξε γὰρ ἡμῖν Τίμαιον μέν, ἅτε ὄντα ἀστρονομικώτατον καὶ περὶ φύσεως τοῦ παντὸς εἰδέναι μάλιστα ἔργον πεποιημένον* et quae seq. Istuc quoque refer Chalcidii in Timaeum fol. XXXVI. a ed. Ascens. *ratus tractatum istum* [qui agit de natura stellarum errantium] *ad astronomiam potius quam physiologiam* [ita leg. pro *physilogiam*] *pertinere.* Ceterum *astrologorum* nomen pro *astronomis* usu vulgari nullo tempore plane excidit.

extulisse] De constructione infinitivi a praegresso relativo pronomine apti docte disseruit Heinrichius. Ex Tacito exempla haud pauca contulit Bachius in Welckeri Mus. Ren. nov. T. I. p. 356. Ceterum quemadmodum constat Aratum in opere astronomico suo ad Eudoxi doctrinam pluribus scriptis comprehensam totum sese applicuisse, qua de re nuper exposuit Suringar Comm. de schol. Germani Arat. Lugduni 1842. p. 1, ita postquam de singulis eius operis partibus accurate disseruit Grauertus in Niebuhrii Mus. Rhen. I, 4, nunc patet, quod Tullius Aratum hic versibus extulisse atque ab Eudoxo mutuatum esse tradit, pertinere ad *ἀστροθεσίαν*, qua prima operis parte Aratus non siderum stellarumque cursus et motus, sed singulorum sedem et rationem, qua quique in caelo fixi putarentur, descripserat: qualiter id factum fuit in sphaera illa altera Archimedis plena ac solida. Archimedis vero hanc sphaeram Aratum ante oculos habuisse, vel ab hoc illum quidpiam mutuatum esse, neque demonstrari potest, neque per se probabile videtur. Cf. Schiekii Comm. II. a. 1846 vulgata p. 19.

quinque stellarum etc.] Planetas his significari, res est manifesta; sed minus apertum, cur quinque numero esse dicantur, quum ex vulgi opinione plerumque septem numerentur, ac Cicero ipse infra VI, 17 totidem exhibeat. Nimirum nostro loco, ut de N. D. II, 34 et Tusc. I, 25, solem et lunam a planetis secernit, quae stellae alioquin planetis annumerari solita sunt. Qua de re adeas, si lubet, quae adnotavimus ad Lydum de cometis p. 36 seq. et Ioannem monachum in Maii Spicil. Rom. T. IV. p. 372.

finirei] Concava ergo erat haec, de qua nunc sermo fit, sphaera Archimedis. Sphaeras quidem aegyptiacas et chaldaicas, in quibus non tam motus caelestes quam fata hominum et nativitates superstitiosa curiositate expressae erant, vidisse se ait Proclus in comm. ad platonicae reip. librum X. Easdem commemorat etiam Iulius Firmicus math. VIII, 5 et alibi. Maivs ed. alt. Recepit Lehnerus A. Maii emendationem [in Emm., in ed. alt. omissam] *fieri*, ut sit i. q. perfici. Sed et hoc modo

chimedei, quod excogitasset, quemadmodum in dissimillumeis motibus inaequabileis et varios cursus servaret una conversio. Hanc sphaeram Gallus quom moveret, fiebat, ut solei luna totidem conversionibus in aere illo, quot diebus in ipso caelo, succederet; ex

esse, quod offendat, fatetur. Et certe non commode dicitur: *Hoc sphaerae genus — in illa sphaera non potuit fieri.* Negligentius igitur hoc dictum esse existimat pro: *Id autem, quod in hoc sphaerae genere fieret, in quo solis et lunae motus inessent, in illa sphaera solida non potuisse fieri.* Sed singularis mihi videtur ea emendandi ratio, qua in librum summa cura elaboratum negligentia emendando infertur. Si loquendi ratio minus consueta Ciceroni conceditur, quidni feramus, quod in Codice est, *finiri*, quod item potest intelligi *perfici, absolvi.* Et tulerunt Heinr. Sch. et Steinack. Moservs. Item Zell. Nobb. et Orellius, qui Beierum ait interpretatum esse *definiri*, allato de N. D. II, 35, ubi mundi dicuntur *motus finiti et aequabiles.* Sed nihil hoc ad nostram rem, neque verbum illud pro absolvi, perfici, Moseri de sententia, alio modo dici potest, quam quo de re aliqua ad finem suum perducenda agitur, id quod haud magis huc pertinet. Mihi vero *finiri* idem esse videtur quod signari, constitui, de ipsa globi descriptione intelligendum, quippe in quo ob solidam eius materiam stellarum illarum motus non potuissent exhiberi; eodemque sensu vocem interpretatus posthac videtur Beierus Pädag. philolog. Litteraturbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 188. Ceterum Wolffius coni. *ex illa solida non potuisse fieri.*

in eo] Recte sic pro Codicis scriptura *in ea*, a Maio ed. alt. pertinaciter servata, Heinrichius, quem cum Mosero secutus est Orellius. *Eo* in *ea* mutatum fuit ob praecedens *sphaera solida.*

dissimillumeis] Vulgo *dissimillimis.*

inaequabileis] Vulgo *inaequabiles.* V. ad I, 34 *civitatium.*

servaret una conversio] Confirmat Cicero tusc. I, 25: *cum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit, effecit ut dissimillimos motus una regeret conversio.* Archimedis sphaerae, in qua sol decurreret, meminit etiam Cassiodorius var. I, 45. Locutionem hanc Ciceronis imitatur aperte Lactantius inst. VII, 14: *et septem sidera quae vocantur errantia, quorum dispares cursus et inaequabiles motus rerum ac temporum varietates efficere creduntur.* Maivs. Idem Add. ed. alt. p. 385: „Immo vero Lactantius eod. op. II, 5 adhuc manifestius Ciceronem imitatur sic dicens: *Archimedes siculus concavo aere similitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita solem et lunam composuit, ut inaequales motus et caelestibus similes, conversionibus singulis, quasi diebus, efficerent: et non modo accessus solis et recessus, vel incrementa diminutionesque lunae, verum etiam stellarum vel inerrantium vel vagarum dispares cursus orbis ille, dum vertitur, exhiberet.*“ Similia de Posidonii sphaera quadam, de qua v. Schiek p. 24, tradit Cicero de N. D. I, 34: *cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus.*

aere] Pessime solus Nobbius *aëre*, Beieri de sententia. Bene opposuit Orellius Lactant. Inst. II, 5, 18. III, 24, 6 de eadem sphaera: *aereos orbes fabricati sunt*, ubi simili errore alii *aethereos.* Cf. Schiek p. 23. Adde quod tradit Ammianus Marcell. XXV, 10 de Maximiani statua Antiochiae in vestibulo regiae collocata, manu, ut testantur huius

quo et in sphaera solis fieret eadem illa defectio, et incideret luna tum in eam metam, quae esset umbra terrae, quom sol ex regione***

ipsius vel aliarum similium imaginem exhibentes numi illo imperatore cusi (v. Eckhel T. VIII. p. 35. 36), *sphaeram aeream*, ut ait Ammianus, *formatam in speciem poli gestante*, videlicet ad significandam summi imperii dignitatem.

quot] Cod. habet *quod*, ob sonum videlicet similem sequentis litterae *d*. [V. Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 6. p. 58.] Profecto Longus p. 2231 iam observavit, *quot* et *quod* male aliquoties confundi. Maivs. Cuius confusionis memini alibi me exempla dare: quibus nunc adde Ann. dell' inst. archeol. T. X. p. 232.

sphaera] Cod. *sphela*, quamquam *l* non caret interpolatione. Superius cap. V [ubi v. not.] vidimus *lacelari*. *Sphela* definitur *lignum excavatum* a Caelio Rhodigino antiq. lect. XXV, 2. Agitur autem heic revera de globo concavo. Locus tamen aliqua corruptela laborare videtur. Maivs ed. alt. Hic quum Codicem secutus, in utraque ed. vulgasset *ex quo et in caelo sphaera* addidissetque olim in nota nunc omissa, vocem *sphaera* omittendam, aut scribendum sibi videri *caeli sphaera*, a Mosero refutatus fuit, qui, examinatis ceterorum editorum commentis, hic, quum nullum eorum placeat, omittendis, Heinrichio viam monstrante recte *caelo* delevit, ut aliunde perperam illatum; non item recte *ea* praeponens, quod pronomen, si abest, nemo desiderabit neque qua ratione id exciderit, facile explicabit. Heinrichium cum Orellio Zellio et Nobbio nos quoque sequendum putavimus. Aliam Otto instituit viam, ab ipso iam ante monstratam ad Fin. p. 406, nunc ad me scribens: „Lege *ex quo ut in coeli sphaera solis fieret* etc. coll. Cic. de N. D. II, 34, 88: *cuius* (Posidonii) *singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in coelo* etc. Est comparatio naturalis coeli sphaera cum artificiosa Archimedi, quod probatur ex illo Cic. de N. D. loco, ubi de Posidonii sphaera idem narratur, pauloque post de Archimedi ipsius." Similis coniectura Wolffii: *ex quo ut in coelo, ita in sphaera solis fieret*. At *caeli sphaera* vix Latinum, aut certe non Ciceronianum. Unus Martianus Capella de nupt. phil. II, 9. p. 146. ed. Goez. dixit: *caelitis* [alii *caelestis*] *sphaerae globum*, quod ipsi non invidebimus. Schiekius Comm. II. p. 5 et 22 unice probat, in quod etiam Moserus inciderat, *ex quo ut in coelo, in sphaera* etc.

quom] Vulgo *cum*, ut Cod., vel *quum*. Mox vulgo *e*.

quom sol ex regione] Legatur Dio Cassius LX, 26. Lacuna autem incidit in rem notissimam; et quidem veterem et satis congruentem doctrinam tradit etiam Hieronymus comm. in Is. lib. XVIII. cap. 66. vers. 23: *luna ab ea semper orbis parte completur et fulget, a qua soli vicinior est, nec umbra terrae obscuratur*. (Censor Lips. in hac explicatum lacuna parelium fuisse iudicat, inde vero sumpsisse Ammianum quae narrat lib. XX, 3.) Supplementa quaedam lacunae (nempe de siderum in illa sphaera cursu) videtur dare ex ipso Tullio, quem saepe expilat, Lactantius inst. II, 5: *Archimedes siculus concavo aere similitudinem mundi ac figuram potuit machinari; in quo ita solem ac lumen composuit, ut inaequales motus et caelestibus similes conversionibus, singulis quasi diebus efficerent: et non modo accessus solis et recessus, vel incrementum diminutionesque lunae, verum etiam stellarum vel inerrantium vel vagarum dispares cursus orbis ille dum vertitur exhiberet*. Maivs ed. alt. Ceterum de altera hac Archimedis sphaera Schiekius Comm. II. p. 22 sq. tam ingeniose diligenterque disseruit, ut se-

(Octo paginae hic Maio desiderantur.)

p. 59 **XV. 23.** *** **fuit, quod et ipse hominem diligebam, et in primeis patrei meo Paulo probatum et carum fuisse cognoveram. Meminei, me admodum adulescentulo, quom pater in Macedonia consul esset, et**

cundis curis pauca reliquerit. Miror fugisse Schiekium, ut unum tangam, quae apud Ovidium Fast. VI, 270 sq. et Claudianum l. l. de sphaeris Archimedis leguntur (et Archimedis eas fuisse utroque loco distincte expressum) unice ad hoc alterum Syracusani opus referenda esse, quod attente rem perpendentem ac quid rei a poeta ornatus gratia additum sit tollentem latere diu non potest: quo dispelluntur eae tenebrae, quas Schiekius ipse excitavit seque dispellere non posse desperavit p. 31 sq. Atque hanc sphaeram dici, certo ex eo colligitur, quod apud utrumque testem terra in medio globo collocata traditur, quod in solida sphaera, ut ipse Schiekius perspexit, fieri non potuit. Praeterea si vitro ea sphaera inclusa dicitur, id vix ab Archimede factum putaverim, sed posthac quum ea publico fortasse aliquo loco exposita, quo Ovidius eam vidit, tali involuero melius conservari videretur. Ac in cista rotunda sphaera eiusdem prorsus rationis, qualis Archimedea illa fuit, servatur, quam signorum caelestium posituram exploraturus Astraeus movet apud Nonnum Dion. VI, 87: quem locum gravissimum doleo a Schiekio neglectum esse, praesertim quod in descriptione ea sphaerae simul quaedam de ratione eam movendi insint, qua in re explicanda sibi desperandum esse Schiekius confessus est p. 32. Sed plura insunt in isto loco, quae anteaquam in rem convertantur, diligentis interpretis curam requirant. Tetigit interim locum Creuzerus Zur Gemmenkunde p. 82 et 182. Continebo me in adscribendis iis verbis quae proxime ad hunc Ciceronis locum spectant, vs. 76:

καὶ Φαέθων ἰσόμοιρος ἔην ἀντώπιδι Μήνῃ,
κέντρῳ ὑποχθονίῳ πεφορημένος· ἀχλυόεις δὲ
κῶνος ἀερσιπότητος, ἀπὸ χθονὸς ὀξὺς ἀνέρπων,
ἀντίτυπον Φαέθοντος ὅλην ἐκάλυψε Σελήνην.

quod et] Cod. *ed*, quamquam heic neque sequitur consona similis soni, ac mox recte scribitur *et*. Maivs. Ceterum sunt verba Scipionis de Sulpicio Gallo, de quo Philus antea retulerat.

Paulo] Nobb. et Orell. *Paullo*.

adulescentulo] Quippe Scipio annos natus XVII versabatur in macedonico patris exercitu, quod aiunt Livius XLIV, 44, Diodorus ed. Wesseling. tom. II. p. 580. Maivs ed. alt. Cum iis quae de *adulescentulorum* et *adulescentium* aetate monuit Moserus conferenda sunt, quae attulit Heusing. ad Off. II, 13. p. 468. Ceterum revocavi hic et infra c. 19 Codicis scripturam, *adulescentulo* et *adulescentes*, (eandem Cod. supra c. 8 et infra c. 43 et II, 1, sed II, 2 *adoleverit*, ad quem locum Maius ed. alt. adnotat, *adulescens* constanter [in ed. pr. dixerat „passim“] in priscis codicibus occurrere): quam praeter Steinackerum, ceteri editores Heinrichio duce in *adol.* mutarunt lectore ne monito quidem, quasi res confecta esset, hac sola forma Ciceronem usum esse, dum utra forma antiquior sit adhuc disceptatur. V. Cellarii Orthogr. T. I. p. 161. Harl. Certe antiquiores, ut memini, tituli *adulescens* exhibent, qualis est Tabula alim. p. 35 ed. Wolf. eandemque formam Livio nuper Alschefski ad Lib. XXX. p. XCIV vindicavit, insuper etiam oblatam in Cod. rescripto orat. pro Rosc. Am. 1, teste Niebuhrio Cic. orat. fragm.

essemus in castreis, perturbarei exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum ille: Quom legatus noster esset anno fere ante, quam consul est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castreis docere, nullum esse prodigium; idque et tum factum esse, et certeis temporibus semper futurum, quom sol ita locatus fuisset, ut lunam suo lumine non posset attingere. Ain tandem? inquit Tubero; docere hoc poterat ille homines paene agresteis, et apud imperitos audebat haec dicere? *s.* Ille vero, et magna quidem cum***

24. (Hic Maio duae ad minimum paginae videntur deesse.)

***neque *in*solens ostentatio, neque oratio abhorrens p. 71 a persona hominis gravissumei; rem enim magnam ad-

p. 83, atque etiam in optimo Mediceo Ep. ad fam. I, 7, 9. 9, 11. 23. II, 1, 2. VII, 17, 2, inque optimis orationis pro Sextio, teste Halmio in sua eius orat. editione p. 321. Grammaticorum veterum praeceptis non multum tribuendum, quum consuetudine scribendi ipsa neglecta suam doctrinam saepe ad etymologicam rationem eos accommodasse certum sit: ex quibus Festus v. *suboles* derivat *adolescens* ab *olescendo*; Nonius MS. vero in Sinneri Catal. codd. bibl. Bern. p. 530 non solum ob hanc vocis originem *adoleseens* alteri formae praeferendum ait, sed adeo grammatica arte abutitur, ut quo a participio distinguatur, substantivum praecipiat proferendum esse *adoliscens*; nisi haec reformanda sunt ad illa Velii Longi p. 2243: *Adulescens nomen est: Adolescens participium est.*

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*, uti mox.

perturbarei] Cod. *pertubari*, sed videtur superaddita *r*. Maivs.

inquit] Ita [*inquid*] codex, quia scilicet sequitur *t*, ut superius p. 26. v. 4. Nimirum *d* ante *t* sonabat *t*. Aliter tamen p. 33. v. 14. Maivs. V. ad c. 9.

agresteis] Vulgo *agrestes*. V. ad I, 34.

apud] Ex Cod. Maius *aput*.

quidem cum***] Videtur statim supplendum *exercitus nostri salute*; reliqua oratio, quae fuerit, docent historici. Plinius in primis II, 12 etc. Maivs. In ed. alt. Frontini et V. Maximi locis deinceps laudatis Maius addit Quntil. I, 10, 47.

gravissumei] Adhuc Scipio defendit Sulpicium contra Tuberonis exceptionem. Itaque lacuna haec brevis admodum fuisse videtur, nempe paginarum duarum. Maivs. Vulgo *gravissimi*.

adsecutus] Illud ex Cod. Maius. Heinrichio praeeunte reliqui *assecutus*. Sed non sine caussa hic ob omissum verbum Heinrichius offendit: audacior autem quam verior eius scriptura est, *rem enim erat magnam assecutus*. Atque etiam verborum nexui magis *est* convenire videtur, quod et sensisse Maium video, sic ed. alt. adnotantem: „Ita codex sine *est*.“ Rem fortasse expedivit Otto scribendo *adsecutu 'st*, collato de frequenti librariorum in hac scribendi ratione lapsu Madvigio

secutus, quod hominibus perturbateis inanem religionem timoremque deiecerat.

XVI. 25. Atque eiusmodei quiddam etiam bello illo maxsumo, quod Athenienses et Lacedaemoniei summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille, et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae,
p. 72 quom opscurato | sole tenebrae factae essent repente, Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse civeis suos dicitur, id quod ipse ab Anaxsagora, quoius auditor fuerat, acceperat, certo illud

Opusc. p. 448 et ad Fin. p. 448: quam lectionem felicissimo ingenio repertam suscipere haud dubitabo, quum quod frequentarunt poetae scenici, idem etiam Ciceronem sibi indulsisse, idoneis fuerit demonstratum exemplis, diligenter inquirenti fortasse non defuturis.

quod hominibus — deiecerat] Hic commemoranda sunt Platonis verba de stellarum motu Tim. p. 40: *χορείας δὲ τούτων αὐτῶν καὶ παραβολὰς ἀλλήλων, καὶ περὶ τὰς τῶν κύκλων πρὸς ἑαυτοὺς ἐπανακυκλήσεις καὶ προσχωρήσεις, ἵν' ὅτε ταῖς ξυνάψεσιν ὁποῖοι τῶν θεῶν κατ' ἀλλήλους γιγνόμενοι καὶ ὅσοι κατάντικρυ, μεθ' οὓς τινάς τε ἐπίπροσθεν ἀλλήλοις ἡμῖν τε κατὰ χρόνους οὓς τινας ἕκαστοι κατακαλύπτονται καὶ πάλιν ἀναφαινόμενοι φόβους καὶ σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι πέμπουσι, τὸ λέγειν ἄνευ διώψεως τούτων αὖ τῶν μιμημάτων μάταιος ἂν εἴη πόνος.*

perturbateis] Cod. *pertubatis*, sed mox superaddita *r*. Maivs. Eandem eiusdem vitii correctionem supra eod. cap. notavimus.

Atque] Ex Cod. Maius *adque*.

bello] Ita Cod. 2 manu; 1 *vello*.

maxsumo] Vulgo *maximo*.

Lacedaemonii] Ita in cod. constanter *lacaedemonius* et *Lacaedemon* cum diphthongo in secunda syllaba, quum vulgo scribatur in tertia. Vaticanae scripturae favet quodammodo gentile *lacaena*, et vocis etymologia, siqua est, ex *δῆμος*. Sed haec mea sane proiecta sunt, non dogmata. Cod. heic prima manu habet *Lacaedemoni* cum unica *i*. Maivs ed. alt. At vide Moserum. De frequenti hoc librariorum lapsu v. Freund. ad Milon. p. 29 sq.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*.

opscurato sole] Respiciebat sine dubio ad hunc Ciceronis locum Valerius Max. cum lib. VIII, 11 ext. 1 scribebat: *cum obscurato repente sole inusitatis perfusae tenebris Athenae sollicitudine augerentur* etc. *Pericles processit in medium, et quae a praeceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis et lunae cursum acceperat, disseruit; nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est.* Censor lips. apud Mr. Maivs ed. alt. Vulgo *obscurato*.

civeis] Ex Cod. Maius *civis*: ceteri *cives*. V. ad I, 34 *civitatium*.

id quod] Male quidam interpungunt *id, quod*, obliti ii, obiectum verbi *docuisse* supra in *quiddam* haberi.

quoius auditor fuerat] V. Plat. Phaedr. 120 ibiq. Heind. et Schol. p. 66 Ruhnk. (p. 318 Bekk.) Cic. Or. 4. Vulgo *cuius*: v. ad III, 11.

acceperat] Pericli ab Anaxagora ait Plutarchus in illius vita cap. VI

tempore fierei et necessario, quom tota se luna sub orbem solis subiecisset: itaque etsei non omnei intermenstruo, tamen id fierei non posse nisei certo intermenstruo tempore. Quod quom disputando ratio|nibusque docuisset, populum liberavit metu: erat enim tunc haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere; quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt. Id autem postea ne nostrum quidem Q. VI. p. 79

detractam fuisse superstitionem; qua tamen egregie idem Pericles non sine politico astu usus est, quum obiecta militibus Ditis patris falsa imagine, victoriam illam praedicendam sibi curavit, quam reapse consecutus est. Lege Frontinum strat. I, 11. Item Pisistratus quum Phya muliere, specie Minervae, prae curru collocata, finxit se ab hac dea reduci Athenas. Herodot. I, 60. Polyaen. I, 21. MAIVS ed. alt.

illud] Ita [*illut*] cod. pro *illud*. MAIVS. Eadem scriptura c. 17. 24. 26. 35. 40. 41. 42. II, 21. 23. 25. 28. 37.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*, ut mox.

intermenstruo tempore] *Intermenstruo* superadditum est a 2 manu. MAIVS. De re Augustinus Epist. 199, 34. p. 981 ed. Bassan. *Quando nos vidimus solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cum lumen mundi penderet in ligno? nisi forte defectus solis et lunae, quos consueverunt computatores siderum annotare atque praedicere, inter caelestia prodigia numerabimus, quia lunam saepius in sua plenitudine, solem vero rarius, sed tamen vidimus in fine lunae secundum eorum computum defecisse. Non erat talis solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, et ideo vere mirabilis erat et prodigiosus. Pascha quippe fuerat Iudaeorum, quod nonnisi in lunae plenitudine celebratur. Secundum astrologorum autem numeros certum est solem, quando luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est lunae, non quidem semper, sed aliter numquam, quam* [Ed. *cum*] *secundum illos numeros deficit.*

tunc] Cod. 1 manu *tum*, 2 *tunc*. MAIVS.

oppositu] Cod. *oppositum*, quod cum Maio ceteri editores de sensu securi repetierunt. Sed profecto in solis defectu non lunae sol, sed soli luna opponitur. Quod confidenter nunc scripsi *oppositu*, quum id legendum esse dudum in schedis adnotassem, idem nunc video etiam Nobbium Beieri de sententia vulgare, et sibi placere Otto me monet, collatis Augustino de civ. dei X, 2: *lunam solis obiectu illuminari putant* et Fragmento huius operis ex libro IV Nonio v. *aptam* citato: *Eademque obiectu suo umbram noctemque efficiat.* Addo Plinii H. N. II, 73 (71): *Ideo nec nox diesque quaevis eadem toto orbe simul est, oppositu globi noctem; aut ambitu diem afferente.* Idem c. 7: *Quippe manifestum est, solem interventu lunae occultari lunamque terrae obiectu: ac vices reddi, eosdem solis radios luna interpositu suo auferente terrae, terraque lunae.* Chalcid. in Timaeum fol. XXXVI a. ed. Ascens. *sed quo nobis contra spectantibus inferioris obiectu visus arcetur stellae superioris: propterea que deficere ac laborare propter obiectum inferioris superior existimatur.* Gell. IV, 5, 3: *quem locum sol oppositu ... illustraret.* Macrobius Somn. I, 15 de luna: *aut soli ipsa succedens obiectu suo ab humano adspectu lumen eius repellat.*

Ennium fugit, quei, ut scribit anno quinquagensumo

Ennium] Inseruit haec Enniana antea ignorata Annalium libro IV E. S(pangenbergius) ed. suae p. 67.

quei, ut scribit] Delenda videtur praep. *ut*, sive potius transferenda ante *non. iunis*. Sic enim fiet integer Ennii versus. Maivs ed. alt. Sed posterior emendandi ratio (de priore enim non opus dicere) quum audacior est, tum etiam eo minus probanda videtur, quo quae ad complendum versum adsumenda sunt verba *Nonis Iunis*, ex certiore iudicio Ciceroni potius quam Ennio adscribuntur. Nam quamquam Steinackero duce Moserus, Orellius et Nobbius, quibus sese Spangenbergius accommodavit, eandem sententiam tenuerunt, ut *Nonis Iunis* poetae verba putarent, tamen eam ut probem non antea adducar, quam demonstratum fuerit, eius generis notas chronologicas rerum gestarum enarrationi poetam revera inseruisse, quod quum per se credibile non est, tum nullo, quod in tanto superstitum fragmentorum numero sane notandum, exemplo probari potest; nam unus qui afferri hanc in rem possit locus, I, 115 Spang., ita comparatus est, ut Ennium ea diligentia, qua res gestae a scriptore ad temporis momenta exigi solent, plane abstinuisse doceat. At locum porro Moserus ita expedire sibi visus est, ut cum Heinrichio et Lehnero, quos Orellius, Nobbius, Zellius, postea etiam Steinackerus Replik für H. Staatsrath Niebuhr Lipsiae 1824 p. 15, quum in ed. de coniectura Spangenbergio probata *qui adscribit* vulgasset, secuti sunt, commate post *qui ut scribit* posito, Lehneri de sententia verba *qui ut scribit* interpretaretur, *apud quem, ut scribit*, i. e. *apud quem, ut eius verbis utar*. Quam constructionis rationem fateor me adhuc non satis assecutum esse, neque ullo pacto admitti posse censuit Otto, ita pergens: „Ego autem transponenda verba censeo scribendumque *ut qui scribat;* transpositio autem orta est e praecedente *fugit, ut qui*, ubi mihi quidem *ut* propter extremam syllabam in *fugit* excidisse videtur, librariusque ignorans rem *qui* alieno loco interposuisse; de coniunctione verborum *ut qui* Ciceroniana vide meas Divin. Liv. p. 25.“ Minime vero, idem subiungit, ad defendendam vulgatam habere vim aliquam, quod nonnemo putare possit, eiusmodi particularum maxime et pronominum transpositiones vel inversiones, quales reperiantur, ut *quae ne spes* Epist. ad fam. I, 3, *eo si onere* II, 17, 2, *tu ut scribis* XIV, 1, 1, hoc exemplum licet nostri sit simillimum, *omnia qui* IV, 5, 12, *hoc ut sciat* XIII, 77, 1, *hoc si praeterito anno* Caelius VIII, 5, 3, *saepe ut audivi* II, 10, 3. Sed *ut qui*, in quod etiam Wolffius inciderat, a loci sensu plane alienum, ut quo explicandi gratia nulla appositio desideretur. Quod nescio quis in Seebodii Neues Archiv II, 1. p. 143 proposuit, ut *quia scribit* legeretur, id non solum a Ciceronis consuetudine, sed a Latino sermone omnino abhorrere videtur. Ego vero nihil sanius nostro loco existimo, si post *qui* incidamus et *ut* sequentibus adiungamus, ita ut *qui* verbo suo quidem careat, sed mente facile *ait* suppleatur, quod Cicero quum interponeret *ut scribit*, consulto omisisse putandus est, pro breviandi suo, quod in citandis poetarum exemplis admodum sectatur, studio, quo illud ipsum *ait* saepenumero supprimitur, ut de N. D. I, 6: *ut ille in Synephebis;* II, 2: *ut idem Ennius;* II, 25: *Euripides autem ... sic hoc breviter*. Sed nolo plura, quum praesertim horum exemplorum ratio non plane eadem, sed similima tantum sit. Quae vero a Cicerone temporis gratia accurate designandi subiunguntur *ut scribit — Nonis Iunis*, ab ipso quidem profecta puta, sed hausta ex ipso Enniano opere, cuius intra ipsos carminis versus quidem locum habere non poterant, sed a poeta in margine paginae, quo legerentur loco illi versus, quibus defectus solis exponeretur, adscripta erant. In

et CCC fere post Romam conditam Non. Iunieis, „solei luna obstitit et nox.“ Atque hac in re tanta inest ratio atque sollertia, | ut exs hoc die, quem apud Ennium et p. 280
in maxsumeis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint, usque ad illam, quae Noneis Quinctilibus fuit regnante Romulo: qui-

hanc enim formam Ennii opus conscriptum fuisse videtur, ut temporum, quorum res gestae exponerentur, notae ab ipso contextu verborum excluderentur, sed, quoniam in carmine historico ad seriem annorum composito sine detrimento ipsius rei omitti non poterant, quoque loco, ubi opus videretur, breviter adscriberentur, sive in ora paginae, sive sic ut temporis cuiusque, praesertim anni notatio enarrationi eius praescriberetur. Huic coniecturae, cuius ratio ex ipsa carminis indole prodit, si quid tribuendum est, recte tum censebimus Ciceronem verbo *scribendi* usum esse, ubi testimonium Ennii non tam poetae, quam potius scriptoris affert, ut in illo Bruti loco c. 15: *Q. Ennius, praesertim quum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo.* Eodem sensu Varro de re rust. III, 1 et Suetonius Aug. 7, ubi testis loco Ennium laudant, idem verbum posuerunt.

quinquagesumo et CCC] A. Maius cum numerum CCC supra lineam positum reperisset, scripsit *quinquagesimo CCC.* [Hunc secuti sunt Steinack. Schütz. et Lehn.] Nos cum Heinr. numeros transponendos esse duximus, quod, cum maior numerus in Cod. a prima manu omissus fuerit, eo magis facere licebat. Moservs. Quod hic igitur scripsit *trecentesimo et quinquagesimo*, expressit Zellius quoque et Orellius, ita tamen hic cum Nobbio, ut copulam, quae a Cod. abest, omittat et *CCC* exhibeat. Ego quidem nihil muto nisi quod cum Beiero (Paedag. philol. Litteraturbl. 1826. No. 22. p. 189) *et* addidi: atque ut in numerorum ordine, qualem Maius constituit, perseverem adducor eiusdem viri doctissimi auctoritate, qui eundem ordinem in ed. alt. intactum repetiit, mutasset vero sine dubio, si ex eo lineae loco, quo *CCC* additum a librario est, non edoctus esset, hoc et non alio loco librarium illum numerum insertum voluisse. Apte Beierus confert Ep. ad Att. V, 13 init. *sexagesimo et quingentesimo.* Vulgo *quinquagesimo.* V. ad III, 10.

Non.] Ita ex Cod. Maius, quod etiam ii, qui hoc cum sequente voc. Ciceroni tribuerunt, in *Nonis* solverunt.

Iunieis] Ita [*Iunis*] Cod. pro *iuniis.* Maivs. Diductam formam cum Heinr. Zellius; alteram cum ceteris Moserus, scilicet ob metrum. At v. Comm. de pron. tert. pers. Lat. p. 73 et not. ad III, 29 *patrieis.* Factum tamen esse potest, ut iam satis antiquo tempore in his mensium nominibus contractio syllabarum extremarum admissa fuerit. IDIBVS IVNIS exstat in titulo a. p. Chr. 212 inscripto Grut. p. 132, 1. Tantum vero abest ut tales formas, quas modo dixi, ubi in palempsestis reperiuntur, pro Ciceronianis habendae sint, ut eae a scribendi compendio commemorato repetendae videantur.

Atque] Ex Cod. Maius *adque*, ut mox *aput.* Mox vulgo *ex.*

maxsumeis] Vulgo *maximis.*

superiores] Cod. 1 manu *superioris*, 2 *superiores.* Maivs. V. Comm. de pronom. *is* p. 70.

Quinctilibus] Cod. 1 manu *quinctilibus*; mox deleta *e*, quod fieri non fuit necesse, propter alia in vetustis codicibus exempla. Maivs.

bus quidem Romulum tenebreis etiamsei natura ad humanum exsitum abripuit, virtus tamen in caelum dicitur sustulisse.

XVII. 26. Tum Tubero: Videsne, Africane, quod paulo ante secus tibei videbatur, doc***

(Desiderantur paginae duae.)

p. 121 ***lis, quae videant ceterei. Quid porro aut praeclarum putet in rebus humaneis, quei haec deorum regna perspexserit, aut diuturnum, quei cognoverit, quid sit aeternum, aut gloriosum, quei viderit, quam parva sit terra, primum universa, deinde ea pars eius, quam

Sine e nunc vulgatur Ep. ad Att. V, 12. V. quae de formis nominum *Quinctius* et *Quintius* disputavimus Comm. l. p. XVI.

exsitum] Vulgo *exitum*.

paulo] Nobb. et Orell. *paullo*.

doc***] Quid lateat in sequente lacuna haud difficili coniectura adsequi licet. Quum enim superius cap. X se aegre adsentiri astronomorum affirmationibus dixisset Scipio, iam eam dubitationem Tubero dicit praesenti confabulatione fuisse sublatam. Scipio autem, qui nunc loquitur, e caelestium consideratione occasionem capiendam ait contemnendi terrestrium parvitatem. Et quidem huic lacunae quadrant verba e Ciceronis libro incerto apud Augustinum de vita beata ff. 11: *An vero, quod ait Tullius, multorum in terris praediorum dominos divites appellamus, omnium virtutum possessores pauperes nominabimus?* Sane ibi Augustinus ff. 23 consentit cum Cic. de rep. I, 12; ait enim *placuisse ut in pratulo considerent.* Sed sententia quidem similis est in paradoxo VI. Eo spectat etiam Lactant. inst. V, 15. Huc fortasse trahendus Salviani locus de gub. D. I, 2: *Nisi forte antiquis illis priscae virtutis viris, Fabiis, Fabriciis, Cincinnatis, grave fuisse existimamus quod pauperes erant, qui divites esse volebant, cum omnia scilicet studia, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, et crescentes reip. vires privata paupertate ditarent. Numquid* etc. *Non despiciebant tunc puto pauperes cultus, cum vestem hirtam et brevem sumerent, cum ab aratro arcesserentur ad fasces, et inlustrandi habitu consulari, illis fortasse ipsis quas assumpturi erant imperialibus togis madidum sudore pulverem detergerent.* Equidem si Salviani Augustiniique locus uterque in hac lacuna ponitur, ea enimvero cumulatissime expletur. MAIVS ed. alt. Augustini illum locum Nobbius solus ipsi lacunae spatio audacius inseruit: qui quidem nunc, mutata sententia, quum *virtutum possessores* more vix Ciceroniano dici videantur, nec satis multam ἐκ παραλλήλου excusationem habeant, illum locum ex Parad. l. l. ductum atque libere ab Augustino conformatum censet, De fragmentis librorum Ciceronis incertorum, Lipsiae 1827 p. 7.

***lis] Fortasse fuit *cernamus oculis, quae videant ceteri.* Cfr. 36, 56: *qui tanquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus.* Cfr. I, 10, 15: *ut oculis ea cernere videatur.* Pro Scauro §. 25. Adde Doederlein. Syn. Lat. V. IV. p. 314. OTTO. Vulgo mox *perspexerit.*

homines incolant, quamque nos in exigua eius parte affixei, plurumeis ignotissumei gentibus, speremus tamen nostrum nomen volitare et vagarci | latissume; p. 22
agros vero et aedificia et pecudes et immensum argentei pondus atque aurei quei bona nec putare nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus, saepe etiam teterrumorum hominum immensa possessio? 27. Quam est hic fortunatus putandus, quoi solei vere liceat omnia non Quiritium, sed sapientium iure pro sueis vindi-

quamque] Frustra Wolffius *quaque*, recte obloquentibus Beiero l. l. et Orellio sub calcem editionis suae p. 494, castigante ibidem quod legendum proposuerat Anonymus in Seebodii Neues Archiv II, 1. p. 143, quo oratio plane elumbis fit: *Quamquam nos, in exigua eius parte adfixi, plurimis ignoti simus (sumus) gentibus, speremus tamen* etc. Recte ibidem Orellius monuit constructionem verborum esse hanc: et in quam exigua eius parte adfixi etc. In relativo *quam* inest illa vis, cui respondet correlativum *tamen*. *Quam* ab adiectivo suo eundem in modum diremptum exstat apud Hieronymum, ni potius Senecam, quem ille exscripsit, ut videtur, adv. Iovinian. I, 48: *Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat.*

plurumeis] Vulgo *plurimis*, ut etiam mox *ignotissimi* et *latissime*.

atque] Maius ex Cod. *adque*.

agros] Lehnerus ab his verbis novam incipit periodum, post *possessio* ponit semicolon, et post *putandus* signum exclamandi: quo demum facto, neque vero aliter, intelligere se locum fatetur. Ego vero, quamquam ita distinctum locum probe intelligo, aliam hancce, quam dedit Heinr. et volebat Cens. Lips. p. 48, non peiorem, sed meliorem etiam existimo. Neque vero A. Maii distinctio servari potuit, quod fecerunt Sch. et St., ut, positis interrogandi signis post *perspexerit*, post *aeternum* et post *latissime*, plene distingueretur post *possessio*. Sed St. in Corrigendis post hanc vocem interrogandi signum reponi iubet. Moservs. Ad eandem loci distinctionem cum Orellio et Zellio me quoque ferme accommodavi. Ac Maius post *latissime* nunc certe semicolon posuit, et post *possessio* interrogandi signum. Nobbius ed. princ. distinctionem servavit.

saepe etiam — possessio] Vanam esse Zachariae suspicionem, ne verba illa spuria sint, demonstravit Moserus, quem vide. Neque in v. *immensa* ulla est offensio, quam antecessor ille Heidelbergensis reperisse sibi videbatur, quum Ciceronis menti non conveniret dici, saepe etiam teterrimis hominibus aliquamlibet accidisse possessionem, sed immensam: nam illud profecto non admodum moleste ferendum, neque adeo mirandum. Ceterum solus Nobbius citra Codicis auctoritatem *taeterrimorum* per diphthongum scripsit. De vulgata voce, saepe cum *deterrimus* confusa, Ciceroni minime eripienda Heinrichius ad h. l. consulendus est. V. etiam ad c. 28. Ceterum vulgo *teterrimorum*.

quoi] Vulgo *cui*. V. ad III, 11.

p. 139 ca|re! nec civilei nexo, sed communei lege naturae, quae vetat ullam rem esse quoiusquam nisei eius, quei tractare et utei sciat: quei imperia consulatusque nostros in necessarieis, non in expetendeis rebus, muneris fungendei gratia subeundos, non praemiorum aut gloriae caussa adpetendos putet: quei denique, ut Africanum avom meum scribit Cato solitum esse dicere,
p. 140 possit idem de se praedicare, | numquam se plus agere, quam nihil quom ageret; numquam minus solum esse,

nexo] Moseri adnotationi adde: Parad. 5. „*dominorum facta nexu*] Langius, Lamb. et Gifan. admonuerunt in Codd. suis pro *nexu* reperiri *nexo*. Sed ego in meis constanter *nexu* lego.“ Suffridus Petrus. Moservs. Adde his Cic. Ep. ad fam. VII, 30, 2: *cuius proprium te esse scribis mancipio et nexo*. Sic Mediceus. Otto.

quoiusquam] Vulgo *cuiusquam*.

imperia] Ita [*inperia*] cod. modo per n modo per m. Maivs.

adpetendos] Ita ex Cod. Maius. *Appetendos* Heinr., cui ceteri obtemperarunt.

adpetendos putet] Plato reip. I. p. 347: *οὔτε χρημάτων ἕνεκα ἐθέλουσιν ἄρχειν οἱ ἀγαθοὶ οὔτε τιμῆς· οὐ γὰρ εἰσὶ φιλότιμοι· δεῖ δὲ αὐτοῖς ἀνάγκην προσεῖναι καὶ ζημίαν, εἰ μέλλουσιν ἐθέλειν ἄρχειν*. Cicero Off. II, 22: *habere quaestui remp. non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium*. Hinc et Maximus (inter Aug. serm. suppos. LXXXII, 1) *nec remp. gerere criminosum est; sed ideo agere remp. ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile*. Denique ad gloriam quod adtinet Augustinus C. D. XIX, 19 ait: *locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur*. Confer eundem August. C. D. V, 13 et ep. CCXXXI, ubi is commentatur in illum Ennii versum — *omnes mortales se se laudari exoptant* —. A Sallustio Catil. XI id vitium dicitur propius virtuti. Maivs ed. alt. Idem Add. p. 385 subiicit; „Conferendus Lactantii locus inst. III, 11: *Voluptates, opes, potentias, honores, eaque omnia quae pro bonis habentur, non adpetere, non amare, quod ceteri faciunt victi cupiditate, id est profecto virtus*.“

avom] Vulgo *avum*.

quom] Ex Cod. Maius hic et mox *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*.

quom ageret — solus esset] Dicendum erat *agat — sit*; pendent enim haec verba proprie ex verbis *qui possit de se praedicare*. Attractione temporis autem membrum orationis pendentis a secundario *solitum esse dicere* pendet. Vide Dietrichs Quaest. gramm. Cic. p. 34. Cfr. infra III, 3, 5: *quae perficit in bonis ingeniis id quod iam saepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret* pro *exsistat*. Otto. Sed ne poterat quidem Cicero alio tempore uti, quum non suam, sed Catonis sententiam referret.

numquam minus solum esse etc.] Africano antiquiorem huius sententiae, de qua v. Maium, habemus testem Theophrastum libri de nuptiis loco quodam, quem Hieronymus adv. Iovin. I, 48 Latine vertit, unde in lucem protraximus Comm. de coelibum conditione apud vett. populos II. p. 8, ubi de sapiente: *Numquam minus solus erit, quam quum solus fuerit*.

quam quom solus esset. 28. Quis enim putare vere potest, plus egisse Dionysium tum, quom omnia moliendo eripuerit civibus sueis libertatem, quam eius civem Archimedem, quom istam ipsam sphaeram, nihil quom agere videretur, de qua modo dicebatur, effecerit? Quis autem non ma|gis solos esse, quei in foro turbaque, quicum conloquei libeat, non habeant, quam quei nullo arbitro vel secum ipsei loquantur, vel quasei doctissumorum hominum in concilio adsint, quom eorum inventeis scriptisque se oblectent? Quis vero divitiorem quemquam putet quam eum, quoi nihil p. 141

quom] Ex Cod. Maius *cum* hic et mox, idque alii: alii *quum*.

de qua modo dicebatur] Haec verba ab hoc loco, quo Codicem secutus Maius collocavit et quo ea interim repeti sivi, prorsus aliena esse Steinackerus quum recte perspexisset, eo quo unice pertinent, statim post *sphaeram*, transposuit: quem verborum ordinem adoptarunt deinceps Heinr. Moser. Orell. Nobb. et Zell. Quae loci sane affecti ne dicam temeraria, certe valde improbabilis emendatio mihi quidem esse videtur, quum quo modo vel quo consilio genuinus verborum ordo turbatus sit, caussa nulla appareat, quae si abest, omnis transpositionis fides et probabilitas elevatur; quod maxime in illa verba cadit. Etenim iure Hermannus Diss. de emendationibus per transpositionem verborum Lipsiae 1824, cautionem in hoc artis criticae genere adhibendam esse summam scienter commonuit: non enim, ait vir prudentissimus p. 4, casu verba per chartas a scribentibus dispergi, sed collocari ordine quodam: qui sicubi pervertatur, aliquid necesse esse, cur qui scribat a praescripto ordine discedat. Quare ut verba illa superiorum editorum exemplo transponerem, a me impetrare non potui, quippe qui persuasum mihi habeam, loco multo leniorem medelam iis plane ex contextu amotis afferri, videlicet ad *sphaeram* a librario, superiorem eius rei expositionem in animum revocaturo, in margine notatis. Quae vero interpretationis caussa margini a librariis adscribuntur, ea saepe alieno loco contextui inseri, res est notissima. Neque hoc corruptelae genere, quod in interpolatione consistit, Vaticanum codicem non laborare, aliis deinceps exemplis notandis comprobatur: ex quibus unum affero Ennii versum male insertum c. 18.

conloquei] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *colloqui*.

doctissumorum] Vulgo *doctissimorum*.

adsint] Ita [*atsint*] cod. pro *adsint*. Maivs. Repetit huius scripturae caussam ab asperiore quadam minusque urbana pronuntiandi ratione Freundius ad or. pro Mil. p. 27.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Edd. vel hoc, vel *quum*.

scriptisque] Ex Cod. Maius *scribtisque*; quam scribendi rationem ante secundum saeculum christianum haud facile invenias.

divitiorem] Hanc comparativi formam et superlativi *divitissimus* nunc comprobatum est esse Ciceronianam; qua de re quamquam docte disputavit Köne Über die Sprache der Röm. Epiker p. 128—30, tamen non exhausit exempla. *Divitior* reperitur infra I, 32. Parad. 6, §. 49.

desit, quod quidem natura desideret? aut potentiorem,
p. 142 quam illum, quei omnia, quae expe|tat, consequatur? aut beatiorem, quam quei sit omnei perturbatione animei liberatus? aut firmiore fortuna, quam quei ea possideat, quae secum, ut aiunt, vel ex naufragio possit exferre? Quod autem imperium, quei magistratus, quod regnum potest esse praestantius, quam despicientem omnia humana, et inferiora sapientia ducentem,
p. 127 nihil umquam nisei sempiternum et divinum animo | volutare? quoi persuasum sit, appellarei ceteros homines, esse solos eos, quei essent politei proprieis humanita-

de orat. III, §. 185. V. Cic. Eclog. ed. Ochsner. p. 180. Superlativus Parad. 6, §. 48. de divin. I, §. 78. de Off. II, §. 58. ***Ditissimus*** autem ac ***ditior*** nusquam neque apud Ciceronem, neque apud optimos quosque prosae orationis scriptores reperitur nisi in uno Caesaris Bell. Gall. I, 2, 1 loco. Otto. V. Moserum ad h. l.

expetat] Cod. 1 manu ***expectat;*** quae lectio non est absurda. Maivs ed. alt. Falsa vero ob indicativum in hoc contextu non ferendum.

ex naufragio possit exferre] Ita prorsus Cicero de finib. III, 22 loquens, ut heic, de sapiente. (Sic loquitur de se Bias apud Val. M. VII, 2. ext. 3. Confer. Cic. parad. 1. Mr.) Maivs ed. alt. Vulgo ***e.*** Ex Cod. Maius ***ecferre***, cuius loco Edd. ***efferre.*** De reposita forma v. ad I, 1 ***restinxsissent.***

quoi] Vulgo ***cui.***

solos eos] Cod. ***solo deos,*** sed mox expuncta ***d;*** erat autem facienda ***s*** ex ***d.*** Maivs. Recte locum Moserus sic interpretatur: ***ceteros quidem hominum nomen gerere, revera autem homines esse solos eos, qui*** etc. Vide ad cap. seq. ***et ab Ennio dictus est*** et infra II, 23. Pro Sextio 45, 96: ***alteri optimates et haberi et esse voluerunt.*** Alios locos similes Tullianos notavit Heusing. ad Off. III, 4, 3. Macrobius in Somn. I, 6. p. 30: ***quae proprie perfecta et habetur et dicitur,*** et mox sub fin. cap. ***iure plenus et habetur et dicitur.*** Idem cap. 14. p. 54: ***deus qui prima caussa et est et vocatur,*** uti ex codd. rescribendum est. Alia exempla suppeditabit, huius de re p. loci et II, 23 haud immemor, Alb. Iahnius in Iahnii Jahrb. Suppl. XI. p. 380. Simile illud Cic. de orat. III, 34: ***qui sapientes et haberentur et vocarentur.*** Plinius Ep. VII, 20: ***tibi longo, sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam.*** Paneg. 89: ***et esse optimum et dici.*** Neque aliter Graeci. Themistius: σοφισταὶ ὅμως ἦσαν καὶ ἐλεγίσθην. Aelian. Hist. anim. VII, 3, 1: ζῷον ἔστι καὶ κέκληται, ubi v. Iacobs., coll. III, 5, 1. Subiungit Moserus: „Quae quamquam sunt satis perspicua, Heinrichius tamen post ***eos*** asteriscum, sive lacunae sive depravationis signum, posuit, et duo viri eruditi, quorum nomina silentio premere praestat, coniecturis tentarunt locum, alter scribere me iubens: ***appellari veros homines posse solos eos, qui*** etc. alter: ***appellari ceteros homines esse solitos eos, qui etc.*** quibus ego coniecturis, posteriore praesertim, nihil vidi infelicius.“ Priorem commendarat posthac in Adnot. Heinrichius quoque, ab Orellio T. IV, 2. p. 593 merito refutatam reiectamque etiam ab Hanovio Exer-

tis artibus? 29. Ut mihei Platonis illud, seu quis dixsit alius, perelegans esse videatur; quem quom exs alto ignotas ad terras tempestas et in desertum litus detulisset, timentibus cetereis propter ignorationem locorum, animadvertisse dicunt in arena geometricas formas quasdam esse descriptas; | quas ut vidisset, exclamavisse, ut bono essent animo; videre enim se hominum vestigia: „quae videlicet ille non exs agrei con„situra, quam cernebat, sed ex doctrinae indicieis in„terpretabatur.“ Quam ob rem, Tubero, semper mihei et doctrina et eruditei homines et tua ista studia placuerunt. p. 128

XVIII. 30. Tum Laelius: Non audeo quidem, inquit, ad ista, Scipio, dicere, neque tam te aut Philum aut Manilium***

cit. cr. in Comicos Gr. I. p. 105: secundis vero curis Heinrichius perspexit, Moseri interpretatione locum ab omni corruptionis suspicione liberari. V. praeterea Moserum Schulzeitung 1829. p. 437.

essent] Bake *sint*. De imperfecto illo Otto consulendum ait Dietrich. l. c. p. 40.

proprieis] Ex Cod. Maius *propris*. Ceteri *propriis*.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

exs] Vulgo *ex*, ut paullo post.

litus] Orell. et Nobb. *littus*. De illa vocis scriptura adi Drak. ad Sil. I, 25.

exclamavisse] Vocabulum *exclamavisse* superadditum est in codice, quamquam aegre admodum legitur. Maivs.

quae videlicet — interpretabatur] Locum e I de rep. citat Nonius voc. *consitura*. Maivs.

interpretabatur] Cod. *interpraetabatur*.

et doctrina et eruditei] Moserus malebat legi *et doctrina eruditi*.

quidem] Mosero praestare videbatur *equidem*.

inquit] Maius ex Cod. *inquid*.

aut] Cod. 1 manu pro *aut* habet *quam*; quae lectio sententiam contrariam et improbabilem faceret. Itaque secunda manus delevit tres litteras *q u m*, ac superposuit *ut*, ita ut fieret *aut*. Maivs. Alteram enim lectionem si amplectimur, praeter sententiam loci disiungitur Scipio a Philo et Manilio, dum oratio hoc potius modo fere procedit: *neque tam te aut Philum aut Manilium reprehendo, quam potius laudo ob studia vestra humanitatis, modo certus iis constituatur modus, ne iis ab aliis iisdemque gravioribus, quae ad rem publicam pertinent, abducamur*. His simul sensus fere eorum declaratur, quae in lacuna subsequenti probabiliter exciderunt. V. praeterea quae de Tuberone Maius admonet.

Philum] Ex Cod. Maius *Pilum*.

(Desiderantur paginae duae.)

p. 285 * * * **in ipsius paterno genere fuit noster ille amicus, dignus huic ad imitandum, quei egregie cordatus et catus fuit et ab Ennio dictus est, non quod ea quaere-**

genere] De Scipionis gente ait Cicero in Bruto LVIII: *Scipionis genus est ipsius sapientiae stirpe generatum.* Mr. Maivs ed. alt.

ad imitandum] Sequitur in Cod. versus Ennii notissimus: *Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus*, quem, nisi quod cum Maio (in ed. alt. tamen *Aelius* scribente) ceteri editores *Aeliu'* scripserunt, secure repetierunt omnes, quod non satis possum mirari, quum lector attentus semel monitus, quam inepta hic sit illius versus mentio, statim intelligat. Num quis enim persuadere sibi poterit, allato eo versu, Ciceronem pergere potuisse, *qui egregie cordatus et catus fuit et ab Ennio dictus est*, quibus nihil aliud quam absurda Enniani versus in prosam soluti repetitio continetur. Hoc autem non Ciceronis, sed pessimi grammaticastri est. Contra Ciceronis aequalium nullus, nisi qui litterarum expers omnino fuisset, lectis illis verbis *qui egregie* etc. facile fuerit, quin ad Ennii illum versum decantatissimum Ciceronem, qui eundem laudavit Tusc. I, 9 et de orat. I, 45, spectare sentiret. In laudandis vero poetarum locis Tullium non ineptum agere interpretem, sed quod res flagitet, perscribere, optime ille ex I. de oratore citatus locus declarabit: *Sic in nostra*, inquit, *civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est egregie cordatus homo catus Aeliu' Sextus.*

Itaque delevimus versum illum, quippe quem corrector aliquis vel sane aliquanto doctior scriba, scilicet ceterorum locorum Tullianorum, quibus idem affertur, haud opportune memor, margini adscripserit: quo deleto vides, quam bene omnia procedant, quam apte verbis *noster ille amicus, dignus huic ad imitandum* sequentia iungantur *qui egregie* etc. Ceterum de versu Ennii, quem etiam Pomponius Ictus de orig. iuris respexit, adi Spangenberg. ad Enn. Ann. p. 136.

cordatus] Non de animi, sed mentis facultatibus antiquos dixisse constat. Itaque cum *cordate* et *docte* iunxit Plautus Mil. IV, 2, 96, idemque dixit Poen. I, 1, 3: *sapienter, docte et cordate et cate.* Quippe fuerunt in antiquitate, qui cor putarent sedem mentis.

catus] De hoc vocabulo sic Varro L. L. VI, 3: *cata, acuta; hoc enim verbo Sabini dicunt; quare catus Aelius Sextus, non, ut aiunt sapiens, sed acutus.* Consentit Augustinus C. D. IV, 21: *catos* id est *acutos.* Cato apud Cic. de am. cap. II ait: *sapientiam meam admirari soletis, quae utinam digna esset nostro cognomine!* Atque id Catonis dictum prae oculis habuisse videtur Plutarchus vit. Cat. cap. I. cui ceteroquin *cato* est ἔμπειρος. Varronis liber logistoricus inscribebatur *catus*, citatur a Gellio XX, 11. Maivs ed. alt. Aliam huius vocis, quam Ciceronis tempore amplius in usu fuisse negat Goerenzius ad Legg. I, 16. p. 71, aut a Cicerone numquam nisi cum excusatione aliqua dici idem monet ad Acad. II, 30, 97. p. 178, originem ἀπὸ καίειν vel καίεσθαι ex Servio et Donato refert Columna ad Ennium p. 128 Hessel.: communem habere originem cum *cato*, h. e. feli, utpote astutia excellente prae ceteris animali, suspicatur Doederlein. Synon. Lat. T. V. p. 114. A *cavisse* eam vocem derivare, mihi quidem tutissimum videtur, ut altera forma iuxta *cautus* sit: cui rationi prosodia diversa minime obstat, quum primitivam mensuram in derivatis non semper servari multa doceant exempla, veluti *nŏta* iuxta *nōtus*, quod Doederleinius apte confert. Ceterum

bat, quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos, quei quaesissent, et cura et negotio solverent: quoique, contra Gallei studia disputantei, in ore semper erat ille | de Iphigenia Achilles: p. 286

vocem si prosa cultior respuit, retinuerunt tamen poetae, ut Horatius Epist. II, 2, 39. Incertus de figuris ed. Schneidewin 101. Auson. Idyll. X, 400, ubi quod legitur *legumque catos, fandique potentes, Praesidium sublime reis* praeclare demonstrat, et quo sensu et quo iure iuris scientiae peritissimus ille Sextus Aelius cognomine illo ornatus fuerit.

et ab Ennio] Pro *et* Anonymus in Seebodii Neues Archiv II, 1. p. 143 *ut* malebat, quippe non assecutus vim phraseos *esse et dici*, comparandae cum illa cap. 17: *appellari ceteros homines, esse solos eos*, ubi v. not.

quoique] Vulgo *cuique*.

erat ille de Iphigenia Achilles] Maius quum in ed. pr. *erat illa de Iphigenia Achillis* sine sensu vulgasset, in Emm. tamen *erant* certe legendum sibi videri adnotavit, quod cupide arripuerunt cum Mosero Orellius, Nobbius et Zellius, dum Heinrichius Codicis scripturam *erat illa de Iphigenia Achilles* haud integram et, asterisco postremae voci subiecto, ut insanabilem esse quum significasset, postmodum, mutata sententia, docte haec disputavit minime praetereunda. „Monet, inquit, Maius de Iphigeniis tragoediis Ennii et Naevii; et percursis fragmentis pauculis, cum in Ennianis vidisset, ut ait, mentionem stellarum fieri, quia scilicet Agamemnon, filiae immolandae horam expectans, sidera contempletur, (hoc non est in fragmentis: sed conferri vult Eurip. Iph. in Aul. 6 et 717.) inde concludit, de Iphigenia tragoedia hic omnino cogitandum esse, ita ut hi versus verba Achillis sint, qui Iphigeniae adversus Agamemnonis crudelem superstitionem suppetias ferret; remque eam satis constare ex Euripide. Haec ille: in qua disputatione falsa sunt ea, quae astrologum facere volunt Agamemnonem; cuius quidem rei nullum vestigium est, neque potuit esse, in illis locis Euripidis. Nihil de hac superstitione apud veteres Epicos erat traditum, a quibus fabulam sumsit Tragicus; nihil famae, aut parum, de astrologia Athenas pervenerat Euripidis temporibus. Sed Cicero haud dubie spectat ad Ennii Iphigeniam Aulidiam, et ad illam scenam, ubi Achilles iratus cum Clytaemnestra de Calchante vate loquebatur. Sunt versus in eadem scena ex ore Achillis apud Euripidem in Aulidia 955 et seq.

πικρούς δὲ προχύτας, χέρνιβάς τ' ἐναρξεται
Κάλχας ὁ μάντις. τίς δὲ μάντις ἔστ'; ἀνήρ,
ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ, λέγει
τυχών. ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται.

Ab hoc Euripidis loco provectus Ennius ultra excurrebat in sui temporis superstitiones, et cum universum genus vatum et *divinorum*, tum his, qui sequuntur, versibus etiam astrologos castigabat... Plures exstant Ennii versus eiusdem sententiae apud Cic. Divinat. I extr. (ap. Scriver. Collectan. p. 43 ap. Hessel. Fragm. Enn. p. 255 sq.) de quibus, qua ex Ennii tragoedia sint, cum vix recte Telamoni assignentur, et iam dubitaverit. Ger. Vossius Castigat. et Not. p. 45, ad rem nihil attinet quaerere. Quibus quidem praemissis, patet, *illa* cohaerere cum Achille, et sic non solum *Achillis*, sed etiam *erant* scribendum esse, idem Maio ipso in Additam. tandem sentiente... Sed tenet me ambiguum istud *de Iphigenia*. Erat proximum *de Calchante*; ab hoc secundum *in Iphigenia*; tertium *ex Iphigenia*. Sic Tuscul. IV, 32: *ex trayoedia prin-*

Astrologorum signa in caelo, quid sit, opservat: Iovis

ceps ille Argonautarum... Cicero, ut Graeci, loquitur; eodemque, non aliorsum pertinet ex Poetica Aristotelis illud *ἐκ τῶν Νιπτρων*. Nunc quod Cod. praebet *de Iphig.* si non est vitium, permutatis, ut fit, praepositionibus, erit *ὑπὲρ Ἰφιγενίας*, *Iphigeniae causa*. Sed ambigo, qui sciam Ciceronis esse loqui explanatius." Haec, ille, qui quum neminem non habiturus sit sibi adstipulantem in iis, quae de sententia loci adversus Maium et quae de superstitione illa astrologica ab Euripidis aetate plane adhuc aliena, cuius ante Alexandri M. tempora apud Graecos nulla reperiri vestigia demonstravit Letronnius Observations sur l'objet des représentations zodiacales qui nous restent de l'antiquité, Paris 1824, p. 72 seq., egregie exposuit, tamen vereor ne quo modo Cicero scribere potuerit, potius dederit demonstratum quam quo reapse is scripserit. Nam etsi illa *erant — Achillis* per se spectata bene habent (suspicionem enim de particula *de* excitatam bene Orellius Anal. T. IV, 2. p. 593 allatis idoneis huius usus exemplis facili negotio sustulit), tamen pro *Achillis* non sine caussa cum Steinackero Moserus *Achillei*, Otto, cuius adnotationem ad h. l. in Excursu XIII leges, *Achilli* legi malebant, praeterea *erat*, ut Cod., in *erant* mutandum. Iam si binis locis mutatione opus, quidni contenti sumus ea lectione, quae unius loci et quidem unius litterae mutatione eaque lenissima efficitur, ut *illa* in *ille* mutato scribamus id, quod in contextum suscipere non dubitavimus. Ceterum Bergkio Ind. lect. Marburg. 1844, qua commentatione egregie locos nonnullos Ennianos tractat, p. XV Ennius totum hunc locum de Sophocle transtulisse videtur: quod quum huius coniecturae rationes ignorem, in medio relinquo.

Iphigenia] Ex Cod. Maius *Ifigenia*.

Astrologorum signa] Haec verba ut glossema contextu excludenda esse monenti Heinrichio eo minus adstipulor, quo admirabiliore casu tum evenisset, ut quae librarius otio suo abutens in marginem coniecisset, ea tam belle tetrametro trochaico explendo convenirent. Neque editorum ullus vel interpretum praeter Düntzerum in Welckeri Mus. Rhen. Vol. V. p. 446 Heinrichii probavit sententiam, cui adeo Orellius T. IV, 2. p. 594 obloquendum censuit, insuper monens, perraro in Cicerone reperiri glossemata metrica.

quid sit] Cod. *quid sit* pro *quaerit* [ut nunc Maius, quum in ed. pr. Codicis scripturam expressisset]. Sed enim ipse Tullius mox dicet *caelestia quaesieris*, Ennium imitans. Maivs ed. alt. *Quaerit*, cuius loco Heinr. *quaesit* coniiciebat, a Zellio nunc susceptum, praeter illum amplexus est Moserus quoque, non probante Orellio, neque Nobbio, quibuscum ego Codicis lectionem servandam eo confidentius duxi, quo *quid sit* praecedentibus appositionis ratione paullo audaciore, sed non insolenti subiungatur, veluti Acad. II, 5, 14 *nihil omnino, quale sit, posse reperire*.

opservat: Iovis] Vere palmaris haec est Maii emendatio pro *observationis*, quod in Cod. est; quam praeter Steinackerum, qui Hermannum secutus *observationis* retinuit, scilicet *observationis signa* pro *observationis signorum* antiquo more, ut illud *curatio rem*, dictum, ita probarunt reliqui omnes, ut tantum pro *observat* reponi iubeant *observant* Heinrich. et laudatus huic Naekius, Düntzero l. l. necessariam hanc esse correctionem censente. Ad quemcumque singularem *observat* referas, sive ad Agamemnonem sive ad Calchantem, quod ut incertum in medio relinquo, hoc certissimum, ex sequente plurali *scrutantur* ad pluralem *observant* confirmandum eo minus quidquam colligi posse, quo praepositis verbis *nemo spectat* certius patet, iam non de una persona amplius

quom capra aut nepa aut exsoritur nómen aliquod beluae. Quod est ante pedes nemo spectat; caelei scrutantur plagas.

poetam loqui, sed universe de quibusvis astrologiae deditis. A metro quidem nulla est difficultas quominus *opservat* ultima producta legamus. Vulgo *observat.*

quom] Vulgo *cum*, ut Cod., vel *quum*.

nepa] Cod. vitiose *nlupa*. Iis, quae de hoc sidere intpp. contulere, adde Placidum Glossis in Maii Auct. class. T. III. p. 488: *Nepa, scorpius, quae natos consumit, nisi cum qui dorso eius inhaeserit. Rursum ipse qui servatus fuerit, consumit patrem: unde homines qui bona parentum per luxuriam consumunt, nepotes dicuntur.* [Similia Schol. MS. apud Iahnium ad Persium p. CLXII, ubi perperam *serpens* pro *scorpius* legitur.] *Hinc quoque nepotatio pro luxuria ponitur, qua certae quaeque res consumuntur.* Festus: *Nepa Afrorum lingua sidus, quod cancer appellatur, vel, ut quidam volunt, scorpios* etc. Quod de Afrorum lingua hic *nepa* derivatur, id mirifice eo confirmatur, quod siderum scorpius id est, quod extremo fere meridiei loco oritur. Notione scorpii vox legitur in duobus epigrammatis aliquando a me vulgandis, in quorum uno exstat

Aret tota soli species vi dura nepai,

in altero

Ipsam consequitur lucens vis magna nepai;

ubi valde notabilis est genitivi forma *nepai*, imitatione Ciceronis fortasse dicta, eadem aliquoties usi in Arateis, quorum locus unus exstat in II libro de N. D. 42, 109. Ceterum pro *nepa* Ennio Lehnerus *scorpius* vindicare damnanda audacia studuit, ut metrum exiret iambicum, quo totum hoc fragmentum conscriptum esse, etiam Steinackero persuaserat Hermannus, hac de re ab se interrogatus: mihi vero nemo umquam persuadebit, qui non possum non cum ceteris hic agnoscere trochaeos. Mox vulgo *exoritur*.

nomen] Heinrich. suspicabatur *lumen*, in quod ipse olim incideram, sed propter adiectum *beluae* admitti non posse mox intellexi.

beluae] Heinrichius scribit *beluae*, ut sit versus iambicus [immo trochaicus]. Maivs ed. alt., qui quod olim ex Cod. ediderat *beluarum*, etiam nunc servavit. Ego Heinrichium cum Mosero, Orellio et Zellio secutus sum. Nobb. *bellua[rum]*; sed *bellua*, quid sibi hoc loco velit, fateor me nescire. Oportebat certe una *l* scribi: neque aliter Heinr., quem v. p. 158. quamquam contrariam scripturam Düntzerus l. l. parum accurate refert. Eadem vocis scriptura etiam II, 2, ubi v. Moser, et III, 9, commendata etiam a palimpsesto Ciceronis Taurinensi, teste Peyrono ad C. fragm. p. 309. Adde inscriptionem, si modo genuina est, editam a Saltzmanno Diss. III de scriptionis antiquae varietate, Lipsiae 1669, ad calcem.

Quod est] Praeeunte Steinackero Moser. Nobb. et Orellius *quod 'st* scripserunt, quod vereor ut Latina scriptura sit. Non recordati illi videntur eius licentiae, quam poetae scenici antiqui in primo versus pede sibi concessam putarunt, ut neglecta paene syllabarum prosodia pro iambo vel trochaeo non raro bacchium, qui loco anapaesti esset, ponerent, veluti ubi principio versus scripserunt *ĕnĭmvĕro*, et sexcenta alia. Ceterum hic versus postremus iam innotuerat ex Cic. de div. II, 13, atque insuper ex posterioribus haud pauci imitati sunt, quorum locos ex parte notarunt Maius et Heinrich. Quibus adde Augustini Confess. X, 16: *Neque enim nunc scrutamur glagas coeli, aut siderum intervalla demetimur, vel terrae libramenta quaerimus*; quem locum mecum Otto com-

Atque eidem, multum enim illum audiebam et lubenter, Zethum illum Pacuvei nimis inimicum doctrinae esse dicebat: magis eum delectabat Neoptolemus Ennei, quei,
Q. VII. p. 181 se ait philosopharei | velle, sed pauceis; nam omnino haud placere. Quod sei studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et transfusa latius, quae vel ad usum vitae vel etiam ad ipsam rem publicam conferre possumus. Istae quidem artes, sei modo aliquid, valent, ut paulum acuant et tamquam inritent ingenia puerorum, quo facilius possint maiora discere.
p. 182 XIX. 31. Tum Tubero: | Non dissentio aps te, Laelei; sed quaero, quae tu esse maiora intelligas. L. Di-

municavit. Paulinus Nolanus Ep. ad Amandum 1: *Postquam exortum est lumen in tenebris, misericor et miserator et iustus Dominus, frustra posuerunt in coelo os suum, qui etiam terrenarum rerum suaeque naturae nescii inscrutantur coeli plagas et dominum sine deo quaerunt.*

lubenter] Vulgo *libenter* et paullo ante *idem*.

Zethum] Miror neminem de tragoedia Pacuvii, ad quam Cicero spectaverit, adhuc quaesisse. Zethum enim fabulam neque Pacuvius, neque alius, si memoria haud fallit, ullus vel Graecorum vel Romanorum poeta scripsit. Ne multa, sunt illa ex Antiopa Pacuviana, in qua Zethus et Amphio inter se altercantes introducebantur, ille quidem sapientiae obtrectator iniquior. V. Both. ad Pacuvii Antiopam p. 103. Ceterum cum hoc loco intpp. apte conferunt Cic. de or. II, 37: *miror cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris. Minime, inquit Antonius, ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, paucis: nam omnino haud placet.*

Pacuvei] Ita [*Pacuvi*] ex Cod. Maius, ut etiam mox *Enni*: ceteri, excepto Steinackero, *Pacuvii* et *Ennii*.

Neoptolemus Ennei] Tusc. II, 1: *Neoptolemus apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis: nam omnino non placere.* Efficit hinc Bothius Ennii fabulam Neoptolemi nomine inscriptam, aliunde non cognitam. Ut talem fabulam Ennium scripsisse non plane negem: tamen Ciceronianos locos quum considero, utroque ut supra Zethus, sic hic Neoptolemi persona loquens adduci videtur, ita ut quum de ipso fabulae nomine ex his locis minime liqueat, eodem iure ex Philocteta fabula, quo ex Neoptolemo quadam verba illa desumpta putari possint. Ac multo probabilior Ennii fabula *Philocteta* videtur, quam *Neoptolemus*.

philosopharei] Ex Cod. Maius *filosofari*.

sed] Ex Cod. Maius *set*, ut etiam mox.

paulum] Orell. et Nobb. *paullum*.

inritent] Ita ex Cod. Maius: ceteri omnes *irritent*.

aps] Vulgo *a*. V. ad c. 22.

intelligas] Ita [*intellegas*] cod. 1 manu; sed 2 factum *intellegis*. Maivs ed. alt. Hoc Maius prius probavarat, voce *quaero* commatis inclusa. Ob leniorem modum quaerendi, qui est in coniunctivi constructione, huic loco sane aptum *intelligas* Heinrichius praestare censuit, quem cum ceteris omnibus praeter Lehnerum ego quoque secutus sum,

cam mehercule, et contemnar aps te fortasse, quom tu ista caelestia de Scipione quaesieris; ego autem haec, quae videntur ante oculos esse, magis putem quaerenda. Quid enim mihei L. Paulei nepos, hoc avonculo, nobilissuma in familia atque in hac tam clara re publica natus, quaerit, quomodo duo soles visei sint, non *quaerit*, cur in una re publica duo senatus et duo paene iam populei sint? Nam, ut vi|detis, mors Ti- p. 213
berei Graccei et iam ante tota illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas parteis: optrectatores

etsi me non fugit, in utramque partem hoc de loco disputari posse. Venerat etiam in mentem, annon *quaeso* pro *quaero* melius legeretur: certe si quidem directe interrogatur, displicet *quaero*, praeter usum nude interpositum.

mehercule] Cod. *hercule*; mox superadditum *me*. Maivs.

contemnar] Mihi quidem non est dubium, quin Ciceroni vindicandum sit *contempnar*, de qua scribendi ratione interim cf. Wagneri Orthogr. Vergil. p. 422.

aps te] Vulgo *a te*: v. ad c. 22.

quom] Ex Cod. Maius *eum*: ceteri vel hoc, vel *quum*.

quaesieris] Cod. *quesieris*.

ante oculos esse] A Maio inde ita distinguebatur, ut *esse* sequentibus adnecterêtur, quod, quum *videri* (passiva significatione positum) *ante oculos* dici non posse, Creuzerus, cui solus Zellius obsecutus est, perspexisset, suasit id quod nunc exhibuimus, posthac commendatum a Madvigio quoque ad Fin. II, 16. p. 233.

Paulei] Orell. Zell. et Nobb. *Paulli*.

avonculo] Vulgo *avuncvlo*.

nobilissuma] Vulgo *nobilissima*.

Tiberei] Ex Cod. Maius *Tiberii*, si reapse ita in Cod., nullo non id repetente.

Graccei] Vulgo *Gracchi*. V. Excurs. II.

divisit] Varro apud Nonium voc. *bicipitem* sic prorsus loquitur de Graccho tribuno: *iniquus* (corr. *Gracchus*) *iudicia tradidit ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem*. Nimirum politicus Ciceronis locus occasionem mihi obtulit certissimae, ut spero, faciendae emendationis in Nonio, *Gracchus* pro *iniquus*. Maivs ed. alt.

parteis] Sic fere idem Laelius loquitur apud Cic. de am. XII. Neque enim plebs cuncta romana Graccho favebat, sed intactam perniciosis illis consiliis partem tradit Velleius II, 3. Apte huic loco Aristoteles reip. V, 9 queritur a plebeiis demagogis, qui locupletes in politia libera oppugnant, scindi in duas partes remp. solere. Maivs ed. alt. Ceterum ex Cod. Maius *partis*: reliqui *partes*. Non accedo Maio plebis hic divisionem in duas partes intelligenti, eam populi universi potius fuisse, docente eo ipso, quem affert, Velleii loco: atque minima sine dubio plebis ea pars, quae Graccho non favisset, ut ubi universe de dissidio populi Romani sermo est, respici non potuerit.

optrectatores] Vulgo *obtrectatores*.

autem et invidei Scipionis, initieis facteis a P. Crasso et Appio Claudio, tenent nihilo minus, illeis mortueis, senatus alteram partem dissidentem a nobeis, auctore Metello et P. Mucio: neque hunc, quei unus potest, concitateis socieis et nomine Latino, foederibus viola-
p. 214 **teis, triumvi|reis seditiosissumeis aliquid quotidie novei molientibus, boneis vireis locupletibus perturbateis,**

invidei] Cod. *invidis* (*invidiis*, ut Maius ed. alt. refert, vitium videtur operarum), mox deleta *s*. De usu, quo *invidi*, ut etiam *iniqui*, notante Heinrichio, substantivi vicem gerit, Moserus monuit, cui praeiverat Wolfius Add. ad Schneideri ed. Xenoph. Hell. p. 122.

Scipionis] Cod. *Scipiis*, sed videtur superadditum *on*. MAIVS.

initieis] Cod. *initionis*; sed mox expunctae litterae *on*. Nimirum librarius quod detraxerat priori verbo, adiunxit posteriori. Huiusmodi metatheses aliquot aliae inferius recurrent. MAIVS.

nobeis] Steinack. *vobis*.

Metello] Nonne *L*. [immo *Q*.] *Metello*, ut semper? OTTO.

socieis] Ex Cod. Maius *socis*.

seditiosissumeis] Vulgo *seditiosissimis*.

quotidie] Ex Cod. Maius *cotidie*, solo Steinackero probatum. Hanc formam, quam multi hodie sunt, qui ita approbent, ut eam Ciceroni vel invitis libris MSS. vindicandam censeant, reque vera reposuerint, a Ciceronis aequalium-que consuetudine scribendi abhorrere, demonstratum est ad c. 21 *aequom*.

molientibus] Fieri potest, ut ita [*moventibus*] scripserit Cicero. Ita enim ad Q. Fratr. II, 3, med. *Itaque magnae mihi res iam moveri videbantur*: quocum conf. Liv. XXIII, 39. *Dum haec Romani parant aguntque — prius se aestas circumegit, quam movere ac moliri quidquam rex posset.* Sed tamen suspicor a Ciceronis manu scriptum fuisse: *aliquid quotidie novi molientibus.* Primum enim inter duo illa vocabula quod ad scriptionem nihil fere interest, eaque facillime inter se potuerunt permutari; tum vero nostro in tali re verbum *moliri* proprium est: vide modo Or. pro Sex. Rosc. Amer. 8, 22. *ut — aliquid huiuscemodi moliantur*; pro Cluent. 64, 178. *quam struere et moliri aliquid calamitatis videretur.* Acad. II, 7, 22. *ut moliatur aliquid et faciat*; ad Att. XIV, 22. *minime enim obscurum est, quid isti moliantur.* Isque usus Ciceroni ita constans est, ut hoc sensu, quo nostro loco, verbo *movere* vix ac ne vix quidem unquam fuisse usum contendere ausim. At, ais, usus est eo ipso, quem ex Epp. ad Q. Fratr. laudasti, loco. Sed hic ipse locus tantum abest ut infringat meam sententiam ut confirmet etiam. Usus enim est illo loco verbo *moveri*, quia passivo opus fuit; quod cum in verbo illi rei proprio non exstet minus proprie locutus est, ut Livius XXXV, 13. *ne quid absente se — moveretur*; et I, 17. *Quum sensissent ea moveri patres.* Ubi vero Livius infinitivo activi usus est (23, 39) ibi verbo minus proprio addidit proprium: *quam movere ac moliri quidquam — posset.* MOSERVS. Hanc lectionem pro Codicis scriptura *moventibus*, quam ad hunc ipsum diem editores ad unum omnes retinuerunt, non dubitavi in contextum suscipere, non quod in eandem iam pridem incidi, sed quod veram et unice Cicerone dignam existimo, quum ob proprietatem sermonis a Mosero accurate expositam, tum vero propter adiectum *novi*, quod in hac phrasi verbo *movendo* adiungi neque solet neque recte potest. Dixit quidem Cicero Acad. II, 6, 18:

heis tam periculoseis rebus subvenire patiuntur. 32. Quam ob rem, sei me audietis, adulescentes, solem alterum ne metueritis: aut enim nullus esse potest, aut sit sane, ut visus est, modo ne sit molestus; aut scire istarum rerum nihil; aut, etiamsei maxsume sciemus, nec meliores ob eam scientiam nec beatiores esse possumus: sena|tum vero et populum ut unum habeamus, et fierei p. 215
potest et permolestum est, nisei fit, et secus esse scimus, et videmus, sei id effectum sit, et melius nos esse victuros et beatius.

XX. 33. Tum Mucius: Quid esse igitur censes, Laelei, discendum nobeis, ut istud efficere possimus ipsum, quod postulas? L. Eas arteis, quae efficiant, ut usuei civitatei simus: id enim esse praeclarissumum sapientiae munus maxsumumque virtutis | vel documentum p. 216

Philo autem, dum nova quaedam commovet; sed sunt haec diversa, comparanda cum Quintiliani illis III, 1, 8: *Nam primus post eos, quos poetae tradiderunt, movisse aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur,* in quibus Quintilianum Graecum exemplar, quod tulisset *κινεῖν*, expressisse scienter Spaldingius, quem vide alia huius usus Graecorum afferentem, admonuit: eademque est Goerenzii observatio ad Acad. locum. Ceterum in commendanda lectione nunc recepta fortasse ne opus quidem ad facilem illam utriusque verbi commutationem refugere, quum quaeri possit, an non quod unice probandum ipse Codex re vera exhibeat. Tam exiguum enim verborum MOUENTIBUS et MOLIENTIBUS, si ad scripturae genus Codici proprium exiguntur, discrimen est, ut in legentis codicibus vel exercitatissimi oculos praesertim in obscurata palimpsesti scriptura, fallere possit.

perturbatis] Cod. *pertubatis;* sed mox superaddita *r.* Maivs. Aliquid vidit Creuzerus, qui *bonis viris loco pulsis* voluit. Tu lege *bonis viris proturbatis.* Quod verbum rarius quidem est, sed bonum. V. Rhet. ad Herenn. IV, 8, 12, ubi similiter in multis codd. est *perturbetis,* in aliis glossa *deturbetis.* Similiter etiam *proterritus* cum *perterritus* confunditur. V. Wunder Varr. lect. e cod. Erfurt. enot. p. LXXVI. ad or. pro Caecin. 13, 37 et Klotz Emendat. Tull. p. 18. Otto. Idem mihi quoque in mentem venerat: nec tamen reponere ausus sum, quum *perturbatis* non plane absurdum sit.

adulescentes] Alii invito Cod. *adolescentes:* v. ad c. 15.

ut visus] Ita emendatur 2 manu codex, cum 1 esset *ut sius.* Maivs.

maxsume] Vulgo *maxime.*

sciemus] Futuri usum post *etiamsi*, quod coniunctivum postulare videatur, contra Moserum defendit Handius Tursell. T. II. p. 594.

istud] Ex Cod. Maius *istut*, ut c. 24.

arteis] Ex Cod. Maius *artis:* ceteri *artes.* V. ad c. 34 *civitatium.*

praeclarissumum] Vulgo *praeclarissimum.*

vel officium puto. Quam ob rem ut hae feriae nobeis ad utilissumos reei publicae sermones potissumum conferantur, Scipionem rogemus, ut explicet, quem existumet esse optumum statum civitatis. Deinde alia quaeremus: quibus cogniteis, spero nos ad haec ipsa via perventuros, earumque rerum rationem, quae nunc instant, explicaturos.

XXI. 34. Quom id et Philus et Manilius et Mummius admodum adproba*vissent*;

(Desiderantur paginae duae.)

Nullum est exemplum, quoi malimus assimulare rem publicam (Diomedes I. p. 362. ed. Putsch.)

maxsumumque] Vulgo *maximumque.*

utilissumos] Vulgo *utilissimos*, et mox *potissimum.*

conferantur] Plene hic distinxit Schützius, deleta particula *ut* post *rem*: pessime.

rogemus] In structura *rogemus* et mox *quaeremus* Moserum sine caussa idonea offendisse, nonnullis eiusdem scilicet inconstantiae exemplis allatis monstravit Vogel Obs. ad aliquot Ciceronis locos. Biponti 1830, quod doceor ex Ann. litt. Heidelb. 1833. p. 1131.

exsistumet] Vulgo *existimet.*

optumum] Vulgo *optimum.*

via] In medio ait Moserus se relinquere, utrum *via* per se, ut sit quod vulgo *methodice*, accipiatur, an *hac* post *haec* excidisse statuamus, denique an cum Steinackero iungas *ipsa via* i. e. ipso disputationis progressu, quo modo etiam Villem. scribendo *ipsâ viâ* intellexit. Unice vera prima ratio, etiam probata Vogelio l. l. bene *via* explicanti *ratione et ordine rei accommodato*, allato Fin. II, 14, 44.

Mummius] Bene est quod annosiores post Laelium huius dialogi personae, quid sit dicendum statuunt atque adprobant: nam quatuor adulescentes, quae visa essent senioribus, auscultare par erat. Iam quod Scipio ipse modeste se excusat, par est Crassi exemplum apud Cic. or. I, 21. Maivs ed. alt.

adproba*vissent*] Cod. 1. manu *adprova*.. secunda *adproba*.. Maivs. Ab Heinrichio inde editores proprio Marte scripserunt *approbavissent*.— Lacunae sequenti duarum paginarum, cui aliquatenus explendae Maius duo olim fragmenta inseruit, quae quum sane hanc sedem olim occupasse potuerint, cum aliis hic repetenda curavi, Maius nunc ita succurrit, ut quae lacunae supplementa excogitasset, accommodata illa ad duorum istorum fragmentorum verba, atque postliminio in Add. olim apposuisset, nunc ipsi Ciceronis contextui insereret immutata nisi quod pro *quidem* sub calcem supplementi *equidem* correctum est. Quem lusum ingenii per se quidem non ineptum eo minus hic repetendum duxi, quo totum hoc divinationis genus, nisi sensus declarandi caussa adhibetur, levius ac vix sobrio critico dignum videatur. Praeterea eo minus tolerabile illud supplementum, quo contextu illorum fragmentorum mendoso usum esse Maium maiore probabilitate demonstrari potest.

Nullum etc.] Editum apud Diomedem lib. 1 fragmentum perbreve

Quare, sei placet, deduc orationem tuam de caelo ad

heic insero, omissis tamen prioribus verbis *nullum est exemplum*, quae quidem sunt in Putschiana Diomedis editione p. 362, sed absunt a codice Diomedis vaticano et a tribus antiquioribus, quas consului, editionibus. In Putschiana tamen pro *quasi* legitur *quam*; cui mendo contradicunt praedictae auctoritates, quae habent *quasi*. Citat autem Diomedes Ciceronem de rep. incerto libro. Iam verba *nullum est exemplum* (*si* quis ea retinere velit) videntur Scipionis negantis exemplum nescio *quod* ab amico Laelio vel a quovis interlocutore sibi propositum, suadendi causa ut de rep. disputaret. Patricius quoque legebat, ut nos, breviorem hunc locum, putabatque recte verba esse Scipionis recusantis provinciam de rep. disputandi. Verburgius autem universum Patricii glossema sine ulla distinctione monitove exhibuit in editione sua, tamquam textum tullianum inter fragmenta de rep. Maivs ed. alt. In ed. pr. quum Maius fragmentum Diomedis a se correctum sic edidisset: *Nullum est exemplum; quasi alius assimulare rem publicam*, in quo notandum, *quasi* pro *quam* reponendum iam Passovio ad Taciti Germ. 9, quo auctore nescio, visum esse, ceteri editores, de fide exhibitae a Maio lectionis securi, aut repetierunt immutatum, aut quod a loco hoc omnino esset alienum, vel incertae sedis, omiserunt. Sed sive *quam* sive *quasi* legas, probabilem si ex altera utra lectionem sensum erueris idoneum, magnus mihi eris Apollo. Immo posterior fragmenti pars cum priore nulla neque grammaticae neque sensus ratione cohaeret, ita ut Diomedem, quum Ciceronis exemplo non alia de caussa uteretur, quum ut antiquum verbi *assimulare* usum vindicaret, verba priora *nullum est exemplum* simul cum sequentibus, quibus explicandis minime necessaria viderentur, vix allaturum fuisse facile censeas. Quae quum ita sint, reputanti insuper verba illa *nullum est exemplum* teste Maio a libris quibusdam abesse, facile tibi ea videantur non a Diomede ipso esse profecta, sed eo consilio a glossatore olim in Diomedis margine apposita, ut exemplum illud ex Ciceronis de rep. libris a Diomede allatum aliqua de caussa nihili habendum esse demonstraret. At enimvero huic suspicioni obstant duo Parisienses codices Regii a me olim collati 7493 et 7494, qui non solum verba *nullum est exemplum*, verum etiam *quam* pro *quasi* retinent. Itaque quum res ad maiorem minoremve librorum fidem redigitur, nam a sensu utraque lectio vehementer laborat, certe non est, quod Maii lectionem alteri anteponamus. Immo duce cod. Paris. priore, qui X saeculo scriptus est, confido totum locum nunc esse persanatum. Hic enim quum pro *quam alius* exhibeat *quamalimus*, sponte exit quod nunc reposui, in quo si ex *qua* effeci *quoi*, temeritatis eo minus accusabor, quo facilior librariorum lapsus fuerit, in antiqua illa dativi forma, a Ciceronis consuetudine, de qua vide ad III, 11, minime aliena, librariorum vero, ut constat, culpa plerumque obscurata. Sensus autem fragmenti iam apertus et aptissimus, si modo totius lacunae sententiam eo illustrari non exigas, quod a sano homine, credo, non exspectabitur. Agitur enim iis de rebus, quibuscum res publica, eius si spectatur, natura et ratio, comparari aliquo modo possit: quarum unam (fortasse navem) prae aliis malle se ait Scipio maxime cum ea comparare.

Quare etc.] Locum hunc ex I de rep. laudat Nonius voc. *cituma* et *deductum* cum varietate, nempe *deducere* et *deduc; de eo loco* et *de caelo; cituma, citeriora* et *exteriora*. Patricius vero legebat: *deduc, oro, rationem tuam* etc. quae lectio improbabilis est. Mihi haec item verba visa sunt heic inserenda, ita ut Laelius Scipionem hortetur ad omittendum de rebus caelestibus sermonem (quod a Socrate factum dicitur superius cap. X) atque ad agendum de terrestribus seu civilibus

haec cituma. (Nonius v. *cituma* p. 85. et v. *deductum* p. 289. e Cic. I. de rep.)

p. 293 *** non solum ob eam caussam fierei voluei, quod erat aequom de re publica potissumum principem reei publicae dicere; sed etiam quod memineram, persaepe te cum Panaetio disserere solitum coram Polybio, duobus Graeceis vel peritissumeis rerum civilium, multaque colligere ac docere, optumum longe statum civitatis esse eum, quem maiores nostrei nobeis reliquis-

p. 294 sent. Qua in disputatione quoniam tu | paratior es,

negotiis. Sic Cicero N. D. II, 47: *age ut a caelestibus rebus ad terrestres veniamus.* Locum de rep. videtur imitari politicus graecus vaticanus (coll. vat. tom. II. p. 601) in quinti libri fragmentis: *τούτων δή τοι θειοτάτων θεωριῶν ἐπόπτης ὁ νοῦς γενόμενος, κάτεισι διὰ τῶν αὐτῶν δι' ὧν ἀνῆλθε, πάλιν ἐρχόμενος.* Maivs ed. alt. Non erat quod de loci scriptura a Maio constituta ceterisque editoribus probata discederem, etsi optione inter *de coelo* et *de eo loco*, utram velimus, nobis data eligendi, fateor, lectionem illam alterius, quam aliis quoque codices a me inspecti agnoscunt, glossema redolere mihi videri; nam caelum intelligi, ex sententiae connexu facile colligebatur.

cituma] Nobb. *citima.*

caussa] Mecum Nobb.

aequom] Ita [*aecum*] pro *aequum.* Lectio exemplis aliis non caret, ut olim notavi ad fragmenta or. pro Tullio c. III. Maivs. Ceteri *aequum*, quod cur in *aequom* mutavi, ex iis patebit quae monita sunt Excurs. IV et XIV.

potissumum] Vulgo *potissimum.*

cum Panaetio etc.] Velleius Pat. I, 13: *Quippe Scipio tum elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit.* De Panaetio Symmachus Laudibus in Gratianum 7. p. 41. ed. Rom. *Africanum illum terra marique victorem lectionis participeps et laboris Panaetius non reliquit*, ubi v. Maium.

Graeceis vel peritissumeis] Cod. *vel graecis vel peritissimis;* sed priore loco vox *vel* fortasse expuncta est. Maius ed. alt. Distinctius quam antea Maius, quid in Codice legeretur, nunc declaravit, quippe dubitationes Moseri dispulsurus conquesti, utrum *vel Graecis vel perit.* scriptum fuerit, an ipse vocem *vel*, semel scriptam post *Graecis* transposuerit, ex nota critica non satis perspici. Itaque nemo in dubium amplius vocabit lectionem a Maio editam et a me post Lehn. Schütz. Nobb. et Orellium, qui usum particulae *vel* cum vi superlativis adiectae advertit, a me repetitam. Steinack. *vel Graecis vel perit.* Heinrichio duce Zellius *duobus Graecis peritissimis.* Moserus in contextu adeo: *duobus videlicet Graecis perit.*

optumum] Vulgo *optimum.*

paratior es] Cod. 1. m. *parationes*: sed 2 substituit *r* pro *n*.

feceris, ut etiam pro heis dicam, sei de re publica quid sentias explicaris, nobeis gratum omnibus.

XXII. 35. Tum ille: Non possum equidem dicere, me ulla in cogitatione acrius aut diligentius solere versarei, quam in ista ipsa, quae mihei, Laelei, aps te proponitur. Etenim quom in suo quemque opere artificem, quei quidem excellat, nihil aliud cogitare, me-

aps te] Ita pro *a te*, quod ex Cod. omnes exhibuerunt, maxima cum confidentia rescripsi, plane assentiens Freundio, qui de forma *abs* apud Ciceronem aliam ob caussam agens Lexikal. Scholien p. LXI. etiam hoc breviter admonet, quin Cicero *abs te* scribere consueverit, nullum sibi relinqui dubium. Ut ne ea omnia, quae ad rem firmandam Freundius l. l. hic illic adtulit, repetam, primum advertam disertum testimonium Velii Longi p. 2224: „Antiquos scimus et *abs te* dixisse: nos contenti sumus *a te* dicere"; quibus verbis simul caussa patet qui factum sit, ut *abs* a librariis tam saepe expulsum atque cum novitia forma *a* commutatum sit. Deinde in codicibus antiquioris temporis *abs* multo frequentius altera forma legitur, atque in libro Tulliano omnium, qui ad nos pervenerunt, antiquissimo, ut puto, quo or. pro Fonteio fragmentum continetur, a Niebuhrio vulgatum, *abs te* scribitur, p. 58. Adde quod si utriusque vocis exempla per omnia Ciceronis scripta perquirantur numerenturque, ex iis, quae laudabili diligentia notavit Troianski Cracoviensis Zeitschr. f. d. Alterth. 1835. p. 1188, certissimam poteris facere coniectu ram, *abs* in exemplaribus nunc vulgatis multo saepius quam *a* reperiri: quamquam in immani librorum corruptela, qua hac in parte plurimi ob recens aevum, quo conscripti sunt, laborant, huic argumento non multum tribuo. Haec vero dicta sunto de formula *abs* (vel potius *aps*, ut scribendum est) *te*, a me supra quoque c. 19 restituta. Altioris indaginis est usus generalis huius praepositionis ante quodcunque vocabulum litt. *t* incipiens, de quo mihi adhuc non ita liquet, ut certi quidpiam pronuntiare ausim, etsi formae *abstulit* aliaeque eiusdem generis mihi persuadeant, etiam tum *abs* vel *aps* ab antiquis revera scriptum fuisse. Etenim prorsus eadem consuetudinis ratio obtinuisse videtur, quam in usu praepositionis reapse simillimae *ex* ostendi, quae quum primitus *exs* scriberetur, transiit quidem in quibusdam litterarum concursibus in *ex*, integra tamen servata fuit, ubi id per soni leges fieri poterat, veluti ante vocalem in verbis compositis: quod idem factum in *absens* et aliis, quae credere sinunt, etiam *abs* ante vocem quamcunque a litt. *t* incipientem antiquos scripsisse, sicuti mansit in *absque*. Accedit quod innumeris locis codices etiam nunc praepositionem *ab* ante litt. *s* exhibent. Ne multa, Ep. ad fam. I, 4, de invent. II, 37, 111 *ab senatu*, dum §. 110 *a senatu* apud Orellium exstat. Ep. ad Att. X, 4, 6: *ab suis*. Divinat. I, 12, 20: *ab stirpe*. Or. in Pis. 38, 92: *ab se*. Caes. B. G. V, 62: *ab sinistro*. II, 39: *ab spe*. Nepos Milt. 3: *ab Scythis*. Terent. Phorm. III, 1, 20: *ab sua*. Hec. prol. alt. 15: *ab studio*. I, 2, 70: *ab se*. (In titulo haud admodum antiquo ap. Wiener De leg. XXII. p. 136 A SE FECIT, h. e. sua impensa fecit, si lectio genuina est, quam corruptam esse editor putat.) Livius XXVII, 2: *ab sole*. Cf. Handii Tursell. T. I. p. 5. Transiit *abs* ante *s* in *ab* eadem lege, qua *exs* in eadem caussa in *ex* mutatum fuit.

quom] Maius aliique ex Cod. *cum*; alii *quum*. Item mox.

p. 221 ditarei, curare videam, nisei quo sit in illo gene|re melior: ego, quom mihei sit unum opus hoc a parentibus maioribusque meeis relictum, procuratio atque administratio reei publicae, non me inertiorem esse confitear, quam opificem quemquam, sei minus in maxsuma arte, quam illei in minumeis, operae consumpserim? 36. Sed neque heis contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobeis summei ex Graecia sapientissumi-
p. 222 que homines reliquerunt, neque | ea, quae mihei videntur, anteferre illeis audeo. Quam ob rem peto a vobis, ut me seic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum, neque eas nostreis in hoc praesertim genere anteponentem; sed ut unum ex togateis patris diligentia non inliberaliter institutum, studioque discendei a pueritia incensum, usu tamen et domesticeis praecepteis multo magis eruditum, quam littereis.

aliud] Ex Cod. Maius *aliut*.

melior] Ita cod. 1 manu; 2 vero superaddita *i* ita ut sit *melieri*, quae lectio parum est probabilis. Maivs.

inertiorem] Ita Cod. 2 m; 1 *inritiorem*, quod non debebat probare Creuzerus, scilicet defendendorum archaismorum studio, cui ut per libros de legibus, ita etiam his in libris Cicero deditus fuisset. Neque vero magis probo *imperitiorem*, quod verisimilius ex cod. 1 vestigiis legendum Ottoni videbatur, collato capite extremo. Eadem Moseri coniectura fuit, sed ut facta, sic continuo abiecta.

maxsumeis] Vulgo *maximis*, et mox *minimis*.

consumpserim] *Consumserint* [non *consumpserint*, ut tradit Orell.] Codex: qui manifestus error ortus est non tam ex litt. *m* et *nt* confusis, quam quia dormitans v. ad proximum pronomen accommodavit librarius. Defendit tamen Beier. Fragm. Cic. p. 46. Orellivs. Ceterum Heinrichio praeeunte cum ceteris editoribus litt. *p* verbo addidi: qua de scriptura infra dicetur.

Sed] Ex Cod. Maius *Set*.

sapientissumique] Vulgo *sapientissimique*.

homines] Cod. 1 m. *hominis*.

reliquerunt] Partem horum enumerat Cicero de leg. III, 5 et 6, nempe Theophrastum, Dionem stoicum, Dicaearchum, Panaetium, Platonem, Aristotelem, Heraclidem ponticum. Ego vero multo maximum numerum politicorum graecorum coacervavi collect. vat. tom. II. p. 584 sq. Maivs ed. alt.

unum ex togateis] Sic loquitur pari occasione Crassus apud Cic. de or. I, 24. Cr. Sequente quoque locutione alibi usum esse Ciceronem Brut. LXVIII et ad Att. XVI, 3 observavit Moserus. Maivs ed. alt. Vulgo *e*.

inliberaliter] Sic ex Cod. Maius: ceteri *illib*.

XXIII. 37. Heic Philus: Non, | **hercule, inquit,** p. 223 **Scipio, dubito, quein tibei ingenio praestiterit nemo, usu quidem in re publica rerum maxsumarum facile omneis viceris: quibus autem studieis semper fueris, tenemus. Quam ob rem sei, ut dicis, animum quoque contulistei in istam rationem et quasei artem, habeo maxsumam gratiam Laelio: spero enim multo uberiora fore, quae aps te dicentur, quam illa, quae a Graecis nobeis scripta sunt omnia.** | **Tum ille: Permagnam** p. 224 **tu quidem exspectationem, quod onus est ei quei magneis de rebus dicturus est gravissumum, imponis orationei meae. Et Philus: Quamvis sit magna, tamen eam vinces, ut soles: neque enim est periculum, ne te de re publica disserentem deficiat oratio.**

XXIV. 38. Heic Scipio: Faciam, quod voltis, ut potero, et ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendeis utendum esse,

hercule] Supra legimus *mehercule*, quod ideo moneo, ne quis forte sola contracta forma Ciceronem usum esse putet, quae fere Goerenzii fuisse videtur sententia, ad Legg. II, 4, 8. p. 115 et Fin. II, 8, 23. p. 152. Vide ad c. 3. Distractam formam ex melioribus codd. bene revocavit Spald. in Quintil. X, 1, 86.

maxsumarum] Vulgo *maximarum*.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*: ceteri *omnes*.

maxsumam] Vulgo *maximam*.

aps te] Vulgo *a te*. V. ad c. 22.

nobeis] Pro *nobis* mavult *nobilissimis* Creuzerus; sed invito codice. Maivs. ed. alt. Quam coniecturam et Lehnerus probavit et Moserus suscepit, vehementer improbante ut inanem et superfluam Heinrichio. Orellius Anal. T. IV, 2. p. 594 coni. *hominibus*, quod omnium maxime arridet nunc, re iterum perpensitata, Mosero Schulzeitung 1829. No. 53. p. 437. Nihil horum mihi genuinum videtur. Mendum non in *nobis* inesse videtur, sed in *scripta*, cuius loco nullus dubito quin Tullius scripserit *relicta*, plane ut cap. 22 dixit: *quae ... scripta nobis summi ex Graeci sapientissimique homines reliquerunt*.

omnia] Cum vi sub calcem enuntiationis positum, ut Acad. II, 36, 115. 37, 118. Off. I, 14, 2. 17, 4. 37, 3. Ceterum longae notae hic a Maio subiectae, in ed. alt. repetitae idem Tusculanorum loco laudato nunc addit pro Caecina XVIII.

exspectationem] Ex Cod. Maius *expectationem*, quod servarunt Heinr. Steinack. Zellius, ut *expecto* cap. seq. fin.

gravissumum] Vulgo *gravissimum*.

voltis] Vulgo *vultis*.

p. 195 sei erro|rem velis tollere, ut eius reei, de qua quaeritur, sei nomen quod sit conveniat, explicetur, quid declaretur eo nomine: quod sei convenerit, tum demum decebit ingredei in sermonem; numquam enim, quale sit illud, de quo disputabitur, intelligei poterit, nisei, quid sit, fuerit intellectum prius. Quare quoniam de re publica quaerimus, hoc primum videamus,
p. 196 quid sit id ipsum, quod quaerimus.| Quom adprobavisset Laelius: Nec vero, inquit Africanus, ita disseram de re tam inlustrei tamque nota, ut ad illa elementa revolvar, quibus utei doctei homines heis in rebus solent, ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar, verbeisque

quaeritur] Restitui cum Heinr. et Steinack. probante Creuzero primae manus lectionem, pro qua Maius Schützius et Lehnerus cum correctore scripserunt *quaeretur*, moti, credo, eo, quod paulo post scribitur *de quo disputabitur*. Ibi vero id postulat temporum ratio et iusta consecutio; nostro loco *quaeritur* ἀορίστως ponitur, videlicet ut intelligas *quandocunque sit*. Moservs. Idem Zell. Nobb. et Orellius.

tum demum decebit] Ita cod. 2 manu; at 1 *et decebit*, omisso *tum demum*. Maivs.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

quid sit] Servavit Lehnerus scriptionem Codicis [*quod sit*, quam Maius etiam nunc retinet], quod fieri etiam voluit censor ed. Schützianae Gottingensis 1824. 84, quippe cum sit cap. 30 *velim scire, quod optimum iudices;* et cap. 35 *quid maxime probaq?* S. *recte quaeris, quod maxime* (probem) *e tribus*. Utrumque *quod* servavit Sch., sed nostro loco cum Heinr. et Steinack. scripsit *quid*. Heinr. cap. 30 servavit *quod*, cap. 35 rescripsit *quid*. Steinackerus utroque loco correxit *quid*. Lehnerus utrobique servat *quod*, ut nostro loco. Statim subsequitur: *quid sit id ipsum, quod quaerimus*. Moservs. Nobb. Orell. et Zell. *quid*. Apte confert Otto Off. I, 2, 7: *Omnis enim, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur*. Adde Aristot. Analyt. I. init.

Quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

adprobavisset] Sic Maius ex Cod.; ceteri praeter Steinack. tacite *approbav*. V. ad c. 21. init.

Nec vero etc.] Prorsus Tullium imitatur Lactantius de vero cultu dicere incipiens inst. VI, 2: *Nec tamen sic docebimus, ut primae virtutis elementa tradamus, quod est infinitum, sed tunquam docendum susceperimus eum qui apud philosophos perfectus esse videatur* etc. Maivs Add. ed. alt. p. 385.

inlustri] Ita ex Cod. Maius; ceteri omnes *illustri*.

ut ad illa elementa revolvar] Pars versiculi Nobbio visa est; immerito. Certe in verbo *revolvendi* nihil inesse, quod poetam sapiat, demonstrat locus de or. II, 30, 130, Mosero iam laudatus.

progenie] Cod. *progeniae*.

quid sit et quot modeis quidque dicatur, definiam saepius: apud prudenteis enim homines et in maxsuma re publica sum|ma cum gloria bellei domuique versatos Q. VIII. p. 61
quom loquar, non committam, ut sit inlustrior illa ipsa res, de qua disputem, quam oratio mea; nec enim hoc suscepei, ut tamquam magister persequerer omnia; neque hoc polliceor me effectum, ut ne qua particula in hoc sermone praetermissa sit. Tum Laelius: Ego vero istud ipsum genus orationis, quod polliceris, exspecto.

XXV. 39. Est igitur, inquit Africanus, res publica|res populei; populus autem non omneis hominum p. 62

quot modeis] Cod. *commodis*; sed mendum putavi pro *cot modis*; *cot* autem pro *quot*, ut *cotidie* pro *quotidie*. Maivs. E scriptura Cd. *et commodis* Krarup p. 17 suspicatur: *verbisque quid sit, ut commodius quidque dicatur, definiam*; constructione tamen nimis impedita. Neque enim sic v. *quid sit* habent quo referantur: nisi forte Kr. retulit ad illa *de re tam illustri* cet. Sed longe praestat facillima Maii emendatio. Orellivs. 'Neque verum, quod contendit Krarupius, Ciceronem, quum non solum hic sed aliis quoque horum librorum locis definitiones subinde inculcet, moris disserendi, quem persecuturus esset, oblitum esse: nam ab omni non ait abstinere se velle definitione, sed nolle quid sit et quot modis quidque dicatur definire saepius, ne inferior ipsius oratio censeatur tam illustri re, praesertim coram prudentibus hominibus et in maxima re publica summa cum gloria belli domique versatis. Vide praeterea Maio monita ad verba *oratio mea*.

apud] Ex Cod. Maius *aput*.

prudenteis] Vulgo *prudentes*. V. ad 1, 34 *civitatium*.

maxsuma] Vulgo *maxima*. Mox *domique*: v. infra monenda.

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*; ceteri *quum*.

inlustrior] Ita ex Cod. Maius: ceteri omnes *illustrior*. Vide modo ante.

praetermissa sit] Attente sunt haec notanda, quo genus politici huiusce tractatus probe exploratum habeamus. Nempe Cicero, sicut de oratore liberaliter et sine scholastica subtilitate scripsit, ita politicis hisce libris potiora tam lati argumenti et splendidiora fere capita complexus videtur; ita tamen ut nihil omiserit necessarium, quod ait ipse superius cap. VIII. Porro loquens Scipio imitatur heic Polybium, ut vaticana Polybii excerpta lib. VI, 3 nuper a me edita demonstrant. Maivs ed. alt.

istud] Ex Cod. Maius *istut*.

exspecto] Ex Cod. Maius *expecto*, ut cap. 23 fin.

res populei] Locum libere exprimit Augustinus C. D. XIX, 24: *populus est coetus multitudinis rationalis rerum quas diligit concordi communione sociatus*. Augustinum vel ipsum Tullium exprimit Isidorus orig. IX, 4 [ubi Otto nunc admonet *coetus* scribi oportuisse.] Confer etiam Livium I, 8. (Sed enim Augustinus C. D. XIX, 23 prorsus Ciceronem exscribit sic: *ubi ergo non est iustitia, profecto non est coetus*

coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Eius autem prima caussa coeundei est non tam imbecillitas, quam naturalis quaedam hominum quasei congregatio: non est enim singulare nec solivagum genus hoc, sed ita generatum, ut ne in omnium quidem rerum affluen*tia****

(Desiderantur paginae duae.)

40. *Urbis condendae originem atque caussam non unam intulerunt; sed alii eos homines, qui sint ex terra primitus nati, quum per silvas et campos erraticam de-*

hominum iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Mr.) Maivs ed. alt. Cf. Iani van Persyn Diss. de politica Ciceronis doctrina, Amstelodami 1827. p. 15 sq. Priorem Augustini locum paullo aliter, sed cum vitio scripturae recitat Henricus de Hassia in libro de republica MS., cuius locum recitat Creuzerus in Annal. Heidelb. 1826. No. 63. p. 1001.

congregatio] Hinc Arabes hominem recte vocant ناس quod vocabulum significat *societatem inire*, vel *familiariter aliquo uti*. Consonat autem sibi Cicero off. I, 44, de am. VIII. IX. XIII. XXIII, de fin. V, 23. de off. III, 5. Sic Epicurus apud Arrianum ad Epict. I, 23. (et Nemesius de N. H. cap. I. Cr.) Sed contrariam sententiam prae se fert Plato reip. II. p. 369, qui causam societatis ac civitatis necessitatem esse ait. Polybio autem VI, 3 et Lactantio de opif. D. cap. IV. causa societatis videtur esse singulorum imbecillitas. Platoni adversatur Aristoteles reip. III, 9, qui non tam necessitatis, quam boni honestique causa copulatam hominum societatem putat: idemque a Ciceronis sententia abhorret; negat enim civilem societatem convictus ipsius causa esse comparatam. Denique ipse Plato leg. III. p. 678 cum Cicerone conspirat; namque ait, naturalem esse hominum congregationem solitudinis odio. Vegetius prohoem. libri IV nomen rei publicae communi utilitate partum esse arbitratur. Sed confer infra Cic. de rep. IV, 3. Maivs ed. alt. Cf. Iani van Persyn Diss. l. p. 12 sq. et Baumhaueri Diss. de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis, Traiecti ad Rhenum 1841. p. 134.

sed] Ex Cod. Maius *set*. Cuius scripturae hos in Codice notavi locos: I, 3. 10. 13. 17. 18. 19. 22. 25. 27. 28. 30. 31 bis. 33. 34 bis. 35. 37. 38. 41 bis. II, 4. 6. 11 bis. 15. 23. 36. 40. 44 bis.

caussa] Ita nos cum Nobb. Ex Cod. Maius cum ceteris *causa*.

affluen*tia*] In hiatu latet paulo prolixior expositio causae ob quam humani coetus instituti fuerunt. Maivs.

Urbis condendae etc.] Equidem vix dubito quin hic Lactantii tractus inst. VI, 10 ex Ciceronis hac de rep. lacuna desumptus fuerit, cum interpolationibus. Porro conferendus est idem Cicero de am. XXIII, de fin. V, 23, de off. III, 5. Maivs ed. alt. Hunc Lactantii locum de Maii monitu hic inculcavit Nobbe; egoque toleravi, ne quid desideraretur. Sed sententiae ipsae, certe usque ad verba *Haec aliis delira*, petitae sunt potius e Lucretio Lib. 5, 929—1159. Orellivs.

gerent vitam, nec ullo inter se sermonis aut iuris vinculo cohaererent, sed frondes et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus haberent, bestiis et fortioribus animalibus praedae fuisse commemorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, praesidium implorasse, et primo nutibus voluntatem suam significasse, deinde sermonis initia tentasse, ac singulis quibusque rebus nomina imponendo, paullatim loquendi perfecisse rationem. Quum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam coepisse munire, vel ut quietem noctis tutam sibi facerent, vel ut incursiones atque impetus bestiarum non pugnando sed obiectis aggeribus arcerent. Haec aliis delira visa sunt, dixeruntque, non ferarum laniatus caussam fuisse coeundi, sed ipsam potius humanitatem: itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens et communionis ac societatis appetens esset. (Lactant. Inst. VI, 10.)

Brevei multitudo dispersa atque vaga, concordia civitas facta erat. (Augustin. Epist. 138, 10.)

XXVI. 41. ****quae*dam quasei semina; neque reli- p. 211
quarum virtutum; nec ipsius reei publicae reperiatur ulla instituta. Hei coetus igitur hac, de qua exposuei,

laniati] Mirum hoc. Qui laniati iam sunt, frustra opinor, effugium tentant. Quid? si legas *laniatum* (sustantiv.)? Orellivs. Quidni vero parte laniatos intelligamus? Neque bene invicem sibi opponuntur qui laniatum effugiunt et qui laniari proximos vident.

Brevei etc.] Augustinus epist. CXXXVIII ait: *Quid est res publica, nisi res populi? Res ergo communis, res utique civitatis. Quid est autem civitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae? Apud eos enim ita legitur: „brevi multitudo dispersa“* etc. Maivs ed. alt. Secutus sum Maium nunc solum fragmentum *brevi* etc. lacunae inserentem, dum cum Heinrichio Zellius ad calcem libri I reposuit: integrum Augustini locum inculcarunt Moserus et Orellius. Omiserunt Lehnerus et Nobbius, hic tamen laudato post exhibitum Lactantii locum Augustino.

reperiatur] Ex Cod. Maius *repperiatur*. De hac consonantium geminatione v. ad II, 8.

instituta] Steinackerus, nihil monens, edidit *institutio*. Fieri potest, ut recte correxerit; sed ego in loco lacunoso eiusmodi nihil tentare ausim. Moservs. Neque ego mutarim, quamquam facillima est correctio,

caussa institutei sedem primum certo loco domiciliorum caussa constituerunt; „quam quom loceis manuque „saepsissent, eiusmodei coniunctionem tectorum oppi„dum vel urbem appellaverunt, delubreis distinctam „spatieisque communibus. Omnis ergo populus, quei
p. 212 „est talis coetus multitudinis, qualem | exposui; omnis „civitas, quae est constitutio populei;“ omnis res publica, quae, ut dixsei, populei res est, consilio quodam

non solum Nobbio, sed etiam Maio probata, ut hic nihil monito lectore in ipsis Ciceronis verbis tanquam ex Cod. postliminio arcessitam exhibeat. Si vero ex Cod. nunc promeretur, id adnotare Maius more suo non oblitus fuisset. Sed quoniam omnia hic perincerta, ideo haud magis adduci potui, ut Ottonis speciosam sane correctionem *reperiantur* susciperem.

caussa] Ita hic et mox cum Nobb. scripsi. Vulgo *causa*.

quam quom loceis — constitutio populi] Citat Nonius v. *urbs* p. 429, sed extrema sic: *qualem exposui, civitas est, omnisque civitas est constitutio populi*, corruptela satis aperta. Gerlachiana vero nihilo iam differt, nisi quod *qua est* scribitur, quod ad coniecturam ducit, ne olim scriptum fuerit *quaest*.

saepsissent] Ita ex Cod. Maius, quem ceteri secuti sunt, exceptis Heinrichio et Zellio, qui *sepsissent* praetulerunt. Ego in re dubia Codici obtemperandum duxi, eandem scripturam praestanti c. 44 et II, 17, repertam etiam in Virgilii Mediceo aliisque antiquae notae libris, teste Wagnero Orthogr. Vergil. p. 469. Utra vero scribendi forma Tullius usus sit, fateor me nescire, ac si fas est coniecturae aliquid dare, malim scripturam per *e* altera antiquiorem putare. Neque aliter Graeci, quorum, ut uno defungar exemplo, *septum* Dio Cassius Fragm. ed. Morelli p. 6 *Σεπτὸν* dixit, non *Σαιπτόν*. Apuleius minor de orthogr. p. 143. *Saepe adverbium diphthongatur, ut a sepe differat ablativo.* OBSEPIT SC. ap. Frontin. de aquae duct. 129. Titulos recentiores, quos ad confirmandam illam vocis scripturam affert Cellarius Orthogr. Lat. T. I. p. 346, Mosero laudatus, quibusque adiice inscriptionem haud antiquioris notae in Iahnii Jahrbücher Suppl. I. p. 349, ego non moror, quippe testantes solum id quod res fert et a Cod. Vaticano confirmatur, huius fere aetate formam diphthongo scriptam vulgari usu receptam fuisse. Obstare vero videtur Cenotaphium L. Caesaris Pisanum apud Orell. 642, in quo SAEPIATVR exstat: huic vero ut non multum tribuam, adducor ingenti vitiorum multitudine quae isti monumento inhaerent, quadratarii sola, ut puto, culpa. Ne multa, praecedit ibi illi voci RVBVSTIS (*robustis*); legitur OMIA pro *omnia*; fluctuatur inter MAXIMVS et MAXSIMVS etc. Nostrae aetatis magistri de scriptura dissentiunt. Grotefendius Grössere Lat. Gramm. T. II. p. 192 ed. 4 videtur *sepes* praeferre, dum Conr. Schneiderus Gramm. Lat. p. 53 contrariam scribendi rationem amplectitur, defensam a Mazochio quoque Tab. Heracl. P. II. p. 377.

Omnis ergo populus etc.] De sententia cfr. de invent. I, 2. pro Sest. 40. Otto.

civitas] Cod. *civitatis* 1 manu; sed 2 emendatum *civitas*. Maivs.

regenda est, ut diuturna sit. Id autem consilium primum semper ad eam caussam referendum est, quae caussa genuit civitatem. 42. Deinde aut unei tribuendum est, aut delecteis quibusdam, aut suscipiendum est multitudinei atque omnibus. Quare quom penes unum est omnium summa rerum, regem illum | unum p. 95
vocamus, et regnum eius reei publicae statum. Quom autem est penes delectos, tum illa civitas optumatium arbitrio regei dicitur. Illa autem est civitas popularis, seic enim appellant, in qua in populo sunt omnia. Atque horum trium generum quodvis, sei teneat illud vinclum, quod primum homines inter se reei publicae societate devinxsit; non perfectum illud quidem neque

dixsei] Vulgo *dixi*.

caussa] Hanc vocem, quam ex prioris enuntiati *caussam* male repetitam arguere quis posset, bene Moserus idoneis eiusmodi repetitionis exemplis ex ipso Cicerone allatis defendit. Adde pro Mil. 35: *sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium gloriam.* Vulgo hic et supra *causa* una *s* vulgatum: nos cum Nobb. duabus. Ceterum ad sententiam Tullii adhibe monita Iano van Persyn l. l. p. 18 sq.

delecteis] Cod. habet *adiectis* pro *aut delectis*; quamquam emendationis indicia in membranis apparent. Et quidem paulo post codex habet *delectos*, non *adiectos*. Maivs. Lege *dilectis*. At vide ne *adlectis* lateat. Vide Forcell. v. *allectus*. Nomen e politica desumptum. Otto.

atque omnibus] *Atque* Moserus aut explicative pro *id est*, aut pro *et adeo* positum interpretatur. Hoc solum sensus admittit, ut significetur gradatio in hoc ipso rei publicae statu, a multitudine ad omnes, vel ut aliis verbis dicam, universae rei singularis praemittitur, quae Handii est explicatio, Tursell. T. I. p. 465.

quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*. Item mox.

summa] De hac verborum collocatione, qua regens casus rectis cum vi interponitur, adeas Ottonem ad Cat. 3, 2. p. 23. 242. Eandem vim Cicero consecutus est scribendo pro Mil. 28: *per me ut unum*, immerito in quibusdam libris mutatum. Ibidem c. 29: *quonam modo ille vos vivus efficeret?*

optumatium] De notione huius vocabuli politica veterum docte exposuit Welcker. ad Theogn. p. XXVI seq. De terminatione vocis v. ad c. 34. Vulgo *optimatium*.

seic enim appellant] Sine caussa omisit Schütz.

Atque] Facit transitum ad rei expositionem, ut Handii Tursell. T. I. p. 497 verbis utar.

illud] Ex Cod. Maius *illut*, ut etiam mox infra.

vinclum] Ita cod. 1 manu, ut cap. III. Heic tamen 2 manus fecit *vinculum*. Maivs. Solus Maio Orellius obsecutus est. Vide ad c. 3.

societate] Cod. *societatem*, sed *m* deinde deleta fuit. Maivs.

devinxsit] Vulgo *devinxit*.

p. 96 **mea sententia optumum, sed tolerabile | tamen et aliud ut alio possit esse praestantius. Nam vel rexs aequos ac sapiens; vel delectei ac principes cives; vel ipse populus, quamquam id est minume probandum, tamen,**

optumum] Vulgo *optimum*.

sed tolerabile etc.] Ita [*sed tolerabile est, ita tamen ut aliud*] refinxi locum ad mentem Creuzeri, cum pro lectione codicis *sed tolerabile tamen et aliud*, quam tolerabilem non existimabam, prius coniecissem *sed tolerabile tamen est; ita tamen ut aliud*, quo facto facilius etiam corruptionis et causam et rationem intelligeremus. Sed merito male aliquem habeat continuo iteratum *tamen*. Heinrichius [hunc secutus est Zellius] correxit ad nostrum sensum, sed omisso *est*, ita: *sed tolerabile, ita tamen, ut aliud*. Reliqui locum silentio transierunt, ut sanum, quem sanum ego credere neque primo adspectu potui, neque nunc possum. Moservs. Ottoni legendum visum *sed tolerabile tamen est, et ut aliud*, vel *tamen est, ut aliud*. Ex Odescalchii et Nobbii coniectura Orellius edidit: *sed tolerabile tamen, ut*, recte insuper adnotans, *tamen* a v. *sed tolerabile* separari nequire. Quam scribendi rationem ideo improbo, quod verbis *ut — praestantius* consequentiae notio adiicitur, qua sententia ex praecedenti commate apta fit, quod alienum ab hoc loco est. Immo praecedentibus nihil aliud recte addi posse videtur, quam quod ad sententiae prioris vim etiam accuratius definiendam facial, et praedicati instar adiiciatur. Quare quum in hoc sensu copula aegrius abiiciatur, vide an praestet quod nunc confidenter reposuimus, dictum ac si scriptum plene esset: *et quidem ita ut aliud alio possit esse praestantius*, quibus opus est ad absolvenda ea, quae de singulari cuiusque trium illorum generum praestantia Ciceroni dicenda fuerant. Ac quum Cod. *aliut* praebeat, quod Maius sibi eripi noluit, a Cod. praestitum etiam c. 21. 32. 44 et 45, etiam magis patet, quo modo *ut*, quod addidi, excidere potuerit.

rexs] Vulgo *rex*. V. Adn. cr. in Quintiliani X. Part. I. p. 22.

aequos] E Cod. Maius *aecus*. V. ad cap. 21. Ceteri *aequus*.

quamquam id est minume probandum] Apte id dicitur a persona Scipionis, quem gracchanis, id est popularibus, partibus valde adversarium fuisse, ideoque et a C. Graccho in concione tyrannum appellatum, comperimus. Plut. reg. apoph. T. VI. p. 760. Quamquam idem Plutarchus in Aemil. XXXVIII (adde et Cic. acad. IV, 5) Scipionem populi studiosiorem dicit, quum Aemilius pater fuisset nobilitatis aeque et plebis adsentator. Populi benivolentiam erga Scipionem docet nos vaticanum Diodori excerptum lib. XXXII, 6. Sed enim et ipse Cicero, cuius sententiam praecipuam tuetur hoc in opere Scipio, optimatibus semper favisse videtur. Legesis ad fam. I, 9. VIII, 16 (ep. Cael.) ad Att. I, 18. 20. II, 3. 5. 15. VIII, 3. X, 9 (ep. Cael.) ad Q. fr. I, 1. Tum pro Sextio IX: *omnes boni semper nobilitati favemus, quia utile est reip.* etc. Sed instar omnium sit Quinti locus de petitione consulatus ad fratrem cap. 1: *persuadendum est iis, nos semper cum optimatibus de rep. sensisse, minime populares fuisse.* Tum ipse Marcus acad. IV, 40: *semper, ut scitis, studiosus nobilitati fui.* Idem Cicero ad Att. II, 3 ait, multa se poetico quodam in opere scripsisse *ἀριστοκρατικῶς*. Neque abhorrent ab hac politica sententia Plato in politico p. 302 et Aristoteles reip. III, 7. Anonymus vero quidam apud eundem Aristotelem reip. IV, 2 definiebat democratiam esse inter bonas reip. formas deterrimam, inter malas optimam: is autem anonymus videtur Plato in politico

nulleis interiecteis iniquitatibus aut cupiditatibus, posse videtur aliquo esse non incerto statu.

XXVII. 43. Sed et in regneis nimis expertes sunt ceterei communis iuris et consilei; et in optumatium dominatu vix particeps libertatis potest esse | multitudo, p. 105 quom omnei consilio communei ac potestate careat; et quom omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen, ipsa aequabilitas est iniqua, quom habeat nullos gradus dignitatis. Itaque sei Cyrus ille Perses iustissumus fuit sapientissumusque rex,

p. 303. Romanae quidem reip. natura iam inde a Bruti temporibus fuit aristocratica. Lege Dionysium halic. V, 1. Maivs ed. alt. V. Moserum, qui tamen verba *quamquam — probandum* parenthesi includit, quum *quamquam* modo legitimo a *tamen* etc. excipiatur. *Minime* enim ad illam generum trium praestantiam spectat gradu diversam, ita ut sit intelligendum *ceterorum minime*, propria superlativi potestate, qua unum maius vel minus esse censetur pluribus uno. Vulgo *minime*.

aliquo esse non incerto statu] Non turbato atque permixto. Cfr. c. 28, 44. unde nihil muto. Otto. Immo tolerabili, aliquatenus firmo.

Sed] Ex Cod. Maius *set*.

optumatium] Vulgo *optimatium*.

quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*. Ita etiam mox.

aequabilitas] De hac voce Tulliana post Maium Creuzerus et Moserus disputarunt. In Or. pro Mil. 28 vulgatur *aequabiliter in rem publicam, in privatos . . . irruebat*, ubi quum *aequabiliter* simpliciter pro *aeque* dicatur, malo cum plerisque Codd. *aequaliter* legere, ut c. 29: *ut in communi odio paene aequaliter versaretur*.

habeat] Ita pro *habet* [ut ex Cod. Maius edidit] scripsi ex mente Creuzeri, ut dederunt Heinr. et Steinack. [adde Orell. et Zell.], quorum posterior in Addendis recte monet, causae inservire *cum* hoc in loco, ut supra in verbis *cum omni consilio careat*. Moservs. Nescio cur non retineatur codicis scriptura *habet*, i. e. tum quum habet. Potest etiam legi *quoniam* [pro *quum*], si causa magis videtur esse efferenda. Vide praeclaram Wunderi disputationem in Varr. lect. e codd. Erfurt. ad Cic. p. xcv seq. Madvig. ad Fin. p. 24. 663. 716 et p. 690 cum Addend. p. 880. Otto.

dignitatis] Haec et alia plura sibi obiicit perpenditque Aristoteles reip. III, 10 seq. Conspirat ad verbum cum Cicerone Philo iudaeus apud Damascenum parallel. p. 556: *τὸ νέμειν ἴσα τοῖς ἀνίσοις, τῆς μεγίστης ἐστὶν ἀδικίας*. Maivs ed. alt.

Perses] Ad ea quae de hac nominativi forma disputavit Moser adde *Philoctetes* de fato §. 36; contra *Philocteta* ibidem et de Or. III, §. 139. *Heracleotes* de Fin. V, §. 94. Nomina appellativa huius formae sunt apud Ciceronem, *geometres* de Fato §. 15. Acad. II, §. 22. *dioecetes* pr. Rabir. post. §. 22. *tetrarches* pro Deiot. §. 27. *sophistes* Acad. II, §. 72 *sorites* de Fin. IV, §. 50. Otto.

iustissumus] Vulgo *iustissimus*, ut etiam mox *sapientissimusque* et *maxime*.

rex] Apte Scipio Cyri exemplo utitur; xenophonteam enim Cyri

tamen mihei populei res; ea enim est, ut dixsei antea, publica; non maxsume expetenda fuisse illa videtur,
p. 106 quom regeretur unius nutu. Ac | modo sei Massilienses nostrei clientes per delectos et principes civeis summa iustitia reguntur, inest tamen in ea condicione populei similitudo quaedam servitutis. Sei Athenienses quibusdam temporibus, sublato Ariopago, nihil nisei populei sciteis ac decreteis agebant: quoniam distinctos

historiam summus hic imperator de manibus ponere non solebat, ut ait Cicero ad Q. F. I, 1, 8, qui ibidem moderationem illius dominationis admiratur. Platoni leg. III. p. 694 Persae sub Cyro videbantur quodammodo liberi propter eius regis moderatum imperium. Cyrus dictus fuit pater a Persis; Diodor. tom. II. p. 553 et Blemmyd. in regia oratione a me nuper edita cap. V. Ita Abimelechorum successio apud Chananaeos; sic enim hoc nomen significat. Ita demum romani Pontifices *patres κατ' ἐξοχήν* dicuntur. Maius ed. alt.

dixsei] Vulgo *dixi*, et mox *maxime*.

Ac modo] Orellius, plane comprobante Handio Tursell. T. III. p. 633, ita distinxit ut praecedenti enunciato adnecteret, *unius nutu ac modo. Si Massilienses* etc. „Non enim, inquit, significare potest: *Atque nunc*, quum optimatium status semper viguerit apud Massilienses. Praeterea parum concinne tria illa membra sese excipiunt: *Itaque si Cyrus — — Ac modo si Massil. — — Si Athenienses*: elegantissime vero nostra in ratione: *modo* autem explica, moderatione, regimine, voluntate." At neque ego elegantiam desidero in vulgata, neque a regimine, quo sensu *modus* dici nequit, moderatio nihil differt: huius vero notio a loco aliena, si modo pro moderatione *modus* dici potest. Optime *modo* cum sequentibus iungitur, quippe quo tempus designetur, quo Massilienses per delectos et principes cives et summa quidem iustitia, (hoc enim non omni tempore factum) recti fuissent: quod non advertit Orellius.

nostrei clientes] Haec magnificentius ex persona Romani puta dicta: nam de clientela proprio sensu illo, quo loquitur Scipio, tempore non cogitandum. De societate Massiliensium cum Romanis inita v. Brückner. Hist. reip. Massiliensium p. 22. seq. Iis quae de Massiliensium litteris triplicisque linguae usu Maius attulerat, nunc addi iussit Eumenii Paneg. Constantini cap. XIX.

civeis] Vulgo *cives*. V. ad I, 34 *civitatium*. *Principes cives* idem iunxit c. 26 et Off. III, 18, 6. Mutatum huius dignitatis nomen iam Augusti aetate in *principes viri*. V. Sueton. Aug. 29. Vell. Pat. II, 89. Cf. Revue de philologie Vol. I. p. 111. Ceterum tradit Strabonis epitomator in Fragm. Vatic. libri VII ed. Tafel p. 6, *γέροντας* apud Massilienses vocatos fuisse, quos satis constat *τιμούχους* appellatos esse: *Πελιγόνας γοῦν καλοῦσιν ἐκεῖνοι τοὺς ἐν τιμαῖς, καθὰ παρὰ Λάκωσι καὶ Μασσαλιώταις τοὺς γέροντας*.

condicione] Plurimi *conditione*. V. ad III, 11.

Ariopago] Cod. *Areopoyo*. De scriptura *Ariopagus*, quam Ciceronis fuisse arbitror, v. ad c. 10.

ac decretis] *ac D decretis*, id est *ac quingentorum decretis*, miro acumine Creuz. Rectissime autem populi decreta de singulis rebus mi-

dignitatis gradus non habeant, non tenebat ornatum suum civitas.

XXVIII. 44. Atque hoc loquor de tribus heis generibus rerum publicarum non turbateis atque permix|teis, sed suum statum tenentibus. Quae genera p. 225
primum sunt in eis singula vitieis, quae ante dixsei; deinde habent perniciosa alia vitia: nullum est enim genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitumum quoddam malum praeceps ac lubricum. Nam illei regei, ut eum potissumum nominem, tolerabilei, aut sei voltis, etiam amabilei Cyro subest ad inmutandei animei licentiam crudelissumus il|le p. 226

noribus ac scita s. leges ad universam remp. spectantes, iusque civile constituentes h. l. distinguuntur. Orellivs. Ψηφίσματα et νόμοι, quorum de discrimine non est quod agam.

habeant] Elegans Heinrichii coniectura *habebat*, a Mosero recepta atque Hanovio Exerc. cr. in Comm. Gr. p. 120 probata, nec tamen, ut opinor, necessaria, ut etiam Orellio visum.

hoc loquor] Offendit in hac phrasi Moserus, quod frustra exemplum quaesiisset, quo constructio *loqui aliquid* et *de aliqua re* coniuncta esset. Itaque *hoc loco* (vel *hic*) *loquor* suspicabatur.

sed] Maius ex Cod. *set*.

in eis] Delet *in* Heinrichius, ideo reprehensus a Bakio. Orellivs. Item reprehendit Moserus Schulzeitung 1829. No. 53. p. 437 sq. Contra Heinrichio adstipulari videtur Handius Tursell. T. III. p. 259, non recte comparans phrasin *magno vitio esse*. Mox vulgo *dixi* et *finitimum*.

nullum est enim genus — lubricum] Iis quae Maius hac de sententia politicorum hominum congessit adde Polybium VI, 10, 2, apte allatum Censori edit. Lehnerianae in Paedag. philol. Litteraturblatt 1826. Sect. II. No. 22. p. 186; unde huc maxime pertinent: τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῶν πολιτειῶν συγγίνεται κατὰ φύσιν ἑκάστη [πολιτείᾳ] καὶ παρέπεται τις κακία. Adiice haec Sallustii de mundo cap. 11: Αἱ πολιτεῖαι δὲ κατὰ τὴν τριμέρειαν γίνονται τῆς ψυχῆς. Ἔοικασι γὰρ οἱ μὲν ἄρχοντες τῷ λόγῳ, οἱ δὲ στρατιῶται τῷ θυμῷ, οἱ δὲ δῆμοι ταῖς ἐπιθυμίαις. Καὶ ὅπου μὲν κατὰ λόγον πράττεται πάντα, καὶ ὁ πάντων ἄριστος ἄρχει, βασιλεία γίνεται· ὅπου δὲ κατὰ λόγον τε καὶ θυμὸν πλείους ἑνὸς ἄρχουσιν, ἀριστοκρατίαν εἶναι συμβαίνει· ὅπου δὲ κατὰ ἐπιθυμίαν πολιτεύονται, καὶ αἱ τιμαὶ πρὸς τὰ χρήσιμα γίνονται, τιμοκρατία ἡ τοιαύτη πολιτεία καλεῖται. Ἐναντία δὲ βασιλείᾳ μὲν τυραννίς, ἡ μὲν γὰρ μετὰ λόγου πάντως, ἡ δὲ οὐδὲν κατὰ λόγον ποιεῖ· ἀριστοκρατίᾳ δὲ ὀλιγαρχία, ὅτι οὐχ οἱ ἄριστοι, ἀλλ' ὀλίγοι κάκιστοι ἄρχουσι· τιμοκρατίᾳ δὲ δημοκρατία, ὅτι οὐχ οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες, ἀλλ' ὁ δῆμος κύριός ἐστι πάντων, ad quem locum v. Orellium.

potissumum] Vulgo *potissimum*, ut mox *crudelissimus*.

voltis] Ita cod. pro *vultis*. Maivs. Ceteri omnes *vultis*.

ad inmutandei animei licentiam] Nihil nunc attinet varia virorum doctorum commenta referre, quibus sanissimum locum tentare et, si diis placet, emendare studuerunt: de quibus adi Moserum, verba *ad licentiam* bene sic interpretantem: *ut licere sibi credat*. Plane ad eundem

Phalaris, quoius in similitudinem dominatus unius proclivei cursu et facilei delabitur. Illei autem Massiliensium paucorum et principum administrationei civitatis finitumus est, quei fuit quodam tempore apud Athenienseis triginta virorum consensus et factio. Iam Atheniensium populei potestatem omnium rerum ipsei,

sensum redit, *ad* positum esse pro *quod attinet ad*, quod Orellio et Zellio placuit. Ceterum Maius nunc *inmutandi*, ex Cod., ut videtur, iterum inspecto: antea vulg. *imm.*

Phalaris] Locum politicum de Phalaride habes apud Diodori vaticana excerpta coll. vat. tom II. p. 25. Maivs ed. alt.

quoius] Vulgo *cuius*.

facilei] Ita [*facile*] cod.; sed fortasse emendandum ibidem fuit *facili*. Maivs ed. alt. *Facili* auctore Heinrichio cum Mos. Orell. Zellio Nobbioque ego quoque suscepi.

delabitur] Ita cod. 2 manu; at 1 *dilabitur*. Maivs.

Illei] Ita Cod. 2 m.; 1 *ille*.

Massiliensium paucorum etc.] Habemus hic genitivi duplicis diversa relatione a substantivo pendentis exemplum, quae dicendi ratio non solum Graecis, sed etiam Latinis, his tamen rarius, frequentatur. V. Goerenz. ad legg. II, 17, 42. p. 169. Heinrich. ad or. pro Flacco p. 94 seq. Madvig. Emend. in Cic. libros philosoph. I. p. 199. Twesten Comm. cr. de Hesiodo p. 73. Notandum vero ab uno genitivo rursus alium pendere, ita ut tres adeo iuncti sint genitivi, plane ut mox et apud Caes. de bell. Gall. II, 17: *eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta*. Mox vulgo *finitimus*.

apud] Ex Cod. Maius *aput*.

Athenienseis] Vulgo *Athenienses*. V. ad I, 34 *civitatium*.

triginta virorum] Ita [omisso *virorum*] cod.; sed prorsus addendum puto *virorum*. Sic enim Cicero lib. III, 32. Maivs ed. alt. Quam egregiam Maii coniecturam eo minus dubitavi cum Heinr. Schütz. Lehn. Orell. et Nobbio suscipere, quo si antiquorum more XXXV olim scriptum fuisse reputes, eam loco medendi rationem multo leniorem esse concedes lectione Moseri *triginta illorum*, auctori soli probata. Etenim singulam *V* librarius quum non intelligeret, delere maluit. Cave enim Codicis lectionem putes [similibus aliquot locis defendi posse, qui similitudinis speciem tantummodo prae se ferunt; qualis est ille de legg. II, 11: *Thales, qui sapientissimus in septem fuit*, ubi ad *septem* facile *sapientibus* suppletur.

ipsei] Si vocabulo *ipsi* intelligit Romanos Scipio, supplendum videtur: *pestilentissimis Tiberii Gracchi consiliis Romae nuper expressam vidimus* [id quod in ed. princ. Rom. iam expressum legitur, teste Mosero Schulzeitung 1829. No. 53. p. 438]. Sin potius eo vocabulo *ipsi* intelligit Athenienses (quod valde arbitror) supplendum existimo: *pestilentem fatentur*. Porro in hiatu nihil fere latet aliud quam descriptio vitiorum, quae singulis rerump. generibus insunt. Maivs ed. alt. Non potest dubium esse quin Athenienses intelligantur, quum ob sequens *alios*, qui non possunt esse alii quam qui ab Atheniensibus diversi essent, tum propterea quod si non Atheniensibus opponitur, caret vox omnino opposito suo. Quae monenda visa mihi sunt, quum quo modo *ipsi* accipiendum sit, fluctuasse viderim Maium, silentibus ceteris edito-

ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam pesti ***

(Desiderantur paginae duae.)

XXIX. 45. ***teterrimus et exs hac, vel optuma- p. 75
tium, vel factiosa tyrannica illa, vel regia, vel etiam persaepe popularis: itemque exs ea genus aliquod exflorescere exs illeis, quae ante dixsei, solet; mirique sunt orbes et quasei circuitus in rebus publiceis commutationum et vicissitudinum: quos quom cognosse sapientis est, tum vero prospicere inpendenteis in gubernanda re publica, moderantem cursum atque in | sua p. 76
potestate retinentem, magnei quoiusdam civis et divi-

ribus. Ceterum de statu rei publicae Atheniensium, quem potissimum Cicero respexerit, quum quaeritur, ego non tam cum Maio de aetate Pisistrati vel Platonis, quam potius de temporibus belli Peloponnesiaci vergentis cogitandum puto. Heinrichius supplet: *pestilentem rei publicae habuerunt*, collato Livio XLV, 18.

teterrimus] Krarup p. 19 volebat *deterrimus*. V. ad c. 17, Maium Ind. Lat. v. *teterrimi* et Moserum ad nostrum locum. Hic tamen, quem secutus Nobbius est, *taeterrimus*, se supra l. l. *teterrimorum* edidisse oblitus. Haud minor Vaticani codicis auctoritas Mediceo Virgilii, in quo *taeter*, neque satis antiquus videtur titulus Gruteri p. 685, Cellario Orthogr. Lat. T. I. p. 369 laudatus, in quo TAETRA, cum aliis non accuratae scripturae vestigiis.

exs] Vulgo *ex*, ut etiam mox.

optumatium] Vulgo *optimatium*.

tyrannica] Videtur corrigendum *tyrannis*; vel certe supplendum substantivum *civitas*. Maivs. Schützio placet Maii suspicio, legendum esse *tyrannis*: Heinr. post illa asteriscum posuit: Lehnerus credit mendum non esse sublatum Maii coniectura, et fortasse ad sanandum conferre cap. 44: *Postremo — tyrannorum*. Ego in lacunae vicinia a coniectando abstineo. Moservs. Bakius: *et ex hac optimatium, vel factio tyrannica illa*. Ego cum Mosero sentio.

exflorescere] Ex Cod. Maius *ecflorescere*. De scriptura reposita dixi ad I, 1 *restinxissent*. Ceteri *efflorescere*. Mox vulgo *dixi*.

circuitus] Ita Cod. 2; 1 *circumitus*, de quarum formarum discrimine mihi adhuc non liquet: v. interim Bentl. ad Ter. Andr. I, 2, 31. Schütz. *circulus* edidit, pessime.

quom] Alii cum Maio *cum*: alii *quum*.

inpendenteis] Ex Cod. Maius *inpendentis*. Ceteri *impendentis*. V. ad I, 34 *civitatium*.

re publica] Hic cum Heinrichio distinxi, soli legentium commodo consulturus, quum antea haec omnia uno tenore continuarentur, ut quo quidque referendum esset dubitare potuisses.

moderantem — retinentem] Cod. *retinentes*, tum deleta *s* et addita *m*. Maivs. Creuzerus illa verba alio fortasse transferenda iudicabat, refutatus ille quidem ab Heinrichio, sed non ita ut expeditus hic locus

nei paene est virei. Itaque quartum quoddam genus reei publicae maxsume probandum esse sentio, quod est ex heis, quae prima dixsei, moderatum et permixtum tribus.

XXX. 46. Heic Laelius: Scio tibei ita placere, Africane; saepe enim ex te audivei; sed tamen, nisei molestum est, ex tribus isteis modeis rerum publicarum velim scire, quod optumum iudices. Nam vel profuerit aliquid ad cog***

videatur, constructione, si quis unus in toto hoc opere, admodum laborans. Participii enim accusativus praedicati fere vices gerens pendet a subiecto quod inest in *prospicere* substantivi loco posito et quidem ita ut *moderantem* et *retinentem* sensu Futuri dicta sint, pro *moderaturum* etc., vel ut Moseri explicationem afferam, quae eodem redire videtur, *ita ut moderetur cursum eumque in sua potestate retineat, ita videlicet prospicere illa, magni cuiusdam civis . . . est.* Mira, iudice Orellio, Biondii et Bettii Italorum coniectura *moderantis — retinentis.* Otto in schedis, Orellio responsurus: „Mihi non tam mirandum videtur, quod Itali offenderunt in constructione, quae sane talis esse debebat, si recte procederet oratio, qualem illi voluerunt, neque quisquam similem, credo, proferet syntaxin ex toto sermone Latino, quem mihi satis cognosse videor, quum ad extremos usque scriptores in legendo penetrarim. Graecis non infrequens haec constructio. V. Matth. §. 537 et p. 1095 extr. Bernhardy Synt. p. 367. 3. Rost §. 137 b. Kühner §. 662. not. 1 et §. 682. 1. Nulla est offensio in accusativo participii ibi, ubi non certum exstat subiectum, ut Fin. II, §. 34. III, §. 31. IV, §. 14. Acad. II, §. 131." Simillima ista quae supra dixit c. 17: *quam despicientem omnia humana, et inferiora sapientia ducentem, nihil umquam nisi sempiternum et divinum animo volutare.*

cursum] Cod. *cursu*, tum superaddita *m.* Maivs.

maxsume] Vulgo *maxime.* Mox vulgo *dixi.*

sentio] Heinrichio duce Mos. et Orell. *censeo.*

sed] Ex Cod. Maius *set.*

quod optimum iudices] Multos fore credo, qui desiderent *quem*; multos item, qui cum Steinackero rescriptum velint *quid*, ut in interrogatione. Prioribus respondeo, Ciceronem, quamquam scripserit *modis*, cogitasse *generibus*; quod vidit etiam Lehnerus; similiter vero locutus est noster ad Fam. XVI, 4: *sumtu ne parcas in ulla re, quod ad valetudinem opus sit*: (i. e. ne parcas insumere, quodcunque insumere opus sit ad valetudinem) plane vero ita est apud Sallustium Iug. 41. init. *otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt.* [Simillimum illud *de quo* cap. 11. fin. ubi vide notata.] Posterioribus repono, *quod* poni pro *qualenam* vel *quodnam*, ut est Acad. II, 11, 35, ubi v. Goerenz. p. 68 seq. Utrisque autem adscribam locum ex hoc ipso libro cap. 34. extr. et c. 35 prc. *Haec fere — ab iis, qui eam formam rei publicae maxime laudant, disputari solent. Tum Laelius, quid? tu, inquit, Scipio, e tribus istis, quid maxime probas?* S. *Recte quaeris, quod* (i. e. *quodnam genus*, quamquam praecesserit *forma*) *maxime e tribus; quoniam eorum nullum ipsum per se separatim probo, anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus.*

(Desiderantur paginae duae.)

Q.VIIII p. 51

XXXI 47. ***et talis est quaeque res publica, qualis eius aut natura aut voluntas, quei illam regit. Itaque nulla alia in civitate, nisei in qua populei potestas summa est, ullum domicilium libertas habet: qua quidem certe nihil potest esse dulcius, et quae sei aequa non est, ne libertas quidem est. Quei autem aequa potest esse, omitto dicere in regno, ubei ne opscura quidem est aut dubia servitus, sed in isteis civitatibus, in quibus verbo sunt li|berei omnes? Ferunt enim p. 57 suffragia, mandant inperia, magistratus ambiuntur, rogantur; sed ea dant magis, quae, etiamsei nolint, danda sunt, et quae ipsei non habent, unde aliei pe-

Moserus. Steinack. et Nobbius *quid*. Orell. coni. *quem*. V. ad illa cap. 24: *quid sit*.

optumum] Vulgo *optimum*.

cog***] Supplendum aliquid fere quale *cognitionem*, vel *cognoscend*...

quei illam regit] Sapiens et grave dictum quod Cicero inculcat etiam leg. III, 2. 5. 13. 14 et Xenophon Cyrop. VIII, 8, 3. Sic plane etiam divinus Ecclesiasticus X, 2. Cicero ad Lentulum anno DCC scribens etc. [cetera ut in ed. pr.] Maius ed. alt.

sed] Ex Cod. Maius *set*, ut etiam mox.

opscura] Vulgo *obscura*.

inperia] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *imp*.

magistratus ambiuntur] Primus hic nec sine caussa offendit Moserus, qui quamquam *ambiri* ab aliquo aliquem allato Cicerone or. pro Plancio 4, 9 dici monuit tamen negat Ciceronem verbo *ambiri* accusativum *magistratus* eundem in modum iunxisse, quo passim dicatur *rogari sententiam*. Ut facile in his Mosero adsentiar, tamen non possum probare quam ad tollendam istam difficultatem idem excogitavit et suscepit interpungendi rationem, licet Orellio et Reinio Quaest. Tull. I. p. 40 probatam: *mandant inperia, magistratus, ambiuntur, rogantur*, qua *ambiuntur*, ut ait, ad *inperia, rogantur* ad *suffragia* referantur. Sed vereor ne ita, ut de inconcinna oratione nil dicam, postrema *ambiuntur* et *rogantur* plane otiosa sint. Ego interim, donec aliquis probabiliora attulerit, servandam cum Heinrichio puto vulgatam, licet insolentius compositam, defendendam ex Plauti Amph. 74: *quasi magistratum sibi alterive ambiverit*. Fateor tamen, quum *magistratus mandari* Ciceroni usitatum sit, non displicere Moseri interpunctionem, si modo *ambiuntur* et *rogantur* simpliciter accipiantur atque ad *omnes* referantur. Ut ex multis unum locum afferam, pro Planc. 6, 14: *nulla libertas populi in mandandis magistratibus*.

sunt] Vulgo *sint*, qui coniunctivus ab hoc verborum contextu plane alienus est. Idem vitium emaculandum fuit supra c. 2 extr.

magis] Delendum putat Madvigius ad Fin. II, 28. p. 302, transponendum Orellius Anal. T. IV, 2. p. 594.

et quae ipsei non habent etc.] Locus vexatissimus, non correctione

tunt: sunt enim expertes imperei, consilei publicei, iudicei delectorum iudicum, quae familiarum vetustatibus aut pecunieis ponderantur. In libero autem populo, ut Rhodei, ut Atheneis, nemo est civium, quei***

(Desiderantur paginae duae.)

p. 175 **XXXII. 48. ***populo aliquis unus pluresve divi-**

iudigens, sed, quod fecit recte Moserus, interpunctione ita iuvandus ut ad verba *et quae ipsi non habent* ex superioribus *dant* mente repetendum esse, planius appareat. Et sic locum accepisse videntur et Madvig. l. l. et Reinius Quaest. Tull. I. p. 40, quorum hic sensum ita recte explanat: „Omnes mandant magistratus, imperia, quae cum dant, non dant ea quae dari solent a rogatis (i. e. quorum participes sunt rogati et quae dare volunt), sed ea dant, quae non habent, ea dant, quae denegare non possunt, quae dare debent —, nam sine magistratibus vivere non possunt. Verbo igitur liberi sunt, sed expertes imperii etc. Prorsus idem sensit Anonymus in Seebodii Krit. Bibl. 1825. Fasc. 4. p. 446. In re planissima nolo chartam perdere referendis variis virorum doctorum coniecturis lubenti inspiciendis apud Orellium ad h. l. et in Anal. l. l. allatis, quibus adde unam Zachariae icti p. 92: *et quae ipsi non, qui habent, ab iis petunt.* Ceterum non erat quod Heinrichius *petunt* pro soloecismo haberet scriberetque *petant*, refutatus iam a Beiero Päd. philol. Litteraturbl. 1826. II. No. 22. p. 189.

aliei] Ita [*ali*] cod. pro *alii*. Videtur autem in codice addita *i*; quod nec certum est, nec nisi perperam fieri puto. Maivs. An forte et hic olim *alei*?

imperi] Ita [*imperii*] cod. per *m*, cum paulo ante sit per *n*. Ita etiam *set*, et *sed*, *aput* et *apud*, et complures eiusmodi varietates. Maivs. *Imperii* etiam c. 33.

familiarum] Cod. *familiarium*; verum tertia *i* videtur expuncta. Maivs.

pecunieis] Ita [*pecunis*] cod. pro *pecuniis*. Maivs.

ut Rhodei, ut Atheneis] Ita emendatur in codice: nam primo scriptum fuit *ut Rhodii, ut Athenienses*. Maivs.

nemo est civium quei] Hoc loco probabiliter Moserus supplet *quidem virtute claresceat, qui in honoribus ferat repulsam, propter generis vel pecuniae defectum*. Maivs ed. alt. Unde haec habeat Moserus, vide apud ipsum.

*po*pulo aliquis unus etc.] Heinr. supplet *cum in populo* — tum verba *superbia nata* mutat in *superbiam natam*, deleto *et*. Displicebat ei sine dubio Maii coniectura post *nata* addentis *iura* vel *nomina nobilitatis*. Possis etiam coniicere *nata esse regna commemorant*, quo ducunt quae mox de regnis et regibus dicuntur. Moservs. Lege, non cum Mosero *nata esse regna*, sed *regna nata esse;* absorpta est syllaba alterutra, unde quum *regnata* nihil esse viderent, delerunt *regna*, quod abesse non posse recte intellexerunt critici. Otto. Nihil horum placet, licet Heinrichii commenta Zellius non dubitarit in contextum adeo suscipere, neque sine periculo gravis erroris vox *nata* tentari mihi videtur, quum periodi prior pars eum fere in modum formata esse potuerit, ut *vitia* vel *detrimenta* rei publicae (vel aliud similis significationis neutrum plurale) *quum* ex aliis caussis (quo spectarent verba initio mutila *populo — exstitissent*) *tum ex eorum fastidio et superbia nata* commemorarentur: quae orationis conformatio admodum probabilis videtur. *Regna* certe ut praegressum credam non adducor, quoniam quo modo ex fastidio

tiores opulentioresque exstitissent, tum exs eorum fastidio et superbia nata esse commemorant, cedentibus ignaveis et inbecilleis, et adrogantiae divitum succumbentibus. Sei vero ius suum populei teneant, negant quicquam esse praestantius, liberius, beatius; quippe quei dominei sint legum, iudiciorum, bellei, pacis, foederum, capitis unius quoiusque, pecuniae. Hanc unam | rite rem publicam, id est rem populei, p. 176
appellarei putant. Itaque et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populei vindicarei, non ex libereis populeis reges requirei, aut potestatem

et superbia divitiorum opulentiorumque regna nasci potuerint, fateor me non intelligere.

aliquis unus] Exemplis huius phraseos a Mosero collatis adde Acad. II, 37, 118. Graecis eodem modo *εἷς τις*.

exstitissent] Ita cum Nobbio et Orellio scripsi. Ex Cod. Maius, quem ceteri secuti sunt, *extitissent*.

exs] Vulgo *ex*.

inbecilleis] Ita ex Cod. 2 Maius; 1 *invecillis*. Ceteri *imbecillis*.

adrogantiae] Ita ex Cod. Maius, quem solus Steinackerus secutus est. Reliqui *arr*.

quicquam] Nobb. *quidquam*. Illud constanter Codex, v. c. 35. V, 5. Item Codex Erfurtensis Ciceronis constanter, teste Wundero Varr. lect. p. 12. Alia vero ratio v. *quidquid* est, in qua *d* immutatum retinetur, ut in cod. Vat. or. pro Fonteio p. 61 Nieb. Improbavit *quicquid* Quintilianus quoque I, 7, 6.

bellei] Ita Cod. 2; 1 *velli*.

quoiusque] Vulgo *cuiusque*.

rem publicam, id est] Cod. *id est rite rem publicam*; verum haec vitiosa metathesis in ipso codice deinceps, signis superimpositis, ita emendata fuit, ut nos scribimus. Maivs. Notavit librarii oscitantiam Raumerus quoque De censu Servii Tullii p. 18.

ex libereis populeis] An scribendum: *a liberis p.*? Cr. Nullus editorum aliquid mutavit; neque tamen, opinor, aliquis existimabit hoc sensu recte dici *ex* pro *a*, si *requiri* sit i. q. peti, desiderari: neque aliquis proferet loca, qualis ille est ad Att. VI, 1, ubi de his ipsis de rep. libris loquitur: *e quibus* [sex libris] *unum ἰσονομικὸν requiris de Cn. Flavio Cn. f.*, et minus etiam pro M. Coelio 28, 67: *ex quibus requiram, quonam modo latuerint, aut ubi*. Utriusque enim loci plane alia est, quam nostri, ratio. Credo igitur editores verba *ex liberis populis* intellexisse abstracte (quod dicunt) pro *ἐκ δημοκρατιῶν*, ut sensus sit: *non desiderari, ut ex democratia fiat monarchia*; ut hodie loquuntur. Hoc vero ipso sensu mox eadem verba recurrunt, cum dicitur: *et vero negant oportere indomiti populi vitio genus hoc totum liberi populi* (i. e. *δημοκρατίας*) *repudiari*. Qui locus si ita recte explicatur ... sanus est etiam noster; sin minus, priore loco *ex* mutandum in *a*, et posteriora verba *liberi populi* in glossae suspicionem cadent. Moserus. Eodem modo, quo Moserus, etiam Heinrichius *ex* defendit: „non deside-

atque opes optumatium. 49. Et vero negant oportere indomitei populei vitio genus hoc totum liberei populei repudiarei: concordi populo, et omnia referente ad in-
p. 169 columitatem et ad libertatem suam, nihil | esse inmutabilius, nihil firmius. „Facillumam autem in ea re „publica esse concordiam, in qua idem conducat omni„bus“: exs utilitatis varietatibus, quom alieis aliud expediat, nascei discordias. Itaque quom patres rerum potirentur, numquam constitisse civitatis statum. Multo iam id in regneis minus, quorum, ut ait Ennius, „nulla

rare solere liberos populos, ut, *exuta libertate*, reges induant.“ Item Otto: „Ne *a*, inquit, scribas, vide Lucceii Ep. ad fam. V, 14, 1: *animo defatigato tuo, qui nunc requietem quaerat ex magnis occupationibus*, et de sententia XV, 4, 14.“

optumatium] Vulgo *optimatium*.

referente] Ita Heinr., nullo subsequentium editorum praeter Zellium id advertente, his in Emend. subiectis: „Cod. et Ed. pr. [neque mutavit Maius ed. alt.] *referenti*. Prius p. 9 extr. recte *necessitate premente*; et postea aeque recte *excellenti providentia, recenti querela*. Alio loco [II, 11] *non vaganti oratione*; quod reliqui, cum deberem corrigere. Nam in talibus rebus huius Codicis omnino nulla est auctoritas.“

inmutabilius] Ita Maius ex Cod. Reliqui *inm.*

Facillumam — omnibus] Citat hunc locum Nonius voc. *conducere*, sed pro *esse* legebat *esse posse*. Maivs. Vulgo *facillimam*.

exs] Vulgo *ex*.

quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*; item mox.

alieis] Ex Cod. Maius *alis*, de quo supra dixi, item continuo *aliut* pro *aliud*.

Multo iam] Loco melius et mihi, ut Mosero, convenire videtur *multo etiam*.

quorum] Huius loco vel *quoniam* scribendum, vel in sequenti versu omittenda vox *regni* Maio videbatur: cui non sine caussa hic offenso Heinrichius adstipulatus est, qui deleta voce *regni* Ennii verba cum Ciceronis sermone contraxit; quoniam a Cicerone non Ennii versus, sed sententia, ut alibi passim, referretur. Quae ratio emendandi quum aliis, quos laudat Moserus, qui et ipse Heinrichium secutus est, tum mihi probata, eo maxime confirmatur, quod *regni* pravam versus sedem occupare, ex repetitione eiusdem Enniani versiculi Off. I, 8 colligitur, ubi *regni* penultimum est verbum. Huius igitur loci memor aliquis, *regni* quum male omissum opinaretur, id in margine addidit; unde a subsequente librario in contexta receptum est, non suo, sed alieno loco: cuius generis corruptelam simillimam supra iam notavimus. Approbarunt Heinrichii sententiam Nobbius et Orellius, sed ita, ut Ennianum locum in versus modum distinxerint, quem ipsi qua metrica ratione tueantur videant. Schützius *quoniam* pro *quorum* scripsit, servato *regni*. Steinackerus quod in Codice exstat, *quorum, ut ait Ennius, nulla regni saneta* etc. servavit, quippe cuidam non ingratae scriptoris negligentiae tribuendum ratus. Superest ut verbo de suspicione quadam Moseri dicatur, qui quum intellexisset, sensum, quo Ennianus locus hic afferatur

sancta societas nec fides est.“ Quare quom lex sit civilis societatis vincu|lum, ius autem legis aequale, p. 170 quo iure societas civium tenerei potest, quom par non sit condicio civium? Sei enim pecunias aequarei non placet; sei ingenia omnium paria esse non possunt: iura certe paria debent esse eorum inter se, quei sunt cives in eadem re publica. Quid est enim civitas, nisei iuris societas? ***

(Desiderantur paginae duae.)

XXXIII. 50. Ceteras vero res publicas ne appel- p. 53 landas quidem putant eis nominibus, quibus illae sese appellarei velint. Cur enim regem appellem Iovis optumei nomine hominem dominandei cupidum aut imperei

ab altero Officiorum loco differre, eo adduci se passus est, ut Ciceronem Ennii verba sive consulto sive imprudentem in aliam detorsisse sententiam, vel locum aliquo modo corruptum seu interpolatum esse statueret. Quidni vero illud revera Ciceronem fecisse dicamus, quod, nisi fallor, etiam alibi fecit, ut non propriam alicuius loci communis sententia, sed suam in rem, si modo id per verborum singulorum vim licebat, accommodata uteretur, quodque alios permultos et nostra et quavis aetate fecisse scimus. V. Off. I, 9, suppeditatum mihi a Lione.

quom] Vulgo *cum* ex Cod., vel *quum*: item mox.

condicio] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *conditio*.

ius autem legis aequale] Sensus est: eius autem, quod lege unicuique tribuitur, inter omnes aequale. Male distinxit Creuz. [quem Moserus secutus est]: *ius autem, legis aequale;* si quidem *legis* cum v. *ius* artissime cohaeret. Orellivs.

societas] In hac pagina pars extrema secundi laterculi cubat in mendis; repetitur scilicet prior periodus, et deinde punctis exploditur. Maivs.

eis] Cod. *is*, unde cum Maio ceteri omnes *iis*.

regem] Iovis sollemne est epitheton *rex* apud poetas. Hom. Iliad. I, 529: *ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερῴωσαντο ἄνακτος*. Lege Orph. hymn. XX, 5; Callimach. hymn. in lovem v. 2; Virg. aen. X, 2: *conciliumque vocat divum pater atque hominum rex*. Apuleius de mundo ed. Delph. p. 737 ait, nomen Dei regum nuncupationibus praedicari. Immo *ἄναξ* synonyma vox videtur *θεοῦ* apud Euripidem Hippol. 88: *ἄναξ, θεοὺς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών*. Confer mox in hoc opere capp. XXXVI. XLI. Maivs ed. alt. De v. *ἄναξ* v. intpp. et nos in Mida p. 66. Cum nostro loco conferenda haec Petri de politica scientia, quo opere res publicae Platonis Ciceronisque inter se comparantur, in Maii Coll. Vat. T. II. p. 602: *ἡ τοιάδε ἀρχὴ ἡ μόνη βασιλεία τε καὶ βασιλεὺς τῷ οὐρανίῳ ὁμοιός τε κατὰ τὸ δυνατὸν καὶ ὁμώνυμος*.

Iovis optumei] Ne quis coniiceret *Iovis optimi maximi*, providit Moserus. Orellivs. V. etiam Heinr. et ad III, 13.

optumei] Vulgo *optimi*.

hominem dominandei cupidum etc.] In his necessse est haereat, quicunque attentius legit. Post verba *dominandi cupidum* perquam debilis

singularis, populo oppresso dominantem non tyran-

est appendicula *aut imperii singularis;* et non huius tanti scriptoris est pravum asyndeton verborum *populo oppr. dominantem.* Quare priora illa verba Ciceronis non esse puto; quibus sublatis, reliqua sic quadrant aptissime: *hominem dominandi cupidum, aut pop. oppr. dominantem.* Fortasse etiam addendum est *in*: nusquam enim Cic. *dominari* ponit cum casu tertio. Ceterum non est offendendum in eo, quod hic idem verbum bis ponitur. Heinrichivs. Non admodum placet haec eiusdem verbi repetitio, ideoque suspicor aut delenda esse verba *hominem dominandi cupidum aut imperii singularis* [ego certe pro voce *hominem* intercesserim. Mr.] vel *populo oppresso dominantem;* aut scribendum: *hominem cupidum imperii singularis populove oppresso dominantem.* Cr. Moservs. Contra Codicis scripturam Otto sic defendere studet: „Nulla prorsus emendatione opus est, primum quod rhetorica vis in h. l. inest, quum primum generaliter locutus sit, tum specialiter, ut ita dicam; *in*iustum enim esse dicit Cicero, hominem vel dominandi cupidum vel imperii singularis, *qui populo oppresso dominetur* regem appellari; deinde in repetitione ne quis haereat, animadvertendum fere idem est, quod de verborum collocatione vel cacophonia, quae dicitur, supra [v. Excursum XII.] diximus. Cfr. Hand Lehrb. d. Lat. Stils p. 440. Cael. Ep. ad fam. VIII, 4, 4. 8, 1. X, 3, 2. XV, 4, 7. de rep. II, 8, 14. 18, 33. 40, 67. Acad. II, 34, 111. Planc. Ep. ad fam. XV, 3. Cass. XII, 11, 1. 22, 3. XV, 2, 6. 4, 8. Drakenb. ad Liv. I, 3. Madvig. ad Fin. II, §. 70. Cfr. I, §. 41." At minime ista loco expediendo satisfacere mihi quidem videntur, in quo ego non tam verborum eorundem repetitione, quam insuavi eiusdem fere sententiae iteratione et cumulatione offendo: neque solatii quid affert Orellii excusatio, Ciceronem hic negligentius scripsisse affirmantis. Neque magis arridet, qua expedire locum sibi visus est Orellius altera explicatione in Anal. T. IV, 2. p. 594 his verbis proposita: „Cur enim regem appellem Iovis optimi nomine hominem dominandi cupidum, aut, si hoc regis nomine sane abstinendum est, ne Iovis numen violetur: cur appellem vel imperii singularis nomine, quod magis iam hominum conditionem refert, hominem populo oppresso (dativus, nisi potius de Heinr. susp. leg.: *in populo oppresso*) dominantem; non tyrannum potius?" Orellii rationem, ignoro utram, sibi probari Moserus professus est Schulzeitung 1829. No. 53. p. 438. A mutando loco equidem abstinui, quoniam quo aliqua cum probabilitate restituatur nihil allatum video nisi [commentum illud Heinrichii, quem in constituendo verborum ordine secutus essem, nisi leniorem rationem haec vulgatae explicatio interim mihi sese commendasset. Duo sunt sententiae membra, quorum priore de homine dominandi aut imperii singularis cupido agitur, qui quovis alio, minime vero divino illo regis nomine appellandus videatur: inter dominationem vero et imperium singulare hoc interest, quod illa dominationis socios non plane excludit; gravior vero quae in altero membro, ad quod tanquam per scalam auctor pergit, memoratur dominandi ratio, h. e. quae quum in se habeat populum oppressum, non alio quam vero et competenti suo nomine, h. e. tyrannidis nominanda est. De asyndeto autem, quod etiam in hac loci constituendi ratione manet, non laboro: quod tantum abest ut tanto scriptore cum Heinrichio indignum censeam, ut in hoc dicendi genere, quo membra duo orationis sibi opposita continuo se excipiunt, cum vi dictum existimem, ut Fin. [II, 4, 12: *qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicunque Epicurei esse voluerint?* Restat una offensio, non in hac mea solum explicandi ratione, sed in quacunque a VV. DD. proposita, quae in constructione verbi *dominandi* cum casu tertio inest. Cicero enim *in* aut cum ablativo iungit,

num potius? tam enim esse clemens tyrannus, quam rexs inportunus potest; ut hoc populorum intersit, utrum comei domino, an aspero serviant; quein serviant | quidem fierei non potest. Quo autem modo adsequei poterat Lacedaemon illa tum, quom praestare putabatur disciplina reei publicae, ut boneis uteretur iustisque regibus, quom esset habendus rex, quecumque genere regio natus esset? Nam optumateis quidem quis ferat, quei non populei concessu, sed sueis comitieis hoc

p. 54

v. c. *dominari in civitate, in iudiciis, in bonis alicuius*, aut cum accusativo, ut Cat. II, 9, ubi v. Gernhard. Dativi usus aetatis est Cicerone multo recentioris. Hoc interim nostro loco ferendum ut singularis dictionis exemplum, qualia etiam alia apud Tullium leguntur: minime vero possunt verba *oppresso populo* pro ablativis absolutis accipi, quod putabat Moserus l. l.

tam enim esse] Cod. *tamen inesse*, unde illud Maius recte effecit, omnibus probatum. Mox vulgo *rex*.

inportunus] Ita ex Cod. Maius. Reliqui *imp*.

quein serviant — potest] Sic [scilicet commate post *serviant* posito] Cod. et Maius. [Immo abest comma.] Sed *quidem* non sic praeponitur. Quare vocula, quae facile elabitur, suppleta, emendavi *id quidem*; quod recte factum esse concedent, qui usum loquendi, vimque sermonis et Ciceronem norunt. Heinrichivs. Tot verbis non opus erat ut doceremur, *quidem* praeponi non posse, quum praesertim nemodum repertus fuisset, qui ante *quidem* incideret. Sed neque Heinrichius, neque qui eum secuti *id* suscepere, Moser. Nobb. Orellius, loci vim assecuti videntur, quum non intelligerent *quidem* pertinere ad *serviant*. Sensus enim est: in unius dominatu, sive comi domino sive aspero populi serviant, serviendum quidem iis utique esse. Idem senserunt Steinackerus, iam olim, tum vero sententia sua iterum defensa Animadv. in Cic. de rep. p. 7, et Lehnerus, qui post *quidem* minorem distinctionem posuerunt, qua cum Zellio supersederi posse credo, quum verba *quin serviant — potest* ita inter se cohaereant, ut divelli nequeant. Vulgo *quin*.

adsequei] Sic Maius ex Cod., quem secutus Steinack. Reliqui *assequi*.

Lacedaemon] Ex Cod. solus Maius *Lacaedemon*, ut supra.

illa] Huius loco pronominis, quod vi careret, Heinrichius, quamquam in contextu servavit, in Notis tamen *illud* se malle dixit, iungendum cum *ut bonis* etc. quod sibi placere ait Moserus Schulzeitung 1829. No. 53. p. 438.

tum] Vocabulum *tum* superadditum est in codice. Maivs. Hinc Bakius: *Lacedaemon illa, quod praestare* (spondere, polliceri) *putabatur disciplina reip*. Non vidit scil. *disciplina* esse ablativum. Orellivs.

quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*; item mox.

ut] Cod. *cum*, sed videbatur omnino scribendum *ut*. Maivs.

ut boneis uteretur etc.] Ad sententiam Otto conferri iubet II, 12, 24.

optumateis] Ex Cod. Maius *optimatis*, firmatum Martiani loco, quem supra apposuisset ad c. 26. Reliqui vero omnes editores *optimates*.

sed] Ex Cod. Maius *set*.

sibei nomen adrogaverunt? „Quei enim iudicatur iste „optumus? doctrina, artibus, studieis.“ Audio, quando ***

(Desiderantur paginae quatuor.)

p. 179 **XXXIV. 51.** ***sei fortuito id faciet, tam cito evertetur, quam navis, sei ex vectoribus sorte ductus

adrogaverunt] Ita ex Cod. Maius, quod cum Steinack. servavi. Orellius Anal. T. IV, 2. p. 594: „*arrogaverint* ex certissimo, ut ait, Latinorum scriptorum usu, contra Cd. auctoritatem vult Krarup. Sed sententiam non satis percepit, quae haec est: „Optimatium dominatio vel eam ob causam ferenda non est, quod, ubi tales civitati praesunt, ii non populi concessu, sed suis comitiis, id est, arbitratu suo et nomen istud et potestatem cum eo coniunctam sibi arrogaverunt, neque igitur legitimum ius ullum exercent.“ Necessarius ergo h. l. indicativus.“

Quei] Ita cod. 2 manu: at 1 *quid*. Nonius [v. *aemulus*] legebat *qua*; nisi potius ipse Nonius mendosus est. Maivs. Lehn. *quid enim*? In Nonio Gerlachii *qui* nunc exhibetur.

optumus] Vulgo *optimus*.

audio quando] Omisit haec verba Heinrichius. In Edd. Cic. hoc fragmentum ita legitur: *Quomodo enim iudicatur iste optimas, aut optimatium aemulus doctrina, artibus, studiis. Audio, quando*? Ubi Patricius: Omnia exemplaria, ut opinor, legunt *quam* pro *quomodo* et *optimus* pro *optimas*. Sigonius *optimas* reposuit. Ego autem miror, totum hoc fragmentum citari a Nonio ad ostendendam significationem verbi *aemulus*, cum pro eo, qui similitudinem vitae alicuius vel instituti sequitur, accipitur; ut sane verear, ne ita legendum sit: *Qua enim* vel *quomodo enim iudicatur esse aemulus*? *Doctrina, artibus, studiis*. Hactenus puto Ciceronis fragmentum esse. Quod autem sequitur, Nonii est fortassis et pertinet ad declarationem verbi *audio*, ut sit, *audio, quando significat*, vel *quando construitur* etc. Esse enim lacunam in Nonio existimo. Moserus. Quo periculosius est de huius loci totius laceri conditione et sensu aliquid comminisci, quod ad speciem certe probabilitatis accedat: eo magis cavendum videtur, ne, relictis iis quae ante oculos sunt, excogitemus ea quae quidem fieri potuerint, an vero facta sint, incertum maneat. Itaque primum *qui* servandum, quum constet, pro *qui* interrogativo librarios passim scripsisse *qua*: nihil igitur Nonii lectioni *quam* tribuendum, scilicet male ortae ex *qua*. Deinde quum omnes consentiant, mutilum esse Nonii locum, quidni id quod in eo desideratur *aemulus*, statuamus postrema loci parte, quae post *quando* exciderit, locum suum habuisse? Si igitur verbis ita, ut et a Codice Vatic. et a Nonio tradita sunt, constitutis inhaerendum est, sola interim interpunctione locus ita iuvandus, ut verba *doctrina, artibus, studiis* responsi loco habeantur. Mercerio in *audio quando* olim videbatur *aemulando* latere: sed mutata sententia, locum ut mutilum sibi habere iussit. Maius in Add. suplendum proponebat: *audio; quando ab aemulis ceteris praestare iudicatur*.

sei fortuito] „Cod. *se fortuito*; tum factum *si*, haud fortasse deleta *e*; quare videtur *si e fortuito*.“ Sic Editor, et his ipsis verbis. Non fuit omnium ille doctissimus, a quo factum est *si*: tamen scierit, non, ut *e contrario*, sic *e fortuito* dici Latine. Heinrichivs. Omnia plana, si memineris olim *sei* scriptum fuisse.

ex] Vulgo *e*.

ad gubernacula accesserit. Quod sei liber populus deliget, quibus se committat; deligetque, sei modo salvos esse volt, optumum quemque: certe in optumorum consilieis posita est civitatium salus, praesertim quom hoc natura tulerit, non solum ut summei virtute et animo praeessent inbecillioribus, sed ut hei etiam parere summeis velint. Verum hunc op|tumum statum p. 180
praveis hominum opinionibus eversum esse dicunt, quei ignoratione virtutis, quae quom in pauceis est, tum

ad gubernacula accesserit] Eadem similitudine quae navis gubernatorem inter et summum magistratum non fortuito, sed sorte deligendos intercedat, Philonem usum esse monuit Maius. Adde Cassiodorum de dialectica T. II. p. 545. Garet.: *Item ex proportione: ut si quaeratur, an sorte sint legendi in civitatibus magistratus, dicamus minime: quia ne in navibus quidem gubernator praeficitur; est enim proportio: nam ut sese habet gubernator ad navem, ita magistratus ad civitatem.*

salvos] Vulgo *salvus*; mox *vult* et *optimum*, tum *optimorum*.

certe in optumorum consilieis etc.] Ad sententiam conf. pro Sextio 45, 97.

civitatium] Nihil impedio, quo minus gen. plur. substantivi *civitas* scribatur *civitatium*, quamquam Cicero hac forma non videtur esse usus; vide modo Schneiderum Gr. Lat. (Formenl.) I. p. 253. Illud moneo, non convenire huic loco, si antecedentia spectes, genitivum pluralis numeri, neque eum a Cicerone profectum videri, sed ortum ex duarum lectionum coniunctione, quae fortasse iam in antiquissimis codicibus locum habuerunt. A Cicerone enim profectum esse potest vel *civium* vel *civitatis*. Utramque fortasse scriptionem aliquis ita coniunxerat: *civitatium*, unde religiosus quidam scriptor fecit *civitatium*. Equidem credo Ciceronem scripsisse *posita est civitatis salus*, eo sensu, quo est in Somn. Scip. III (de rep. VI, 13) *coetusque hominum, iure sociati, quae civitates appellantur*. Nostro loco cum aliquis explicandi causa recte superscripsisset *civium*, et lectionis varietas et corruptio, quam in contextis habemus, orta esse videtur. Veri autem similem esse nostram coniecturam, arguunt etiam, quae sequuntur: *praesertim cum* etc., ubi nisi ex superioribus intellexeris *cives*, scribendum erit: *summi virtute et animo viri*. Moservs. Ingeniosius haec quam verius disputata sunt. Etenim etsi de libero populo numero quidem singulari sermo est, tamen quum quivis populus liber intelligatur, quandoquidem res suas optimis quibusque committat, recte habet civitatium mentio, h. e. eorum populorum, qui illa conditione fruantur. De forma *civitatium* v. Excursum XV.

praeessent — velint] Creuzer. coni. *vellent*. De hac modorum inconstantia v. Moserum et Heinrich. Pro *praeessent* Bakius et Doederlein. *praeesse*, probante Mosero.

inbecillioribus] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imb*.

sed] Ex Cod. Maius *set*.

optumum] Vulgo *optimum*, ut mox *optimos*.

tum in pauceis] Orellius malebat *paucissimis* pro *paucis*. Steinackero Animadv. p. 7 repetitionem verborum *in paucis* Cicerone in-

in pauceis iudicatur et cernitur, opulentos homines et copiosos, tum genere nobilei natos, esse optumos putant. Hoc errore volgei quom rem publicam opes paucorum, non virtutes, tenere coeperunt, nomen illei principes optumatium mordicus tenent, re autem carent
p. 117 eo nomine. Nam divitiae, | nomen, opes vacuae consilio et iubendei atque alieis imperandei modo, dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae: nec ulla deformior species est civitatis, quam illa, in qua opulentissumei optumei putantur. 52. Virtute vero gubernante

dignam censenti satis, opinor, respondi in Zeitschr. f. d. Alterth. 1841. No. 48. p. 398.

iudicatur] Moserus coni. *indicatur*.

optumos] Facete ludit in iisdem vocibus Caelius Ep. ad Att. X, post 9: *Vide ne, dum pudet te parum optimatem, esse, quid optimum sit, eligas.* Cic. pro Sextio 45, 96: *qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur: Qui ergo isti? Optimus quisque.* Scilicet nostro loco Tullius in mente habet originem v. *optimus* a v. *opes* petendam, primitiva sane vocis illius significatione confirmatam. V. Welcker. ad Theognid. p. 26 sq.

volgei] Vulgo *vulgi*. Mox *optimatium*.

quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*.

vacuae consilio — modo] Non diffiteor, non satis placere mihi hanc dictionem: *vacuae consilio* intelligo: *vacuae vivendi et imperandi modo* vix concoquo, nisi scribas *vacuae iusto vivendi* etc. Moserus. Sed opposuit Mosero Orellius, *iusti* notionem inesse in ipsa voce *modus*, quae h. l. non sit nostrum *Weise*, sed *Maass*, quae significatio ex ipsa loci sententia sponte prodit. Ego in solo *vivendi* impingo, cuius velim mihi aliquis sensum explicet. Schütz. dedit *videndi*, ipso fortasse invito: quod ego edidi IUBENDI pro UIUENDI, ita scripturae Codicis accommodatum est, ut mutationis nomine appellari vix queat, quum praesertim memineris innumeris locis a scriba *b* et *u* commutata esse. Utramque vocem iunxit Terentius Eun. II, 3, 98.

alieis] Ita cod. *aliis*; quum alibi plerumque sit. *alis*. Maivs.

deformior] Cod. *demformior*; sed *m* fortasse expuncta. Maivs.

opulentissumei optumei putantur] Atqui Romae iam inde a Servii Tullii aetate comitia fuerunt in locupletium potestate. Dionys. IV, 19 sq. Huc fere pertinent poetarum iustae querelae politicis audiendae. Ovid. fast. I, 217: *dat census honores, census amicitias; pauper ubique iacet.* Tum Iuvenal. I, 112. Hor. sat. II, 3, 95. Sallustius de ord. rep. ep. II: *ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia* etc. Quin ipsum Iovem *pecuniam* appellatum tradit Augustinus C. D. VII, 12; eiusque appellationis fuisse causam quod *pecuniae sint omnia*. Adde etiam Iunonem atque Apollinem *monetam*; Lact. inst. II, 7, et in nummis Commodi apud Eckhel T. VII. p. 122. Immo deam diserte *pecuniam* Aug. C. D. IV, 21. 24. Et *auri sacra fames*. Tum in sacris bibliis avaritia synonyma idololatriae. S. Paulinus nolanus ep. VIII sit: *nomine divino argentum venerantur et aurum*. Maivs ed. alt. Vulgo *opulentissimi optimi*.

rem publicam, quid potest esse praeclarius? quom is, quei inperat alieis, servit ipse nullei cupiditatei; quom quas ad res civeis instituit et vocat, eas omneis conplexus est | ipse sine ulla cupiditate, nec leges inponit p. 118 populo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam, ut legem, praefert sueis civibus. Quei sei unus satis omnia consequei posset, nihil opus esset pluribus; sei universei videre optumum et in eo consentire possent, nemo delectos principes quaereret. Difficultas ineundei consiliei rem a rege ad plureis, error et temeritas populorum a multitudine ad paucos transtulit. Seic inter infirmitatem uni | us temeritatemque multorum medium p. 233 optumates possederunt locum, quo nihil potest esse moderatius: quibus rem publicam tuentibus, beatissumos esse populos necesse est, vacuos omnei cura et cogitatione, alieis permisso otio suo, quibus id tuen-

quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*; item mox.

inperat alieis] Cod. *inperat talis*; tum deleta altera *t*. Et nota *inperat*, quum supra sit per *m*; item *alis* [quod recepit Maius], quum paulo ante sit *aliis*. MAIVS. Ceteri *imperat aliis*.

civeis] Ita [*civis*] cod. sollemni huius vocis terminatione in quarto casu. MAIVS. Edd. *cives*.

omneis] Vulgo *omnes*. V. Excurs. XV.

conplexus] Ita ex Cod. Maius: ceteri *compl.*

sine ulla cupiditate] Haec verba vulgo omissa certissima, ut videtur, ex coniectura mea revocantur, in quam etiam Heinrichium incidisse ex eius Notis video, postquam is in edendo contextu editoris principis scripturam secutus fuerat. Is enim ad *ipse* adnotavit: „Cod. *in ulla cupiditate*; sed haec verba deleta postea videntur, quod merito factum puto." Merito sane, si modo delevit librarius; si vero *sine ulla cupidate* scriptum invenisset, non, opinor, deleturus fuisset. Heinrichio vero non erat, recte notante Orellio Anal. T. IV, 2. p. 594, satis causae quod ea verba sic transponeret: *complexus est sine ulla cupiditate ipse*.

inponit] Ita Maius ex Cod.; reliqui *imponit*.

sed] Ex Cod. Maius *set*.

videre] Cod. *videret*; tum expuncta *t*. MAIVS. Creuzero, deleto *possent*, legendum videbatur: *si universi viderent optimum et in eo consentirent*. Mihi quidem *videndi* verbum alienum a loco videtur.

optumum] Vulgo *optimum*.

plureis] Vulgo *plures*.

infirmitatem] Cod. *firmitatem*; quae lectio prorsus mendosa videtur. MAIVS.

optumates] Vulgo *optimates*.

cogitatione] Inest levis ironia in hoc loco, nec obliviscendum, Sci-

dum est, neque committendum, ut sua commoda populus negligei a principibus putet. 53. Nam aequabilitas quidem iuris, quam amplexsantur liberei populei, ne-
p. 234 que servarei potest: ipsei enim | populei, quamvis solutei exfrenatique sint, praecipue multeis multa tribuunt, et est in ipseis magnus delectus hominum et dignitatum; eaque, quae appellatur aequabilitas, iniquissumast. Quom enim par habetur honos summeis et infumeis,

pionem h. l. ex persona eius loqui, qui optimatibus faveat. Vid. fin. capitis: *Haec fere — disputari solent.* CREUZERVS. His satis, opinor, dispelluntur dubia, quae de illa voce movit Moserus, cuius loco *agitatione* reponendum censebat, quod ne admittit quidem sententia: imperii enim participibus cura quidem semper adest, non item agitatio. Similis eiusdem vocis usus II, 4.

alieis] Ex Cod. Maius *alis*, ut supra.

negligei] Ex Cod. Maius *neglegi*.

amplexsantur] Vulgo *amplexantur*.

neque servarei] Plane nunc omittendo ea, quibus in ed. pr. illa pro *ne servari quidem*, vel pro *servari non* posita esse dixisset, Maius Mosero se cessisse ostendit, optime illum orationis processum *neque — eaque*, interpositis quibusdam in formam parentheseos, explicanti, quem vide. Est haec dicendi ratio disiunctiva ex eo genere, quo in ipsa inaequabilitate membrorum, quorum prius negativum ab affirmativo excipitur, aliqua inest gratia sermonis. Iustus enim processus sententiae in altero membro flagitaret: neque quae appellatur aequabilitas aequissima est. Sed multiplex hoc dicendi genus, paucis non absolvendum. Addam unum locum ex rarioribus, quo membra sine intermedia enuntiatione iuxta se ponuntur, de legg. I, 15, 4: *Ita fit, ut nulla omnino sit iustitia; si neque natura est, eaque, quae propter utilitatem constituitur, utilitate illa convellitur*, ubi v. Goer.

exfrenatique] Ex Cod. Maius *ecfrenatique*, quod ducit ad id quod scripsi, licet Cod. I, 42 extr. *effrenatam* exhibeat; quemadmodum etiam I, 29 Cod. eodem vitio *ecflorescere*. De quo scripturae genere v. ad c. 1. Edd. *effrenatique*.

delectus] Ex Cod. Maius *dilectus*.

dignitatum] Cur non mutaverim in *dignitatium*, dixi Excursu XV.

appellatur] Ita cod. 2 manu, at 1 *appellabitur*. MAIVS.

iniquissumast] Ita Cod. 1 m., quod cum Maio solo suscepi. V. ad II, 10. Altera m. *est*, quod susceperunt ceteri Edd.

Quom] Alii ex Cod. cum Maio *cum*: alii *quum*.

honos] Reliquerunt, quod paene mirare, editores iure Ciceroni hanc nominativi formam, Quintiliani quidem, quem v. I, 4, 14, aetate obsoletam, minime vero Ciceroni eripiendam. V. Madvigii Lat. Sprachl. §. 41. p. 38. Itaque non spernendum quod *arbos*, ab eodem Quintiliano notatum, codices ad unam omnes praestant in Ovidii Fast. I, 153. Ceterum quam legem Madvigius Bemerkungen z. Lat. Spr. p. 35 primus se ait invenisse, ut ea tantum nomina, quae a verbis derivata non essent, in *s* terminata fuissent, ita ut v. c. *amos* a consuetudine dicendi abhorruisset: de ea ut paullisper dubitem, adducor Quintiliani auctoritate, in

quei sint in omnei populo necesse est, ipsa aequitas iniquissuma fit: quod in eis civitatibus, quae ab optumeis reguntur, accidere non potest. Haec fere, Laelei, et quaedam eius|dem generis ab eis, quei eam p. 235
formam reei publicae maxsume laudant, disputarei solent.

XXXV. 54. Tum Laelius: Quid tu, inquit, Scipio? ex tribus isteis, quid maxsume probas? S. Recte quaeris quid maxsume ex tribus; quoniam eorum nullum ipsum per se separatum probo, anteponoque sin-

eiusdem classis nominibus etiam *clamos* et *vapos* referentis. Sed tota hac de re non potest breviter decerni.

infumeis] Vulgo *infimis*, ut mox *iniquissima* et *optimis*.

fit] Ex Cod. Maius *sit*. Quod dedi, Schützio et Mosero debetur, etiam Orellio et Zellio probatum. De interpunctione recte Moserus: „Magis placet, si Cicero dicit: *necesse esse, ut in omni populo sint summi et infimi*, quam si simpliciter id dicit, de quo nemo dubitat: *esse in omni populo summos et infimos*." Contra Creuzerus verbis *necesse est* cum seq. iunctis, pro *sint* malebat *sunt*. Ceterum Krarup II. p. 19 *iniquissimast* coniecit, quod etiam Madvigio ad Fin. III, 18. p. 448 placebat, fortasse receptae lectioni praeferendum. Nobbius *iniquissima est*. De sententia Maius quae in ed. pr. apposuerat, nunc sic aucta repetiit: „Sic prorsus Isocrates in Nicocle ed. Langii p. 36: *περὶ μὲν οὖν τῶν πολιτιῶν οἶμαι πᾶσι δοκεῖν δεινότατον μὲν εἶναι τὸ τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσθαι τοὺς χρηστοὺς καὶ τοὺς πονηροὺς κ. τ. λ.* Idem dicitur in oratione areopagitica. Tum Proclus ineditus: *οὐδὲν δὲ τούτων θεμιτὸν ἐν ταῖς εὐνομουμέναις πολιτείαις ἴσης ἐξουσίας μετεῖναι πᾶσι· συγχυθήσονται γὰρ οἱ τῆς ἀξίας ὅροι.*"

maxsume] Vulgo *maxime*, ut mox.

Quid tu, inquit, Scipio? etc.] Ita distinximus cum Heinr. et Lehn. [probantibus Orellio et Zellio], quamvis Cens. Lips. l. c. p. 90 praeferat Steinackeri modum, qui scripsit: *quid tu? inquit, Scipio; e tribus* etc. [Hunc suum fecit Nobbius.] Schützius; *Quid? tu, inquit, Scipio e tribus* etc. Villem.: *Quid tu, inquit, Scipio e tribus istis, quid* etc. A. Maius pessime omnium: *Quid? tu inquit, Scipio, e tribus istis, quid* etc. Ad rem conf. supra cap. XXX. Moservs. Moseri modum ego quoque sequendum putavi, caussa iam significata Zeitschr. f. d. Alterth. 1841. No. 48. p. 398, quamvis ineptum eum nuper Steinackerus Animad. p. 7 appellarit.

ex] Vulgo *e*, ut mox.

quid maxsume ex tribus] Ita [*quid*] Cod. 2 m.; 1 *quod*, probatum Maio, Lehn. Schütz. et Mosero, quem etiam vide ad cap. 30: *quod optimum iudices*. Illud vero cum ceteris editoribus exhibui, quoniam haec aperte referuntur ad praecedentia *e tribus istis quid maxime probas*. Et sub capitis finem: *quid maxime velis*.

separatum] Ita scribendum duxi cum Heinr. [quem etiam secuti sunt Orellius et Zellius], ut est in Cod. a 1 manu, quam scriptionem corrector in peius mutasse mihi videtur [scil. scribendo *separatim*, quod cum Maio Steinackerus Nobbiusque retinuerunt]: non enim vult Scipio, *se nullum genus separato modo probare*, sed: *nullum, si plane separetur a reliquis et seorsim spectetur* etc. Moservs.

guleis illud, quod conflatum fuerit exs omnibus. Sed sei unum ac simplex probandum *sit*, regium *pro*bem
p. 246 *atque in primis laudem*. In *primo autem genere, quod* | hoc loco appellatur, occurrit nomen quasei patrium regis, ut ex se nateis ita consulenteis sueis civibus, et eos conservantis stu*dio*sius, quam *redi*gentis *in servitu*tem:

illud] Ex Cod. Maius *illut*, ut etiam mox *set*. Mox vulgo *ex*.

simplex] Cod. 1 manu *simplex*; 2 superposuit *m*. Maivs.

probandum] Exin pagellae angulus lacer est, ita ut in obliquo vulnere sex fere verba perierint, quae ego supputatis litterarum spatiis restituere conatus sum, neque tamen mea pro tullianis haberi volo. Maivs. Heinr. omnes omnino voces et literas, quas Maius supplendo loco addidit, omisit: Schützius omnes recepit, neque vero in nota accurate, quid in Cod. scriptum fuerit, indicavit, neque in contextu additamenta typorum varietate distinxit. Steinack. omisit verba *atque — quod*, et *ut sane* usque ad literas *exig.*, quia ei Maii supplementa non multum probabilitatis habere visa sunt. Lehn. recepit omnia ut Sch., uterque vero non plane, ut volebat Maius. Schützius enim pro *autem genere* dedit *genere tamen*, non inspectis Addendis editionis Romanae: Lehnerus vero omisit *genere*, quod noluisse credo omissum Maium. Ad v. *in primis laudem* vid. infra II, 23. med. Vox *exiguos* in Edd. Rom. Londin. et Stuttg. scribitur *exiguuos*. Moserus. Ego quoque Maii supplementa cum ceteris editoribus interim servanda duxi, non quo ea pro genuinis haberem, sed quo ea vel ad veritatem aliquatenus accedere vel certe aliorum acumina excitare viderentur. Nobb. omisit *genere*.

*pro*bem] Cod. *vem*, sed superposita *b*. Maivs.

in pri*mis laudem*] Plato apud Synesium de regno ed. Petav. p. 19. *βασιλείαν θεῖον ἀγαθὸν ἐν ἀνθρώποις καλεῖ*. Quam sententiam vindicat sibi Livius apud nos p. 98. n. 1 [Liv. II, 9.] Maivs ed. alt.

In *primo autem genere* etc.] Wolff. *in illo autem quod hoc appellatur, primo loco occurrit*, quo non satis litterarum in Codice servatarum rationem haberi recte monet Beierus in Päd. phil. Littbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 189, ipse proponens: „*Et* in illo *quidem quod regium* hoc loco appellatur etc.“

nomen quasei patrium regis etc.] Hinc profecit Petrus de scientia politica in Maii Coll. Vat. T. II. p. 603: *ἕτερον δὲ περὶ τὴν τῶν νόμων φυλακὴν καὶ πᾶσαν τὴν πολιτικὴν εὐταξίαν, περὶ ἧς καὶ προδιεληλύθαμεν πατέρα τε αὐτὸν τῶν πολιτῶν γιγνόμενον, πολλῷ περὶ αὐτοὺς τῶν φυσικῶν προμηθέστερον· εἴπερ ἐκεῖνοι μὲν ὀλίγων ἴσως, οὗτος δὲ πατὴρ πολλῶν ἂν εἴη καὶ λέγοιτο· κἂν τούτῳ ἀνάγκη μιμεῖσθαι θεὸν ἀθρόων τε πατέρα λεγόμενον καὶ πατρικῶς αὐτῶν προνοούμενον καὶ ἅπαξ ἁπλῶς ζῶντα οὐχ ἑαυτῷ οὔτε δι' αὐτὸν, ἀλλὰ τοῖς βασιλευομένοις καὶ δι' αὐτούς, καὶ εἰ ἀναγκαῖον εἴη τὴν ψυχὴν ὑπὲρ αὐτῶν τιθέντα*. V. not. ad c. 33.

et conservantis] Ita Cod. 2 manu; 1 *ut* pro *et*, quas voculas etiam supra confusas vidimus.

stu*dio*sius] Versa haec quoque pagella necessario lacera est, quam pariter reparandam coniecturaliter curo. Maivs.

*redi*gentis] Litterae *g* in hac voce nonnisi vestigium breve manet. Maivs. Creuzerus, quod *redigentis in servitutem* non commode opponerentur verbo *conservantis*, maluit *redigentis in paucitatem*.

ut sane utilius sit facultatibus et mente exiguos sustentarei unius optumei et summei virei diligentia. 55. Adsunt optumates, quei se melius hoc idem facere profiteantur, plusque fore dicant in pluribus consiliei, quam in uno, et eandem tamen aequitatem et fidem. p. 131 Ecce autem maxsuma voce clamat populus neque se unei neque pauceis velle parere; libertate ne fereis quidem quicquam esse dulcius; hac omneis carere, sive regei sive optumatibus serviant. Ita caritate nos capiunt reges, consilio optumates, libertate populei: ut in conparando difficile ad eligendum sit, quid maxsume velis. L. Credo, inquit, sed expedirei quae restant vix p. 132 poterunt, sei hoc incohatum reliqueris.

mente exiguos] Item in hac voce vix levis apex est litterae *g*. Maivs. Omnia igitur hic incerta, quum *vacuos* et aliud omne divinare liceat. Certissimum vero, *mente exiguos*, recte notante Mosero, Ciceronianum non esse. Neque aliter statuit Otto: „Tu lege *facultatibus et copiis*. Prorsus sensu caret vox *mente exiguos*, quod quis unquam ita dixit? neque de ea re sermo est, sed de adiumentis externis quibus bonus rex prospicit civibus suis."

optumei] Vulgo *optimi*, ut mox *optimates* et *optimatibus*.

eandem] Ita cod. 2 manu; at 1 *eamdem*. Maivs. *Eamdem* Nobb. V. ad I, 44 *tamquam*.

maxsuma] Vulgo *maxima*.

quicquam] Nobb. et Orell. *quidquam*. V. ad c. 32.

omneis] Vulgo *omnes*. V. Excurs. XV.

conparando] Ita ex Cod. Maius: reliqui *comp*.

maxsume velis] Hanc controversiam ventilat Aristoteles reip. libro III, cum quo Cicero valde conspirat: sed tamen ille graecus rem copiosius illustrat. Conf. Theophylactum inst. reg. II, 6. Maivs ed. alt. Vulgo *maxime*.

incohatum] Ita cod. cum aspirata duabus vocalibus interposita, quae scriptura confirmatur praestanti veterum auctoritate Verrii Flacci et Tranquilli apud Diomedem p. 361. Et sic veteres scripsisse testatur etiam Servius ad G. III, 223. Maivs. Cui verbi scripturae, quam correcta certe manus infra quoque III, 2 praestat, editores cur tantopere irati fuerint, ut, Mosero excepto qui Ind. Lat. conferri iubet Feam ad Horat. Carm. I, 4, 15, ne unus quidem receptae a se vulgari formae in Notis Codicis lectionem subiiceret, ego eo minus exputo, quo patrocinium eius maiore iure arbitri harum rerum locupletissimi, qualis nemine obloquente Casaubonus est, quem vide ad Sueton. Caes. 46 egregie disputantem, iam olim susceperunt. Alios vide inter eos quos in utramque partem disputantes Moserus nominavit: quibus adde Hess. ad Taciti Dialog. p.... et quae ipse olim ad formam illam adstruendam contuli ad Apuleium min. p. 112; quae quum scriberem, non memor fui Scholiorum in Plautum, quae ex codice vetere descripta in scriniis servo, ubi ad Amph. I, 1, 77 haec leguntur: *boare clamare, a Graeco βοάω*,

XXXVI. 56. *S.* **Imitabor ergo Aratum, quei magneis de rebus dicere exsordiens, a Iove incipiendum putat.** *L.* **Quo Iove? aut quid habet illius carminis simile haec oratio?** *S.* **Tantum, inquit, ut rite ab eo dicendei principia capiamus, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes doctei indoctique**

βοῶ graece positum: nam latinum verbum o ante o habens nunquam reperitur; ideo incoho h addimus. Quae ducta putari possunt ex his Probi Inst. p. 1486: *Quidam putant inchoare dici, imperitissime: nam neque post c litteram h latina verba regunt... neque o littera ante o alterum latinorum verborum prima persona reperitur; sed illae tres vocales... Igitur quod Plautus posuit reboo, non latine, sed graece posuit, βοῶ βοᾷς, unde derivativum reboo, reboas. Nam latinum verbum o ante o habens numquam reperitur.* Atque melioris notae codices passim *incohare*, ut Rom. in Plinii Epist. V, 5, 4 ubi Schaeferus „hanc scripturam, ait, cave ne pro vitiosa habeas." De Livio v. Alschefski ad Lib. XXX. p. XCIX. De Catullo v. varr. lect. ad XXXIII, 18. Horum vero auctoritati fidem habere si recusabis, non derogabis indubiis grammaticorum a Maio allatorum testimoniis, corroborandis, si opus videtur, ex Marmore Ancyrano, in quo exstat INCOHATVM, aliaque inscriptione apud Pontanum de aspiratione II, p. 38 b., qui et ipse probatam nobis vocabuli scripturam pluribus adstruere studet.

Imitabor] Ita 1 manus Codicis, probatum Heinr. Lehn. Mosero, Orellio, Nobbio aliisque: alterius *imitemur* cum Maio Steinack. et Schütz. Utram praeferas scripturam, haud multum interest.

a Iove incipiendum putat] Notae suae Maius nunc sub finem adiicit Plin. Paneg. 1. Minime vero negligendus erat Quintilianus X, 1, 4, cui Tullium ob oculos fuisse vix negabis.

Quo Iove] Mira sane haec est quaestio: aliter enim intelligi nequit, quam *quonam Iove* vel *quanam ratione cum speetans.* Fortasse scripsit Cicero *Quí Iove?* Cr. — Admodum arridet haec suspicio. Idem cogitasse videntur Villem. et Kobbius, ut ex eorum versionibus suspicari licet. Ego vero pleniorem etiam locutionem desidero: *Quí a Iove?* vel *Quid a Iove?* Moservs. Platonis imitatio leg. IV. 713 τίς δ' ὁ θεός. Atque haec platonica verba a me iamdiu prolata refutant cl. Moseri [immo Creuzeri] opinionem, qui mallet *quí Iove* pro *quo Iove.* Maivs. ed. alt. Orellius vulgatam defendit explicando: „Cur tandem dicis, a Iove?" A quo Iove incipiendum sit, Laelius ob multas diversasque virtutes, quae Iovi attributae sunt, quaerit, quum ex mera Iovis mentione non perspiciatur, quam Iovis facultatem Scipio rei adhibiturus sit: quod Laelio quaeritanti mox verbis *quem unum omnium deorum* etc. idem explicat. Praepositionem in altero membro relativae constructionis omissam egregie illustrant quae hoc de usu contulit exempla Otto Exc. ad Fin. p. 407 sq. et ante eum Schaeferus ad Sophocl. Oed. C. 749. Adde Cic. Off. I, 37, 12: *quibus de rebus loquatur, si seriis — si iocosis.* Similis ratio loci Terentiani Adelph. I, 1, 15,

atque ex me natus non est, sed ex fratre. is adeo,

siquidem ad restituendum metrum alterum *ex* mecum deleveris.

doctei indoctique] Cod. 1 manu *doctique expoliri*; tum factum *docti indoctique expoliri.* Ita Cic. de or. I, 22. *doctus atque eruditus.* Maivs ed. alt. in Add. p. 385 nunc adiiciens: „Tullianum hunc locum manifeste

consentiunt. Quid? inquit Laelius. Et ille: Quid

expilat Lactantius inst. I, 11: *Regnare in caelo Iovem vulgus existimat: id et doctis pariter et indoctis persuasum est.*" Ciceronis isto scilicet loco utitur Maius ad defendendam lectionem, in Add. olim iam commendatam, nunc a se in contextum receptam *docti expolitique*, quasi talia posse iungi dubitaret, dum in ed. pr. monitu sapientis, ut ait, viri, puta Niebuhrii, ediderat *docti indoctique uno ore*, quo, si per se spectatur, Ciceronis consuetudini dicendi nihil potest fingi convenientius, quum familiarissimum ei sit *uno ore*, vel *una consentire*. Sed *uno ore* caret omnino auctoritate, quum si id latuisse dicitur in *expoliti*, neque alia eius omissionis ratio excogitari potest, vellem quo modo id fieri potuisset, aliquis mihi explicaret. Temere igitur *uno ore* retinuit Nobbius in lectione a se recepta *omnes doctrina expoliti uno ore*, cuius priorem partem Mosero debet, qui quum ederet *omnes doctrina expoliti consentiunt*, non advertisse videtur, eam scripturam a Codicis vestigiis plane abhorrere. Praeterea in oculos incurrit, Ciceronem ineptire, quum omnes doctrina expolitos consentire dicit, Iovem unum omnium deorum hominumque regem fuisse: ea enim non doctorum expolitorumque solum, sed omnium omnino hominum communis erat de Iove sententia. Dicendum igitur potius Ciceroni erat, non doctos solum, sed vel etiam indoctos hac in sententia convenire. A qua sententiae forma patet alienam esse nominum conversionem in Heinrichii lectione *indocti doctique consentiunt*, a Codicis insuper scriptura nimium quantum discedente. Quod praeterea vir acutissimus lectionem a se probatam defensurus admonuit, exemplisque adstruxit, quibus addi potest Lucilii dictum apud Cic. de or. II, 6, et Cic. de N. D. I, 2: *de qua tantopere non solum indocti sed etiam docti dissentiant*, perpetuum esse tanquam in formula ordinem verborum, ut *indoctis* subiicerentur *docti*: id non tanti, neque omnino legis instar fuisse crediderim, quin arbitrio scribentis ea migrari potuerit, et ubi sensus flagitat, debuerit, ut de N. D. III, 2: *nec me . . . illius unquam oratio aut docti aut indocti movebit.* Orellius, qui suscepit Beieri Fragm. Cic. p. 195 coniecturam *omnes, docti indocti, consentiunt*: „Iam ambigimus, inquit, utrum illa QVEEXPOLIRI e gloss. nata sint, an lateat in corruptela *uno ore* vel *cum poeta illo* vel *pariter*, vel simile quidpiam: nam Creuzeri *quasi explorate* et Wolffii *ex poetis* nihil sane est. Videant acutiores." Postmodum vero Orellius Anal. T. IV, 2. p. 594 Heinrichii lectionem sibi placere affirmavit. Franckius coni. *omnes docti indoctique et politi.* Omnibus his ingenii lusibus vix serio exagitandis accedit haud maioris aestimanda coniectura T. Badenii in Iahnii Jahrb. Suppl. T. II. p. 358: *omnes, docti indoctique, voce parili consentiunt.* Iam vero de hoc loco vexatissimo ut dicam quod sentio, mihi de restituendo eo non tam desperandum videtur, si modo id, in quo plurimi consentiunt, admittendum mecum concedas, primum *expoliri* mendum esse pro *expoliti*, deinde hoc ex margine in textum irrepsisse. Ac glossatoris manum a Codice non plane alienam fuisse, vel unus locus c. 37 manifeste ostendit. His positis facile apparet alterum librarium, quum quam invenisset pravam manus 1 scripturam *doctique expoliri*, emendaret *docti indoctique* scribendo, oblitum esse delere delendum *expoliri*; unde iam ea forma loci prodit, quam cum Steinack. Lehn. et Zellio exprimendam curavi. Atque veram esse hanc emendandi rationem, in Scholis meis dudum expromptam, nunc doceor ex manifesta Augustini imitatione, cuius locum pridem a me notatum, mecum etiam Otto communicavit; qua imitatione monstrata res uno veluti ictu conficitur. Is enim Epist. 44, ubi de Iovis natura agit: *siquidem*, inquit, *illum deum dicis unum, de quo, ut dictum est a veteribus, docti*

p. 165 **censes, nisei quod est | ante oculos? Sive haec ad utilitatem vitae constituta sint a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo, quei nutu, ut ait, totum Olympum converteret, idemque et**

indoctique consentiunt. Quibus hunc ipsum Ciceronis locum respici, nullum omnino est dubium.

Quid?] Pessime Bakius coni. *Quid ad haec?*

inquit] Ex Cod. Maius *inquid.*

sint] Ex Moseri et Creuzeri coniectura Orellius et Zellius *sunt*, invito, ni fallor, Cicerone. Licet enim infra in altero orationis membro *didicimus* scripserit, tamen coniunctivus *sint* sese tuebitur, si reputaveris diversam utriusque sententiae rationem esse. Etenim ista an ad utilitatem vitae a principibus rerum publicarum constituta sint, id in dubio relinquitur et relinquendum erat, quamquam ita esse facile ab omnibus concedatur. Contra ista an in errore imperitorum posita esse didicerimus, id omni dubitatione exemptum est, quandoquidem quaeri non potest, id utrum didicerimus, necne.

ut ait, totum Olympum] Ita [*ut ait Homerus, tot. Ol.*] cum Villem. Heinr. et Steinack. scripsi [ita Orellius quoque Nobb. atque nunc Maius, neque dissentit Otto in Schedis], cum in Cod. et rell. Edd. sit. *ut ait totum Olympum Homerus*, vocabulorum transpositione non a Cicerone, sed a librario orta. Moservs. Ut nemo *Homerus* sua Codicis sede serio defensum eat, tamen eo minus adducor, ut id vocabulum recte post *ait* transpositum credam, quo audacius et fallacius, ut supra iam monitum est, omne id emendandi genus merito putatur, nostro loco eo minus adhibendum, quo pravae istius transpositionis causam ullam ne difficilius divines. Atque ordo vocabulorum, ut Orellii verbis utar Anal. T. IV, 2. p. 594, nisi summa urgente necessitate, iis in libris, quos ex uno Cd. habemus, mutari non debet. Quare leniorem, ut puto, inivimus emendandi rationem eiiciendo *Homerus* ut glossemate, in qua assentientem habemus Bakium laudatum Orellio, mire quidem id fieri censente, quum Ciceroni tum potius scribendum fuisset *ut ait ille*, sed in meam ituro, ut puto, sententiam, si meminerit, auctoris, cuius verba afferuntur, nomen a Cicerone, si modo cuius verba afferat neminem nescire in comperto habeat, etiam alibi in simili phrasi reticeri, ut pro Sextio 48, ubi Attii versibus quibusdam, quorum auctor neque nominatur, neque ex praecedentibus intelligitur, simpliciter *inquit* inseritur, et continuo pergitur verbis: *Idem* [poeta] *alio loco dixit* etc. Hac brevitate loquendi in his si usus est Cicero, quidni idem alibi, ubi Homeri celeberrimi poetae nomen afferendum fuit et quidem pervagatus apud omnes locus, qui cuius esset neminem latere poterat, licuisse eidem dicamus? Praeterea admissa hac emendandi ratione simul caussa nominis alieno loco inserti patefacta est. *Homerus* enim quum margini adscriptum esset, ut cuius poetae verba essent adnotaretur, id nomen postmodum ipsis contextis illatum fuit, ipsa eius sede incommoda certissimum interpolationis indicium exhibente. Cuius corruptelae genus idoneo supra loco animadvertimus, multisque si opus videretur, exemplis confirmandum. Satis erit duo de Graecis notasse exempla. Pseudo-Plutarch. Vit. dec. orat. p. 843 (T. IX. p. 353. Reisk.), ubi de Lycurgo sic vulgatur: *ἐφ᾽ οὗ ἔλαβε καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ αὐτός τε καὶ ὁ Ἀνοῦργος καὶ ὁ πρεσβύτατος αὐτοῦ τῶν ἐκγόνων*, ubi quum Reiskius locum affectum restitui posse censebat deleto priori *καὶ ὁ*, ego malim ita statuere, id tum demum adiectum fuisse, quum ex margine in contexta

rexs et pater haberetur omnium; magna auctoritas est multique testes, siquidem omneis multos appellarei placet, ita consensisse genteis, decreteis videlicet principum, nihil esse rege melius, quo|niam deos omneis p. 166
censent unius regei numine: sive haec in errore inperitorum posita esse et fabularum similia didicimus; audiamus communeis quasei doctores eruditorum hominum, quei tamquam oculeis illa viderunt, quae nos

Λυκοῦργος immigrasset, quippe voci αὐτὸς olim adscriptum; cave enim vulgatam defendas iis proprii nominis similiter repetiti exemplis, quae congesta sunt Philologische Blätter 2. p. 113: quorum ratio specie quidem similis, re vera longe diversa est. Alterum exstat in Basilii MS. fragmento, quod ex Bastii schedis Schaeferus ad Greg. Cor. p. LIII edidit: Στιβὰς, στρωμνή, χαμαικοίτιον, ὡς Εἰρηναῖος ὁ Ἀττικιστής· καὶ Ἀριστοφάνης ἐν στρατείαις ὁ Κωμικὸς, καὶ ἐν Δραπέτισι Κρατῖνος, ubi nemo erit quin aut Ἀριστοφάνης aut ὁ Κωμικὸς abundare censeat; prius vero ex margine accessisse alienumque locum occupare, ipsa loci conformatio arguit. Et *Comici* nomine Aristophanem κατ' ἐξοχὴν designari, in vulgus notum. V. Eustath. ad Iliad. α. p. 3, 12 (qui ibi affertur Aristophanis locus, legitur Thesm. 199. Inv.) Boissonad. Anecd. T. II. p. 305. Ceterum novum esse illum titulum fabulae inter Aristophaneas, scite monuit Bastius l. c., a Dindorfio in Fragm. Aristoph. 1829 non relatum: quem quo minus, Siebenkeesii fortasse Excerptis Scholiorum Platonis ab Harlesio ad Fabr. Bibl. Gr. T. II. p. XV vulgatis insistens, cum στρώμασι commutandum censeas, abstinebis inspecto eodem illo scholio plenius edito in Siebenkesii Anecd. Gr. p. 24, ubi quam pulchre Harlesius eludi se passus sit facile intelliges.

converteret] Il. I, 530. μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Mos philosophorum est ex unitate Dei arguere regni bonitatem; vicissimque regni sive unius imperantis commoditate uti ad unitatem Dei commonstrandam. Lege inter alios Minucium Felicem cap. XIX. Sic apud Eusebium de martyr. Palaest. cap. I. sanctus martyr Procopius ad pernegandum plurium deorum cultum usus est versu illo homerico οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη etc. Maivs ed. alt. Mox vulgo *rex*.

haberetur omnium] Haec sunt a Platone, teste Photio quaest. amphiloch. CXC, 5. Maivs ed. alt. Vide ad Cornutum p. 251.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis* hic et paullo infra. Edd. *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

genteis] Vulgo *gentes*.

multos appellarei placet] Vocabulo *multi* interdum significari *omnes* demonstrat Augustinus contra Iulianum lib. VI, 80 et C. D. XX, 23. Sic etiam in sacris litteris theologi intelligunt Matth. XXVI, 28: *qui pro multis effundetur*, id est *pro omnibus*. Et Daniel cap. XII, 2. de resurrectione corporum loquens *multi evigilabunt*, id est *omnes*. At enim Moserus aliter intelligit tullianum locum, nempe quum *omnes* consenserint etc. licere prorsus dicere *multos* qui sunt *omnes*. Neque idcirco biblicae a me citatae auctoritates infirmantur. Maivs ed. alt.

inperitorum] Ita ex Cod. Maius; reliqui *imp.*

communeis] Ex Cod. Maius *communis*. Edd. *communes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

vixs audiendo cognoscimus. Quinam, inquit Laelius, istei sunt? Et ille: Quei natura omnium rerum pervestiganda senserunt omnem hunc mundum mente***

vixs] Vulgo *vix*.

mente***] Cod. *mundum exite*, cui postremo verbo deleto superpositum fuit *mente*. Num hiatus explendus est verbis Lactantii, qui Tullium de rep. expressisse videtur epitom. cap. IV? *Plato monarchiam adserit, unum Deum dicens, a quo sit mundus instructus et mirabili ratione perfectus. Aristoteles auditor eius, unam esse mentem quae mundo praesideat, confitetur. Antisthenes unum esse dicit naturalem Deum, totius summae gubernatorem. Longum est recensere quae de summo Deo vel Thales vel Pythagoras et Anaximenes antea, vel postmodum stoici Cleanthes et Chrysippus et Zenon et ipse Tullius praedicaverint: quum hi omnes a Deo solo regi mundum adfirmaverint. Hermes qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui et doctrinae vetustate philosophos antecessit, quique apud Aegyptios ut Deus colitur, maiestatem Dei singularis infinitis adserens laudibus, dominum et patrem nuncupat* etc. Eadem fusius dicit Lactantius inst. I, 2. 3. 5. Confer eundem de ira D. XI; nec non Salvianum de G. D. I, 1, 4. Maivs ed. alt. in Add. p. 385 hunc Tertulliani locum adiiciens, Apolog. c. 24: *Nonne conceditis de aestimatione communi aliquem esse sublimiorem et potentiorem, velut principem mundi perfectae potentiae et maiestatis? Nam et sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summae dominationis esse penes unum, officia penes multos, velint; ut Plato Iovem magnum in caelo comitatum exercitu describit deorum pariter et daemonum.* His in adnot. crit. positis idem nunc subiicit auctiora haec ex ed. pr.: „Quid huius hiatus causa desideremus, certis prope indiciis cognoscimus. Quippe auctor ut unius dominatum suadeat, transit ad imaginem mundi, quem ex sententia Timaei platonici et unum esse ait et mente seu anima praeditum, a qua idem ceu monarcha quodam et domino regitur. Sic Cicero Timaei interpres cap. V: *primum ut mundus animans; deinde ut unus esset.* Hac opinione utitur etiam Virgilius aen. VI, 724, quo loco legendus est Servius. Legatur etiam anonym. paneg. ad Constantin. cap. XXVI; tum Mamert. genethl. Maxim. cap. XIV; denique Sextus emp. lib. contr. phys. sect. 95. Obscura gravisque videbatur haec quaestio Augustino de consensu Evang. I, 35. Sed merito contra eos, qui caelum esse animal aiebant, librum scripsit Diodorus ὁ μονάζων, quarti saeculi homo, ut ait Suidas. Nunc vero has opiniones infra mortuos amandavimus. Multo pestilentior fuit illa sententia, quae Deum non solum esse animam mundi statuebat, ut aiunt theologi ethnici apud Macrobium ad somn. I, 17; sed hunc ipsum mundum esse Deum; quem nunc in scholis spinozismum vocamus; quo errore Plinium quoque hist. II, 1 laboravisse dolendum est, generatimque stoicos, teste Epiphanio ep. ad Acacium cap. III. Imprudenter ergo Lactantius inst. II, 8 laudat Senecam, qui naturam videtur cum Deo confundere. Porro utrum Cicero in lacuna sententiam stoicorum posuerit, ignoramus. De re autem legere licet Virgilium G. IV, 221; Senecam quaest. nat. praef. lib. I; Varronem apud Augustinum C. D. IV, 31. VII, 5. 6. Refutatur sententia ab eodem Augustino de vera rel. cap. II et de C. D. IV, 11. 12, a Lactantio VII, 3, et de ira D. cap. X, tum denique ab Epiphanio haer. V.“ Haec Maius; Otto in Schedis: „Cetera adiice ex Cic. de N. D. I, 2, 4.“ Supplendum esse *praeditum, instructum* vel simile aliquid, coni. Alb. Lion.

(Desiderantur paginae quatuor.)

XXXVII. 58. ***Sed sei veis, Laelei, dabo tibei p. 99 testes nec nimis antiquos nec ullo modo barbaros. *L.* Istos, inquit, volo. *S.* Videsne igitur minus qua-

Sed] Ex Cod. Maius *set.*

barbaros] Haud scio an intelligendi sint sacerdotes aegyptii (de quibus fortasse in lacuna locutus erat Cicero) quos de mundo disputantes audiit Solo, uti narrat Plato in Timaeo; immo quos ipse Plato audiit, teste Cicerone de fin. V, 29, quique ab eo (et a Val. M. VIII, 7 ext. 3, ubi de Platone Aegyptum perlustrante) diserte *barbari* appellantur. Sed certe hinc cognoscimus Scipionis praecedentibus paginis disputationem in eo fuisse versatam ut confirmaret, hominibus priscis et barbaris placuisse genus reip. regium. Fortasse autem Cicero respexit Euripidem Iph. in Aul. 1402 et Aristotel. reip. I, 2. III, 14, apud quos *barbari* dicuntur natura servi. Aegyptii numquam sine rege esse potuerunt, ut Eusebii chronicon docet. Immo idem Eusebii chronicon, et Herodotus II, 144 ac Diodorus I, 23. 26. 43 tradunt deos in Aegypto, ante homines ipsos reges, regnum tenuisse. De his apte locutus videtur in lacuna Scipio, qui nuper in Aegypto fuerat. Confer etiam Minucium cap. V fin. Graecia item antiquissima sub regibus tota fuit, ut ait Dionysius V, 74; immo orbis universus, uti observat Iustinus I, 1. Ipse Cicero leg. III, 2 (quo loco libros suos de rep. memorat) ait: *omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt.* Maivs ed. alt.

inquit] Ex Cod. Maius *inquid.*

Videsne igitur etc.] Quum h. l. verbum *esse* non significationem existendi habere potiusque cum Mosero dicendum videatur, dictum esse pro „videsne minus quadringentos annos esse, ut i. e. ex quo haec urbs sine regibus sit", attractio statuenda est, cuius plane similem non novi. De genere autem universe bene disputavit Krüger Ueber die Attraktion §. 58 (coll. Stuerenburg ad Cic. pr. Arch. p. 82). Sed nullum praeterea exemplum exstat, ubi attractio etiam ad orationem obliquam, quam dicunt, pertineat; orationis directae forma attractionis est: *minus annos quadringentos est, ut haec urbs sine regibus sit;* deinde Ciceronem parum curavit, apud quem haec attractio multo est frequentior, quam putatur, ut pro Deiot. II, 30: *Quis tuum patrem ante qui esset, quam cuius generis esset, audivit?* Pro Fontei. 13, 29: *qui uno cognomine declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset.* In Rull. 2, 21, 57: *quae est ista aequitas, ceteros, etiamsi privati sint, permittere, ut publici iudicentur; hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur,* ubi propter oppositionem priore quoque membro attractio facta est. Similis ratio est Tusc. I, 24, 56: *Sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere, unde conerета et quomodo facta sint: animum ipsum, si nihil esset in eo, nisi id, ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis* etc., ubi *animum* quoque ab eadem attractione pendet, qua praecedentes illi accusativi. V. Klotz. et Kuehner ed. 2 ad h. l. Cfr. Cael. Ep. ad fam. VIII, 10, 3. ad Att. XIV, 21, 2. Minus attractio agnoscitur, si casus attracti sunt nominativi; sed qui Latine sentit novitque periodorum Latinarum conformationem, in his quoque exemplis facile attractionem sentiet, ut quum Cicero dicit: *non queo vetera illa populi R. gaudia quanta fuerint iudicare.* Pone *laetitiae* vocabulum et habes attractionem, ut *non queo veteres illas populi R. laetitias, quantae fuerint, iudicare;* topicae enim legi-

dringentorum annorum esse hanc urbem, ut sine regibus sit? L. Vero minus. S. Quid ergo? haec quadringentorum annorum aetas, ut urbis et civitatis, num

bus, quam dicunt, agnoscitur attractio, quae si tollitur, scribit Cicero „non queo iudicare, quanta illa vetera gaudia fuerint.“ Vid. pro Cluent. 30, 81: *Versatam esse in iudicio pecuniam constat; ea quaeritur unde profecta sit.* Tusc. III, 2, 4: *Qua caecitate homines, quum quaedam etiam praeclara cuperent eaque nescirent nec ubi, nec qualia essent.* Orat. §. 203: *si numerus orationis quaeritur qui sit.* Off. I, §. 32. Ab his autem locis proficiscendum est, si originem huius attractionis recte invenire velis; vis enim rhetorica in causa fuit, ut substantivi casus a verbo sentiendi attraheretur; multo enim maior vis est orationis, quum dico „novi te, quam tardus sis“, quam quum dico „novi, quam tu tardus sis“, quae orationis forma quum non solum apud Graecos, sed etiam apud Hebraeos (vide Gesenii Hebr. Lesebuch eiusque Grammat. Hebr.) recentioresque populos, inprimis apud Gallos tam sit frequens, ut fere quotidie audiatur, non est quod vel Graecismum vel etiam Hebraeismum dicas, quum omnium linguarum sit communis forma dicendi, cuius causa, ut dixi, est vis rhetorica, quae cum topica, quae dicitur, coniungitur, quae ubi cessat, vulgaris ratio verborum ordinis praefertur vulgarisque constructio. Est haec constructio grammatica ex iis, quarum origo magis sentiri quam verbis reddi potest, ad quam rem grammatici vel parum vel plane non attenderunt, neque ii, qui Latine scribendi artes composuerunt. Attractionis autem leges quamquam maximam partem sunt nunc notae, tamen principia seu fundamenta, quibus nititur, a nullodum satis sunt exposita, neque a Kruegero l. c. neque ab Handio Lehrb. d. Lat. Stils p. 381 seq. qui tamen omnino multo rectius ea de re egit quam Kruegerus. Ab eadem attractione non dubium est quin proficiscantur exempla, qualia sunt pro Sext. 64, 135: *Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat* etc. Liberiora sunt illa pro Planc. 21, 52: *culpa quam tu veneris, ne a te suscepta videatur.* De imper. Cn. Pomp. 12, 34: *haec qua celeritate gesta sint, praetereunda non sunt.* Cfr. in Rull. 2, §. 101. de orat. II. §. 243. Orat. §. 68. de Nat. deor. II, §. 71. de off. III, §. 104. Lael. §. 56, ubi v. Beier. Simile est ad Quir. post red. 2, 5. Huc quoque pertinent exempla, in quibus non a verbo sentiendi pendet attractio, ut *efficio te, ut possis.* V. de divin. II, §. 80. Mil. 35, 95. Otto.

ut sine regibus sit] Hoc loco in margine codicis litteris antiquis, sed inclinatis et valde informioribus scribuntur verba EXCLVSO TARQVINIO. Revera Tarquinius exclusus fuit desinente olympiade LXVII, vel initio sequentis, nempe circa annum urbis conditae CCLIV; disputabatur autem de rep. anno DCXXV. Maivs. Habemus igitur in istis verbis adnotationis margini codicis a glossatore adiectae exemplum: quod si tenemus, ea facile emendandi ratio probabitur, qua passim in glossis nonnullis investigandis per hos libros usi sumus. Ceterum quantum ad illam temporum computationem iuvat Solinum Polyhist. c. 1. laudare, qui Tullio, ut et Pomponio Attico, Urbem ait conditam videri Olympiadis sextae anno tertio. — Cum usu temporali vocis *ut* Maius Ind. rerum p. 381 ed. alt. confert Ciceronis: *annus est, ut repulsam tulit.*

Vero minus] Cum Mosero Orell. et Zell. *vero, minus*, de qua interpunctione v. ad c. 43.

Quid ergo? haec] Ita ab Heinrichio inde ceteri omnes praeter Maium, qui ut olim ediderat, ita nunc quoque *Quid ergo haec* etc.

ut urbis et civitatis] Nempe pro eo longissimo temporis spatio,

valde longa est? *L.* Ista vero, inquit, adulta vixs. *S.* Ergo heis anneis quadringenteis Romae rexs erat? *L.* Et superbus quidem. | *S.* Quid supra? *L.* Iustis- p. 100
sumus; et deinceps retro usque ad Romulum, quei ab hoc tempore anno sexcentensumo rexs erat. *S.* Ergo ne iste quidem pervetus? *L.* Minume, ac prope senescente iam Graecia. *S.* Cedo, num, Scipio, barbarorum Romulus rex fuit? *L.* Sei, ut Graecei dicunt, omneis

quo urbes manere solent. Sic merito intellexerunt viri clariss. Leopardus et Creuzerus. MAIVS ed. alt.

Ista] Cod. 1 manu *ea*; 2 *ista*. MAIVS.

inquit] Maius ex Cod. *inquid*.

vixs] Vulgo *vix*, et mox *rex*.

quadringenteis] Pessime Schützius *ante* addidit, a Mosero satis refutatus. Adde *anno* apud antiquiores passim ita dici, ut idem sit quod *anno abhinc*. V. Taubm. ad Plaut. Men. I, 3.

erat?] Maius, quem secutus est Nobbius, punctum pro interrogationis signo.

Iustissumus] Vulgo *iustissimus*.

sexcentensumo] Ita [*sescentesimo*] etiam inferius cap. XLVIII *sescentos* [h. e. in libri I fragmento ex Nonio, sub calcem huius libri posito] et lib. II, 10 *sescentis*: tum et palatinae membranae fragmentorum Tullii pro Fonteio cap. IV *sescentorum*; quae scriptura aliis quoque exemplis facile confirmatur. Sic etiamnum in superiore Italia loquitur vulgus. MAIVS ed. alt. Adde quod simile est *Xerses* pro *Xerxes* III, 9, ubi vide not. et Kritz. ad Vell. Pat. II, 33, 4, et quod vulgo receptum *sestertia*, etsi *sextertia* Cod. Vat. in Maii Iure anteiust. p. 46 offert. Cf. Drak. ad Liv. T. I. p. 671 b. *Sestium* pro *Sextio* infra Cod. II, 36. Ad locum or. pro Fonteio Niebuhrius p. 62 adnotavit: „Membr. vitiose *sescentorum*, ut apud Gruterum DXVI, 5 *sestus*: sic ubique vulgaris linguae rudimenta in antiquitatis monumentis conspicimus", quum antea in Consp. orthogr. p. 356 *sescenta* genuinum fortasse esse iudicaverat. At quae eius generis vestigia in codicibus antiquorum scriptorum leguntur, ea recentiorum studio, asperiorem litterae *x* sonum emolliendi, praesertim sequente consonante, deberi, nulla est dubitatio. Hinc talia haud rara scripturae exempla prodierunt, quale est *esterius* in Gargilii cod. antiquo in Maii Auct. cl. T. I. p. 395. Edd. *sexcentesimo*.

pervetus?] Maius hic punctum posuit.

minume] Vulgo *minime*.

Scipio] Vox *Scipio* (nominativo, ut arbitror, casu) interposita fuit secunda manu. Utrum autem a Cicerone ipso sit, an potius glossa quaedam, non definio. MAIVS ed. alt. Vocem intellecto *inquit* defenderunt Heinr. et Moser. et retinuerunt reliqui praeter Schütz. et Lehnerum et Villem. Wolffius transponendo *Cedo, Scipio, num* loco succurrere studuit, ac sane non sine offensione est nomen loquentis proprium omisso *inquit* sermoni in altero orationis membro interpositum, quum id primo inserendum fuisset, nisi id hoc habet excusationis, quod prius membrum uno tantum verbo constat. Mihi cum Maio ex glossa ortum videtur.

Sei, ut] Heinr. *sicut*, vulgatam ullo constructionis genere defendi posse negans: qua de re infra videbimus. Franckius: *Si, ut Graeci*

aut Graios esse aut barbaros, vereor ne barbarorum rex fuerit; sein id nomen moribus dandum est, non
p. 153 lingueis, non Graecos minus | barbaros, quam Roma-

dicunt, omnes aut Graios esse aut barbaros, vere sane barbarorum rex fuit, Orellio Anal. T. IV, 2. p. 594 recte negante *vere sane* pro simplice *sane* dici, contra duarum hic constructionum confusionem agnoscente, quam melius attractionem appellavit Steinackerus et qui hunc secutus est Beierus Paedag. philol. Littbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 190. Rem planissime expedivit Otto his ad me scriptis: „Si attractionem accipias *si, ut Graeci dicunt, omnes aut Graii sunt, aut barbari, vereor* etc. ortam a verbo sentiendi parentheseos, nihil prorsus nec emendatione eget locus, nec tam difficilis est quam videtur. Atqui quum haec attractio a Graecis fortasse petita Tulliana quoque sit, cuius rationem optime exposuit Kruegerus Ueber die Attraktion §. 164 coll. Reisigio Gramm. Lai. §. 482 cum not. Haasii, ubi Reisigius et ante eum Kruegerus §. 166. nostrum quoque locum eodem modo tractasse video, postquam diu in eadem fui sententia, iam mihi nihil aliud agendum restat, quam ut omnes tecum locos communicem, quos novi, quoniam ille viri docti rationem magis illustrarunt, quam exempla collegerunt Latina. Iis igitur, quae notarunt alii, addo Doederlein. in Miscell. crit. in Mus. Rhen. 1829. I. p. 20, in Synon. Lat. Vol. I. p. 170. Buschii Observ. ad Eurip. Phoen. 1836. p. 36. Ciceroniana exempla sunt haec: de N. D. II, 37 ibiq. Heind. Off. I, 7, 23. Beier. de Or. III, 1, 3. Brut. 31, 121. Off. III, §. 110: *nam quod aiunt* etc. Adde Varro de re rust. II, 10. p. 198 ed. Bip. *ut te audii dicere* etc. Columell. IX, 2, 3: *ut Euhemerus* etc. Similia, sed non eadem sunt de off. I, 10, 33, v. Krueger §. 166. de divin. I, §. 74: *ut ait Callisth.* Varro de re rust. I, 7, p. 105: *ut scribit Theoph.* Doederlinus autem in Mus. Rhen. l. c. erravit, quum Tacit. Ann, XVI, 1 hac figura usum putat in verbis *ut coniectura demonstrat* etc., quoniam haec ad indirectam orationem pertinent, quod vidit Ernest., quum scribi vellet *demonstraret*, nisi rectius scribatur *demonstret*. Plutarchi locum in vit. Demosth. cap. 19 examinare non possum, sed ex optimis libris ap. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 55, quem locum olim mihi notavi, legendum videtur *ταῦτα καταριθμησάμενος, ὡς ἀκούω, μέλλειν* (*μέλλει* vulg. ap. Bekk.) *με ἐπερωτᾶν*. Adde locum Schol. in Cic. or. in Clodium 3, 3 Beiero l. c. laudatum: *plures quidem de pecuniis repetundis accusaverant; sed ut scimus ipsum* (Ciceronem accusasse) *C. Verrem*, ubi scribendum fuerat secundum vulgarem dicendi formam *ipse accusaverat*.“ Eandem nostri loci explicationem amplexus est Moserus Schulzeitung 1829 p. 439.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*. Ceteri *omnes*.

Graios] Ita Cod. 2 m.; 1 *Graecos*. Otto: „Forma antiqua ac poetica *Graii* in sollemni tantum oratione reperitur. V. de inv. II, §. 69. Cfr. infra III, §. 14. Somn. §. 16. de N. D. III, §. 53. de div. I, §. 37. 82. ad Q. Fr. II, 12, 4. Cf. Doederl. Synon. Vol. V. p. 304. Differentiam tamen nullam agnosco.“ Adde Ovid. Fast. I, 331.

barbarorum] Confer Euseb. praep. ev. I, 2. Maivs ed. alt.

fuerit] Ita cod. *fuit* pro *fuerit*; satis improbabiliter. Quamquam poetae certe *ne* construunt cum imperativo. Maivs ed. alt. De vitii origine v. Heinr., a quo inde reliquis editoribus quod grammatica postulavit receptum fuit. Neque aliter iudicavit Censor Ienensis 1823. No. 34. p. 272, neque Moserus Schulzeitung 1829. p. 439.

moribus dandum est, non lingueis] Dionys. Hal. Antiq. Epitom. p. 34 ed. Maii: *Τὸ γὰρ Ἑλληνικὸν οὐκ ὀνόματι διαφέρειν τοῦ Βαρβάρου*

nos puto. Et Scipio: Atquei ad hoc, de quo agitur, non quaerimus gentem, ingenia quaerimus. Sei enim et prudentes homines et non veteres reges habere voluerunt, utor neque perantiqueis neque inhumaneis ac fereis testibus.

XXXVIII. 59. Tum Laelius: Video te, Scipio, testimonieis satis instructum: sed apud me, ut apud bonum iudicem, argumenta plus quam testes valent.| p. 154 Tum Scipio: Vtere igitur argumento, Laelei, tute ipse sensus tuei. Quoius, inquit ille, sensus? *S.* Sei quando, sei forte tibei visus es irascei aliquoi. *L.* Ego vero saepius quam vellem. *S.* „Quid? tum, quom

ἧττον, οὐδὲ διαλέκτου χάριν, ἀλλὰ συνέσει καὶ χρηστῶν ἐπιτηδευμάτων προαιρέσει, μάλιστα δὲ τῷ μηδενὶ τῶν ὑπὲρ ἀνθρωπίνην φύσιν ἀλλήλους παρανομεῖν. Ὅσοις μὲν οὖν τὰ ἐπιπλεῖον ὑπῆρξαν ἐν τῇ φύσει, τούτους οἶμαι δεῖν λέγειν Ἕλληνας· ὅσοις δὲ τἀναντία, βαρβάρους. · Καὶ τὰς μὲν ἐπιεικεῖς καὶ φιλανθρώπους διανοίας τε καὶ πράξεις αὐτῶν ἑλληνικὰς εἶναι λογίζομαι· τὰς δ' ὠμὰς καὶ θηριώδεις, ἄλλως τε κἂν περὶ συγγενεῖς τε καὶ φίλους γίνωνται, βαρβαρικάς. De origine vocis v. Goeller. in Thiersch. Act. II, 2. p. 208 seq.

quam Romanos puto] Romanos priscos contra Graecorum calumnias negat fuisse barbaros Dionysius I, 4. 5. 90. IV, 26. VII, 70. 72. Confer etiam partem commentarii ad Dionysium auctore Kanabutio a me editam in praef. ad tom. II. coll. vat. Lege praeterea Catonem apud Plinium XXIX, 1. Graecos Cicero pro Flacco XI haud minore severitate damnat. Maivs ed. alt.

Atquei] Ex Cod. Maius *adqui*.

sed] Ex Cod. Maius *set*, ut etiam mox *aput*.

Quoius] Vulgo *cuius*.

Sei quando, sei forte] Proclive est eiicere alterutrum, vel *si quando* vel *si forte*. Posterius eiecit Steinack. [quem secutus est Nobbius], ego prius abiectum malebam vel deletum alterum *si*. Nunc nihil muto. Sentio enim cum Cr., qui humanitatis vel urbanitatis esse me monuit additum illud *si forte*. Laelius enim cum propter animi continentiam et moderationem Sapiens fuerit cognominatus, ita eum interrogat Scipio, ut ipse memor illius continentiae esse videatur: *si quando tibi visus es irasci alicui: quod an unquam factum sit, ipse noveris: sed si forte factum est, quaero ex te* etc. Igitur parentheseos signis, non uncinis, coercui illas voces, quas eodem fere modo intellexerunt Censor Ienensis 1823. 34 et Lehnerus. Moserus. Maius *ecquando forte* malebat. Parentheseos signis, appositis etiam ab Orell. et Zellio et Censore Ienensi l., quem tamen a Zellio suspicor diversum non esse, abstinui cum Heinrichio. Est enim gradatio a maiore ad minus. Ottoni *si forte* delendum ut glossema videbatur, coll. §. 65 et ad fam. II, 3, 1.

aliquoi] Vulgo *alicui*.

tum, quom] Legitur *tum cum* etiam infra III, 31. Cl. Oriolius interpungebat *quid tum? cum*. Maivs ed. alt. Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*. Item mox.

„tu es iratus, permittis illei iracundiae dominatum „animei tuei?“ *L.* Non, mehercule, inquit: „sed imi„tor Archytam illum Tarentinum, quei, quom ad vil„lam venisset, et omnia aliter offendisset ac iusserat“,
p. 265 te te in|felicem, inquit vilico, quem necassem iam verberibus, nisei iratus essem. 60. Optume, inquit Sci-

animei tuei] Locum citat ex I de rep. Nonius voc. *dominatio* et *dominatus*. Maivs. Posteriore loco omittitur *ut*.

ac iusserat] Locum citat Nonius voc. *offendere* ex II de rep. Occurrit autem id mendum II pro I in codicibus etiam Nonii vaticanis. Maivs.

te te infelicem] Alterum *te* additum fuit secunda manu; auget autem minarum emphasim. Prima manus scripserat *a te*. Ambrosius [de off. I, 21] habet *o te infelicem*. Lactantius [de ira dei c. 18] *miserum te*. Differt autem a Tullio Ambrosius in posterioribus, Lactantius in prioribus. Lactantius certe et Hieronymus [Ep. 79, 9] videntur ipsum Tullii politicum locum exscribere. Maivs. *Te, te infelicem* scripsi cum Steinack. [ita Nobb. et Orell.]. Heinr. [hunc sequitur Zell.] dedit coniunctim *tete*, de qua scriptione v. Ruddimann. Inst. gramm. Lat. I. p. 203. Sch. alterum *te* omisit, seque cum Ambrosio facere ait, qui tamen scripsit *o te infelicem*. Reliqui cum Maio ediderunt *te te*. Moserus. Wolffius vult *o te infelicem*, ut Lehner. quoque, probatum nuper Stuerenburgio in novissima Officiorum editione ad III, 18, 74. p. 169. vel *ah te infelicem*. Geminatum *vos vos* exstat ap. Plaut. Capt. prol. 3, ubi tamen sunt qui invitis libris legant *hoc vos*.

inquit] Ex Cod. Maius *inquid*.

vilico] Ita cod. cum unica *l*, quae prisca et recta huius vocabuli scriptura est; licet *villa* ab antiquis scribatur cum duabus *l*. Maivs. Eadem scriptura c. 39 et ternis locis V, 3. Ceteri praeter Steinack. *villico*, quam scribendi rationem tueri posse sibi videtur Moserus uno allato Harlesio ad Cellar. Orthogr. Lat. T. I. p. 382, ubi leguntur: „VILLICVS duplici *LL*, plurimi libri et lapides; etsi quidem lapides unica *L*. vide eosdem.“ At vide nobis monita in Ephem. litt. Hal. 1827. No. 69. p. 547. et Wunder. ad or. pr. Planc. p. 168 sq. Ex titulis adde VILICA in Annal. Vindob. 1829. Vol. XLVI. Notit. p. 47 et quae suppeditant Fabrettus De aquaeduct. Rom. p. 95 et Forcell. h. v., cui formam feminini nunc demum repertam adiice. Audiamus denique Maium ad or. pro Tull. c. 8 haec adnotantem in Auct. cl. T. II. p. 338: „Ita cod. *vilicum* cum una *l*, quod et ipse vidi in aliis antiquis codicibus, et Garatonius ad Plancianam c. XXV magnopere probat. Inferius tamen cap. IX legitur *villam*, non *vilam*, etsi et *vilam* antiquum dicit Garatonius; quod ego tamen legere me non memini.“ Igitur servavi interim *villa*, etsi antiquissimo tempore, licet fortasse ex *vicula* contractum, de more tum recepto *vila* (ut *ole*) scriptum videatur, ex qua scriptura permansit immutatum *vilicus*. Praeterea hoc loco notandus est *vilico* dativus, praeter usum vulgarem ab *inquit* pendens: v. tamen Ep. ad Att. V, 1 et Catull. 10, 27. Erat quum scribendum putarem *vilice*.

nisei iratus essem] Sic Cicero etiam tusc. IV, 36: *ex quo illud laudatur Archytae, qui cum vilico factus esset iratior, quo te modo inquit accepissem, nisi iratus essem!* Idem de Archyta narrant Val. Max. IV, 1 ext. 1; Lactantius de ira D. XVIII; Ambrosius de off. I, 21;

pio. **Ergo Archytas iracundiam, videlicet dissidentem a ratione, seditionem quandam animei vere ducebat; eam consilio sedarei volebat. Adde avaritiam, adde**

Hieronymus ep. LXXIX, 9; Plutarchus de lib. educ. t. VI. p. 34 et de sera num. vind. t. VIII. p. 178: Iamblichus vit. Pyth. cap. XXXI. Archytae erga famulos humanitatem docet nos Athenaeus XII, 3. Mirum est quod Archytae illud dictum Platoni quoque tribuitur apud Plutarchum praedictis in locis et apud vaticanum a me partim editum florilegium cod. pag. 109 b; Charilo autem regi Plutarch. t. VI. aph. reg. p. 718 et lac. p. 865; Cliniae apud praedictum Iamblichum; Pythagorae apud Laertium VIII, 20; Socrati apud Senecam de ira I, 15; anonymo denique veteri apud Photium epist. I. p. 38. Merito autem Cicero in politico opere exemplum Archytae profert, cuius hominis politica munera scribit Suidas; quique *πολιτικὸς ἅμα καὶ φιλόσοφος* dicitur Athenaeo loco praedicto, Maivs ed. alt.

Optume] Vulgo *optime*.

ratione,] Ita interpungitur in codice post *ratione*. Maivs ed. alt.

animei vere] Cod. 1 manu *ab animo reducebat*; tum 2 manu superpositum *mi* et *ve*, deletumque *ab*. Ego in principe editione scripseram *movere*, retento *mo*. Nunc ab aliis editoribus scribi video *vere*; quod etsi non magis placet, tamen a codicis secunda lectione non recedit. Maivs ed. alt. Locum restituit Reisigius, cuius lectionem praeter ipsum Maium quamvis adhuc tergiversantem probarunt Nobb. Orell. (hic tamen loco iterum considerato Anal. T. IV, 2. p. 595 legi vult *seditionem quandam ab animo irae ducebat*, de quorum verborum perplexa explicatione ipse videat) et Zell. susceperunt, in Editione horum de rep. fragmentorum Halensi p. 361 sic sententiam suam exponens: „Maii ratio duobus offendit generibus. Primum enim illo pacto nihil est praecipui in sententia, quae tamen tanquam singularis Archytae nominatim tribuitur. Deinde loquutio corrupta: neque enim latine dicitur *hanc rem veram esse duco*, sed *hanc rem veram duco*; quoniam *duco* non asciscit infinitivum: quo quidem in genere identidem est peccatum et aliis etiam in locis menda corrigenda sunt. [De N. D. I, 10: *qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt*, quum *esse* absit a Glog., facile patet, librarium *duxerunt* scribere voluisse vel debuisse. Contra, pessime resistente Orellio, in eiusdem libri de N. D. c. 21, 57 recte repositum ex Codd., quibus accedit auctoritas Monacensis ab Orellio plane neglecti apud Wirth. in Thiersch. Act. phil. Mon. II, 2. p. 309, *qualem deorum naturam esse dicam*, ubi antea *ducam*. Eorundem verborum confusio, ut hoc obiter adiiciam, ibidem infra recurrit c. 40, 113, ubi quod optime Heindorfius e Codd. reposuit *dicis*, cuius loco Orellius *ducis* retinet, confirmatur eodem Monacensi ap. Wirth l. l. At vero exstat sine lectionis varietate, quantum sciam, apud Cic. de orat. II, 5, 21: *ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus*: tum supra c. 2, ubi v. Creuz.] Quam ob rem statuendum est Maium perperam composuisse veteris scripturae reliquias, veramque rationem hanc esse, ut *mi* correctio mendosae *mo* syllabae habeatur atque oratio restituatur haec: *iracundiam — seditionem quandam animi vere ducebat*. Itaque etiam sententiae Archytae insignior redditur et exquisitior." Vides non mutatione, sed iusta scripturae explicatione ad locum persanandum opus fuisse. Heinr. *animi ducebat*. Steinack. Schütz. et Lehn. principis ed. lectionem expresserunt.

eam] Ita cod. sine copula *et*, quae non raro desideratur in ve-

imperei, adde gloriae cupiditatem, adde lubidines; et illud vides, in animeis hominum regale sei imperium sit, unius fore dominatum, consilei scilicet: ea est enim
p. 266 animei pars op|tuma: consilio autem dominante, nullum esse lubidinibus, nullum irae, nullum temeritatei locum. *L.* Seic, inquit, est. *S.* Probas igitur animum ita affectum? *L.* Nihil vero, inquit, magis. *S.* „Ergo non probares, sei consilio pulso lubidines, quae

tustioribus codicibus. Maivs ed. alt. Quod in vulgata inesse dicitur asyndeton quodque sibi placere Orellius ait, Nobbius intactum reliquit, tantum abfuit ut in tranquilla hac et fluenti, ut inquit, oratione ferendum Heinrichius censeret, ut omnino vera in Cicerone asyndeta, nisi in commotiore oratione reperiri negaret. Quae sane siquidem universe accipiuntur, facile concedo, non item quod locus scribendo *et eam* sanetur, quod receperunt praepropere et Moserus et Zellius. Si enim copula addenda fuit, persuasum mihi quidem habeo, ne elumbis existeret oratio, *eamque* scribendum fuisse, in quod et Wolffium incidisse video; quae corrigendi ratio lenissima videbitur recordanti, *que* iam in hoc genere librorum scriptorum simplice littera *Q* exarari solitum esse. Nihil tamen muto: etenim non tam asyndeton agnosco, quam eam orationis formam laxiorem, qua pro constructione relativa (et erat quum legendum suspicarer *quam*) directa ponitur, veluti quum legitur in Ep. ad Atticum: *venit mihi obviam puer tuus; is mihi litteras abs te reddidit.* Quae dicendi ratio stilo epistolari maxime convenit.

lubidines] Cod. hic et alibi 1 manu *lividines*; 2 *libidines*. Maivs. Edd. cum Maio *libidines*, ut mox *libidinibus*.

vides etc.] Cod. *videst in animis hominum regale si imperium sit.* Maivs, qui hinc in ed. pr. susceperat *videre est*, reliquis retentis, Heinrichii, vel potius suam ipsius (in Additam.) lectionem Steinack. Mosero, Nobbio et Zellio probatam, *vide si*, omisso altero *si*, et *sit* addito post *imperium* nunc amplexus. Similiter Wolffius *vide, si in an. h. regale sit imperium, id unius* etc. obloquente recte Beiero Päd. phil. Littbl. 1826. Sect. No. 22. p. 190. At praestat, ipsa particulae *si* cum vi post *regale* positae sede suadente, legere quod reposuimus, repertum et probatum a Creuzero, Censore Gottingensi, Frotschero Observ. in Quintil. p. 31, Beiero. Otto laudato Madvigio ad Fin. p. 729 conferri iubet infra c. 40 *etiam illud vides.*

optuma] Vulgo *optima.*

inquit] Ex Cod. Maius *inquid.*

igitur] Cod. *inquit*; mox deletum *inquit*, et superpositum *igitur.* Maivs.

Ergo non probares] Post *non* vulgo additur *profecto*, in Cod. quidem expunctum, sed immerito, teste Maio, cui adstipulati sunt editores ad unum omnes. Nos vero delevimus non solum ob ipsius Codicis auctoritatem, sed quod a Nonio, qui v. *anima* nostrum locum exscripsit, item abest, quod nemodum animadvertit, licet a principe editore inde grammatici locus cum nostro collatus fuerit. Solus Moserus *profecto* in Edd. Fragm. Cic. omitti adnotavit, quod non negligendum fuerat. Neque casu fortasse *profecto* ex Nonii exemplaribus excidit. Abest enim a codd. nuper adhibitis, atque etiam a Scholiis MS. Plauti Amph. in cod.

„sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent omnia. *L.* Ego „vero nihil isto animo, nihil ita animato homine | mi- p. 267 „serius ducerem.“ *S.* Sub regno igitur tibei esse placet omneis animei parteis, et eas regei consilio. *L.* Mihei vero seic placet. *S.* Cur igitur dubitas, quid de re publica sentias? in qua, sei in plureis translata res sit, intelligei iam licet, nullum fore, quod praesit, imperium; quod quidem, nisei unum sit, esse nullum potest.

XXXIX. 61. Tum Laelius: Quid quaeso interest inter unum et plureis, sei iustitia est in pluribus? Et Scipio: | Quoniam testibus meeis intellexsei, Laelei, te p. 268 non valde moverei, non desinam te utei teste, ut hoc, quod dico, probem. Me, inquit ille, quonam modo? *S.* Quia animum advertei, nuper quom essemus in Formiano, te familiae valde interdicere, ut unei dicto audiens esset. *L.* Quippe vilico. *S.* Quid domui? pluresne praesunt negotieis tueis? *L.* Immo vero unus, inquit. *S.* Quid? totam domum num quis alter praeter te regit? *L.* Minume vero. *S.* Quein tu igitur

Italo olim a me perlustratis, in quibus quum alia multa ex Nonio excerpta leguntur, tum etiam ille ipse Ciceronis noster locus.

sei] Omittitur in Schol. Plautino l., sicuti in ceteris Nonii codd.

pulso] In Fragmm. Cic. Patricius *pulsas*. Continuo vulgo *libidines*.

iracundiaeve etc.] Idem *iracundias, quae terrent omnia;* alii *iracundiae, quae tenerent omnia*. In mendosa hac Nonii lectione, a Scholiasta Plautino l. servata, latet *iracundiaeque*, ut in Nonio, quamvis vitiose, pro *iracundiaeve* olim scriptum fuit.

nihil isto animo] Absunt a Schol. Plaut. l.

omneis] Maius ex Cod. *omnis*, quod repetiit Steinack. Ceteri *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*. Mox vulgo *partes* et bis *plures*, quod eadem de caussa correximus.

quaeso] Cod. *quasi*.

in pluribus] Cod. *omnium in pluribus*; sed mox *omnium* expunctum. Maivs. Latere olim Mosero videbatur in voce expuncta obliteratum *omnino*.

quonam] Cod. *quoniam*, unde Krarup. p. 24 haud male *quo iam*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

vilico] Ita ex Cod. Maius. Ceteri omnes praeter Steinack. *villico*. V. ad c. 38. Ceterum Orellius distinxit *Quippe; villico*. Mox vulgo *domi*, et *minime*.

p. 159 con|cedis idem in re publica, singulorum dominatus, sei modo iustei sint, esse optumos? *L.* Adducor igitur, ut propemodum adsentiar.

XL. 62. Et Scipio: Tum magis adsentiare, Laelei, sei, ut omittam similitudines, unei gubernatorei, unei medico, sei dignei modo sint eis artibus, rectius esse, alterei navem committere, aegrum alterei, quam multeis, ad maiora pervenero. *L.* Quaenam ista sunt?

p. 160 *S.* Quid? tu non vides, unius inpor|tunitate et superbia Tarquinei nomen huic populo in odium venisse

idem] Heinr. *item*, solis Zellio et Orellio Anal. T. IV, 2. p. 595 probantibus. Male post *idem* interpunxit Moserus.

optumos] Vulgo *optimos*.

igitur] Ita Cod. Melius fortasse scriberetur *inquit* quam *igitur*. Sane superius p. 99 v. ult. librarius mutavit *inquit* in *igitur*. Maivs. *Inquit* probarunt Heinr. Sch. et Orellius, etsi hic in textum non suscepit, a tanta licentia recte sibi cavens. Brevitati enim *igitur* eleganter inservire bene monuit Steinack. Ind. Lat. p. 162, quum latius dicendum fuisset: Ratio cogit ut haec probabiliter a te disputari videantur; itaque adducor, paene invitus etc.; ut olim dixi in Seebodii Krit. Bibl. 1828. No. 73. p. 581, monueratque antea Beierus in Päd. phil. Litbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 191.

ut propemodum adsentiar] Cod. *et propemodum adsentior*, quod plurimi cum Maio servarunt. Heinr. *propemodum, ut assentiar*, quod uni Orellio placuit. Leniorem suscepi emendandi rationem a Krarupio et Wolffio repertam, etiam Ottoni laudatam atque insuper Augustini, quem affert, loco simili sustentatam, Soliloq. I, 5: *adducorque ut assentiar*. Comprobavit Handius quoque Turscll. T. III. p. 188. Leniorem quum dico hanc mutationem, in mente est, etiam alibi *et* et *ut* a librario nostro confusa esse, veluti supra c. 14 et 35: quo *et* semel illato, nil mirum pro *adsentiar* scriptum esse *adsentior*; nam falsum est quod Heinrichius, hanc ob caussam castigatus a Mosero Schulzeitung 1829. No. 53. p. 439, et cum eo Censor Lipsiensis narrant, *adsentiar* in Cod. legi. Ut vero a Codicis scriptura recesserim, eo maxime adductus sum, quod *adducei* ita simpliciter dictum certe non Ciceronianum est; additur enim adstructis *ut* vel *ad* id, ad quod aliquis adducatur. Ceterum tantum non omnes editores *ass.*, non *ads.* ut in Cod.

adsentiare] Cod. *adsentiar*. Malet fortasse aliquis *adsentiere*. Maivs. Hoc arripuerunt et Orellius et Moserus. Plurimi *ass.*

similitudines] Ita cod. 2 manu; at 1 *similitudinis*. Maivs ed. alt. Hoc idem prius ediderat, nulli probatum.

unei medico] Gubernatoris medicique similitudinibus varie multumque utitur Plato in politico, in rep. et in leg. Sic et Horatius ep. IV, 7. X, 2. Hieronymus epist. CXXV, 15. Maivs ed. alt.

inportunitate] Ab Heinrichio inde editum *imp.*

huic] Olim sine dubio scribebatur *hueic*: sed quoniam id pronomen numquam aliter quam una syllaba pronuntiatum fuisse videtur, potest primitiva scriptura propter diphthongi naturam mature relicta esse: quare tutius visum *huic* immutatum relinquere.

regium? *L.* Video vero, inquit. *S.* Ergo etiam illud vides, quo progrediente oratione multa me dicturum puto, Tarquinio exsacto, mira quadam exsultasse populum insolentia libertatis: tum exactei in exsilium in-

illud] Ex Cod. Maius *illut.*

multa] Ita [*futura*] cod. 2 manu, quum 1 fuisset *vita.* Atqui utrumque omitti potuit. Maivs ed. alt. Explorata iterum, ut videtur, et accuratius Codicis scriptura nunc tandem quid re vera Codex ferat liquet, quod culpa Maii incredibili, ob quam iure Heinrichio poenas dedit, ignorabatur. Itaque nunc plane abiiciendum quod olim Maius edidit *ventura*, cuius loco in Add. malebat *futura*, et quaecunque virorum doctorum commenta lectione ea nituntur, ut *venturum* a Mosero fictum atque omissa voce *dicturum* ab eo adeo, quod pro modestia eius mirandum, et a Nobb. in contextum receptum, vel si qui *ventura* ut vocis *progrediente* glossam plane delerunt, ut Steinack. et Schütz., ideo iam refellendi, quod in plana voce *progrediente* nullus omnino glossae locus fuisset. Cum Censore Ienensi 1823. No. 34. p. 272) Lehn. *iterum*, merito repudiatum ab Heinrichio, qui quum in contextu *futuro* asterisco apposito scripsisset, nunc secundis curis Creuzeri coniecturam *ultra* suam fecit ac quoniam *ultra dicere* a Latinorum consuetudine dicendi abhorreret ita transposuit, ut scriberetur *progrediente ultra oratione me dicturum puto*, haud improbante Mosero Schulzeitung 1829. No. 53. p. 439. Sed licet lectionem hanc auctor acutissimus, qua sibi mirifice placet confidentia, unice veram esse contenderit, vereor ne quod adversus Creuzeri commentum monuit, in ipsum vertendum sit. Nam ut recte *progredi ultra orationem* Latine dicatur, si ultra quo quis progrediatur, aut verbis adiectum est, aut ex contextu intelligitur, hoc loco quum quo progredi possit oratio, nisi ultra fines iustos, obscurum sit, nihil ista phrasi alienius videtur. Conferri possunt ex II, 16: *si progredientem rem publicam — videris.* Neque aliter Graeci, quibus familiare est προιόντι τῷ λόγῳ, Hippocrat. de diaeta I. p. 10 et p. 15 ed. Foes. Maximus Planud. in Boissonad. Anecd. Gr. T. II. p. 324, τοῦ λόγου προιόντος Galen. T. X. p. 35 ed. Kühn., ὡς προιὼν ὁ λόγος δηλώσει Nicomachus Harm. p. 8 ed. Meibom., συμπροιὼν λόγος Aristid. Quintil. de mus. p. 3 Meib. In Plat. Phileb. p. 19 HST. Fischerus olim ediderat ex Bas. 2 προιὼν δ' ἔτι ὁ λόγος σαφέστερον δείξει ubi nunc Bekk. reposuit προιὸν δ' ἔτι etc. Nihil in his et in similibus, ut in formula προιόντος τοῦ χρόνου, additur veluti πρόσω vel tale aliud. Sed in viam redeamus. Wolffius coni. *accuratius*, satis audacter; Krarup. p. 13 *mea*, lenius quidem, sed sensu otiosum. Zachariae l. l. p. 263 *satis.* Quod ego nunc recepi *multa*, in quod ipse multis abhinc annis incideram, debemus acumini Creuzeri (qui insuper etiam *plura* proposuerat) et Beieri Päd. phil. Littbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 191, etiam Orellio ita probatum, ut susceperit. Ottoni placet vel *alia multa*, vel *multa alia*, collato Goerenzio ad Fin. p. 190, in phrasi *multa alia* Ciceronis librarios passim turbas excitasse docente. *Multa alia*, de N. D. I, 12.

exsacto] Malet fortasse aliquis *excluso*, cuiusmodi est glossa p. 100 n.; praesertim quia mox heic repetitur *exacti.* Maivs ed. alt. Vulgo *exacto.*

exsultasse] Ita etiam Nobb. et Orell. Cum Maio ex Cod. ceteri *exultasse.*

insolentia] De h. l. vide Doederlein. Lat. Synon. Vol. IV. p. 182. Neque tamen praetermitte quae de hac ipsa voce copiosius disputavit nuper Iahn in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. No. 7. p. 92. Cf. etiam §. 65.

nocentes, tum bona direpta multorum, „tum annuei „consules, tum demissei populo fasces“, tum provoca-
p. 101 tiones omni|um rerum, tum secessio plebei, tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia. *L.* Est, inquit, ut dicis. Est vero, inquit Scipio, in pace et otio: licet enim lascivire, dum nihil metuas, ut in navei ac saepe etiam in morbo levei. „Sed ut

Otto. Doederleinius, cuius etiam confer Diss. de brachyologia sermonis Graeci et Lat. Erlangae 1831. p. 7, quum duplice sensu *insolentia* a Cicerone positum censet, me quidem non habet sibi assentientem, quandoquidem fieri non potest, ut duplex alicuius vocis significatio locum habeat, nisi si per ironiam ea dicatur, aut ambiguitatem sermonis scriptor de industria consectetur. Non habet ista vox alium hic sensum quam quo legitur loco simillimo Or. pro domo ad pontif. 55: *quamquam et insolentia dominatus extulerat animos et erat increaibili armatus audacia.*

exactei] Heinrich. *eiecti*, in vulgata haerens tum propter eiusdem vocis recursum, quam offensionem vanam esse docere possunt supra monita, insuper firmanda iis eiusdem vocis a Cicerone repetitae exemplis quae contulere Bremius ad Fin. I, 1. p. 6 et Heindorfius de N. D. I, 32. p. 89, coll. Div. in Caecil. I, 1, tum quod phrasis *exigi in exilium* altero exemplo indubitato apud Ciceronem destituatur. Sed hoc non tanti videtur, ut de mutanda Codicis scriptura serio cogitandum sit. Ad sententiam huius loci confer illa de orat. II, 48: *neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse.*

exsilium] Ex Cod. Maius, quem plurimi secuti sunt, *exilium*: illud Steinack. et Nobb.

annuei consules] Sigonius (vix aut ne vix quidem probante Patricio) in fragmentis editis perperam heic malebat amplificare *tum instituti annui consules*. Maivs ed. alt.

fasces] Locum ex I de rep. citat Nonius voc. *demittere*, quo loco male editiones habent *dimissi*; in plantiniano autem exemplari meo viri docti manu corrigitur *demissi*. Sed tamen mendum *dimissi* retinent constanter Nonii codices vaticani. Maivs ed. alt.

provocationes omnium rerum] De genitivi constructione adi. Moserum, de re Reinium Quaest. Tull. 1841. p. 6 seq.

secessio] Ita cod. 2 manu; at 1 *secessionem*. Maivs. Hinc optima fluxit coniectura Moseri *secessiones*, quam haesitavi annon, suadente Ottone quoque, in textum susciperem.

plebei] Cod. *plebie*, mox factum *plebi*; erat autem illa metathesis pro *plebei*. Iam *plebei* vel *plebi* secundo casu multis exemplis confirmatur, ut ambrosiano Tullii interprete; Tullio ipso ad fam. VII, 27. X, 16. Varrone LL. IV, 14. Gellio II, 11. IV, 18, ne plures auctores laudem. Denique utrum scribatur *ei* an *i* in eiusmodi terminationibus, parum referre ait Sextus emp. contra gramm. I, 9. Maivs. Hunc secutus sum cum Steinack. Sch. et Lehn. De forma recepta v. Excursum XIII. Contra *plebis* Heinrichio duce Moser. Nobb. Orell. et Zell.

„ille, quei navigat, quom subito mare coepit horre-
„scere“, et ille aeger, ingravescente morbo, unius
opem inplorat: sic noster populus in pace et domui
imperat et ipseis magistratibus | minatur, recusat, ap- p. 102
pellat, provocat; in bello seic paret, ut regei: valet
enim salus plus, quom lubido. Gravioribus vero bel-
leis etiam sine collega omne imperium nostrei penes
singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen vim
suae potestatis indicat. Nam dictator quidem ab eo
appellatur, quia dicitur: sed in nostreis libreis vides
eum, Laelei, magistrum populei appellarei. L. Videō,
inquit. Et Scipio: Sapienter igitur illei vete*res*

quom subito coepit mare horrescere] Cfr. pro Cluent. 49, 138 et vide quae ad cap. 2, 2 notavimus. Otto. Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

horrescere] Locum e I de rep. citat Nonius voc. *horrendum et horridum*. Maivs.

inplorat] Ita ex Cod. Maius: ceteri praeter Steinack. *implorat*.

domui] Ita 2 manu, at 1 *domo*. Maivs. Cod. *domo*. Num latet *domoi*, qua forma explicata est scriptura *ἀρχεγόνου domui*, quae et in optimis codd. reperitur et inprimis in antiquioribus Ciceronis scriptis, de qua egregie scripsit Klotzius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1835. No. 92. p. 739, cui adde haec: Cic. Tusc. I, 22, 51. pro Mil. 7, 16. de off. III, 26 extr. Rhet. ad Herenn. IV, 30, 41 et 54. 67. in Catil. II, 6, 13. ad Attic. XII, 16. *domui* solum in ed. vet. ad Attic. XII, 25, 2. Eadem forma restituenda est apud Sallust. Catil. c. 28, ubi est *de improviso domi suae*, sed quum cod. Paris. egregius habeat *domui*, *u* puncto not. et in Einsidl. supra lin. sit *domusue* i. e. *domui suae*, hanc ego formam veram esse censeo. Otto. Adde Garaton. ad Milonianam p. 176. ed. Orell., cuius lubet extrema verba adscribere, quoniam non huc tantum, sed ad permulta alia, de quibus in his nostris commentariis disputatur, quam maxime pertinent: „Sed quum Gellii temporibus, inquit, haec iam obsoleverint, emendatores exstiterant, qui omnia eiusmodi tollerent. Quid postea factum censemus? vestigia vix manent aliqua, obscura atque contempta.“ Supra c. 12 Cod. *domi*.

imperat et ipseis magistratibus] Ita distinxi cum Steinackero, hic et h. l. et post singula quatuor verba sequentia semicola posui. Reliqui editores iunxerunt *magistratibus minatur*; nobis concinnius loqui videbatur noster, dicens, *populus — et ipsis magistratibus imperat, quibus parere deberet*. Moservs. Res eo extra omnem dubitationem ponitur, quod, si vulgatam distinctionem sequimur, inserta copula asyndeta oratio turbatur.

lubido] Vulgo *libido*.

magistrum populei appellarei] Sic Cicero ait etiam leg. III, 3. fin. III, 22. Ergo propinquius videtur accersi vox dictator a *dictando*, quod facit magister, quam a *dicendo*. Maivs ed. alt. In hac etymologia Cicero erravit cum aliis, quorum testimonia Maius attulit ad verba *quia*

(Desiderantur paginae duae.)

p. 149 **XLI. 64. ***iusto quidem rege quom est populus orbatus, pectora diu tenet desiderium, sicut ait Q. Ennius, post optumei regis obitum; simul inter**

dicitur, deceptus a Varrone suo, quem in eiusmodi rebus saepe consuluisse constat, de L. L. IV, 14 ***dictatorem*** referente ideo appellatum esse, ***quia a consule dicitur***.

inquit] Ex Cod. Maius ***inquid***.

veteres] In hac lacuna periisse videtur sententia haec: animum scilicet populi romani, numquam a regio imperio planè fuisse abalienatum; nam et in libera rep. is qui summi magistratus forte extincti vices gereret, ***interrex*** appellabatur. Cr. Maivs ed. alt.

quom] Ex Cod. cum Maio alii ***cum***: alii ***quum***.

populus orbatus, pectora etc.] Hunc verborum ordinem a Codice oblatum, cuius loco Maius monitu perdocti, ut ait, cuiusdam viri ediderat ***pop. orb., sicut ait Ennius, post optimi regis obitum Pectora dia*** etc., postliminio in Add. ab eodem commendatum, nunc, ut par erat, restituit idem restitueruntque editores omnes praeter Heinrichium, qui ed. pr. lectionem retinet pertinaciterque defendit. Qua de revocanda scriptura Codicis quum ego quoque olim monnebam Disp. de loco Ciceronis or. pro Flacco, Gissae 1830. p. 10, demonstrare simul conatus eram, Ennii illa verba Ciceronem orationi suae non solum immiscuisse, quod facile erat ad animadvertendum, sed, ut saepe fieri solet in mutuandis poetarum verbis, ea in prosam soluta vel contracta protulisse: cuius sententiae, licet editores aliter statuisse videantur, adhuc non piguit. Ita ut censeam, maxime adducor optima 1 manus lectione ***diu***, sensui, etiam Maio assentiente, egregie congruente, ob quantitatis vero legem, in qua, me si audis, nunc non laborandum, ab omnibus spreta. Contra qui, ut Maius in utraque ed., Heinr., Schütz., Lehn., Nobbius, ***dia*** retinent, quod habet m. 2, videant ipsi quo sensu id defendant, quod eo minus in rem quadrare videtur, quo ineptius Romanis relictis idem epitheton tribuitur, quo Romulum poeta decorat; qua in re mecum habeo consentientem Krarupium p. 22, qui illius vocis loco reponi vult ***fida***, haud male, si modo propius ad scripturam Codicis accederet. Adde ap. Ennium ***dius*** deorum tantum vel heroum esse epitheton, v. Fragm. ed. Hessel. p. 13 et 34. Sensum si unice spectes, non male habet, quod ingenio Steinackeri debetur, ***dura***, a Mosero, Orellio et Zellio susceptum, etiam Spangenbergio in Ennii Annalium, ex quibus totus locus sumptus, editione, praeterea Wolffio et Beiero Päd. phil. Littbl. l. c. probatum; neque multo peius ***dira***, quae est Ottonis coniectura, conferri iubentis sibi annotata ad Cic. Cat. mai. p. 170. At neutro opus, si quidem locum, ut dixi, ita accipias, ut Ennii quidem verba, sed metro soluta afferri statuas, ita ut, ***diu*** rescripto, in medio relinquatur, qua forma olim integer Ennii locus metro adstrictus fuerit.

Q.] ***Q.*** littera pro ***Quintus*** scripta fuit in codice, vel potius ***O*** pro ***Q.***; tum expuncta: sed reapse retineri debet ***Q.*** Maivs ed. alt. De qua confusione litterarum dixi Syllog. inscr. p. 543. 593. 595. Non tamen praenomen illud memini alibi a Cicerone adiici.

optumei] Vulgo ***optimi***.

sese seic memorant, o Romule, Romule die,
qualem te patriae custodem dei genuerunt!
O pater, o genitor! o sanguen deis oriundum!
Non heros nec dominos appellabant eos, quibus iuste paruerunt; denique ne reges quidem, sed patriae custodes, sed patres et deos. Nec sine caussa. Quid | enim p. 150
adiungunt?
Tu produxsistei nos intra luminis oras.

simul inter sese seic memorant] Krarupio l. c. videntur Scipionis esse verba, quibus optime respondeant sequentia *Quid enim? adiungunt* etc.

die] Ridicule in editis Ennii fragmentis annal. I (non II, ut mendosa Prisciani apud Putschium editio p. 708) pro *die* est *dic o*. Quamquam iam diu Ursinus eam protulit lectionem emendatiorem, quae nunc a vaticano palimpsesto confirmatur. Maivs. De Prisciani loco, cuius vitiosam scripturam novissimus editor retinuit, in Disp. mea l. l. p. 11 monitum: „Medicinam, vel sine codicis ope adhibendam, iam Columna ad Ennii fragm. p. 38 ed. Hessel. praebebat, ubi traditur in pervetusto Prisciani exemplari non II, sed I, ut oporteat, legi."

dei] Cod. *dii;* sed prior *i* videtur expuncta. Maivs. Nobb. *dii* et mox *diis*. Cum Maio ceteri *di* et *dis*: de recepta scriptura supra monitum.

heros] Ita [*eros*] codex, tum fortasse superaddita est *h*. Et quidem Fronto de nep. am. ed. rom. p. 218 *erili* habet pro *herili*. Maivs. Reliqui omnes *heros*, uti scribendum est, licet etiam Bentleius, monente Mosero, in Terentio *erus* scripserit. V. Apulei. de asp. p. 97.

dominos] Utrum reges sint appellandi domini disputat Lydus de mag. rom. I, 6. Certe apud Tertullianum apol. cap. XXXIV: *Augustus imperii formator dominum dici se nolebat*. Maivs ed. alt.

sed] Hic et mox ex Cod. Maius *set*.

caussa] Ita cum Nobbio. Ceteri *causa*.

Quid enim adiungunt] Unus Lehnerus *Quid enim? adiungunt* —, de qua interpunctione vide Moserum.

produxsistei] Vulgo *produxisti*.

intra] In editis fragmentis est archaismus *endo* pro *intra;* sed Lactantius [Inst. I, 15] *intra* ut codex. Maivs. Spangenbergius *endu*. Neque vero hoc, si omnino genuina est forma, neque *endo* ob correptam ultimam syllabam locum habere, demonstravi Disp. l. l. p. 11. Ceterum valde notanda phrasis *producere intra aliquid*, quicum quid comparem nihil habeo, nisi quod dixit Plautus Cist. III, 19: *ubi hanc ego tetulero intra limen*. Mallem, si per metrum liceret, *in*, quemadmodum Ennius Ann. p. 51 ed. Hessel. dixit *quae dederat in luminis oras*. Lucretius, quem haud pauca ab Ennio adscivisse quum alii multi eius carminis loci testantur, tum etiam quae confert Festus v. *vagor*, fortasse non sine imitatione illius I, 23: *dias in luminis oras;* quo loco duce posset scribi *produxti nos in dias l. o.;* idem vs. 171: *atque oras in luminis exit*. Porro non video editorem quemquam, qui quae tandem sint *luminis orae* exposuerit, quae res eo obscurior est, quo in locis Lucretianis melior quibusdam visa est lectio *auras*, monente iam Forcellinio v. *ora*. At res conficitur, ni fallor, collato eodem Lucretio II, 577:

miscetur funere vagor,
quem pueri tollunt, visentes luminis oras,

Vitam, honorem, decus sibei datum esse iustitia regis exsistumabant. Mansisset eadem voluntas in eorum postereis, sei regum similitudo permansisset: sed vides unius iniustitia concidisse genus illud totum reei publicae. L. Video vero, inquit, et studeo cursus istos
p. 147 mutationum | non magis in nostra, quam in omnei re publica noscere.

XLII. 65. Et Scipio: Est omnino, quom de illo genere reei publicae, quod maxsume probo, quae sentio, dixsero, accuratius mihei dicendum de commutationibus rerum publicarum; etsei minume facile eas in ea re publica futuras puto. Sed huius regiae prima et certissuma est illa mutatio. Quom rexs iniustus esse

ubi de recens natis, quum primum lucem adspiciunt, sermo est. Est igitur proprie prima lux surgens quotidie sive aurora, unde omnino de luce solis dicitur. Ceterum confer Column. ad Enn. p. 38, etiam ex Virgilio, quem multa ab Ennio mutuatum esse constat, locos quosdam afferentem, quibus *in* (vel *sub*) *luminis oras* dicitur. *Aetheris orae*, quas dixit Ennius Satiris p. 187, quae sint ob laceram fragmenti conditionem, mihi quidem non plane liquet. Suspicor autem totam illam phrasin Graecis deberi.

exsistumabant] Ita [*existimabant*] 2 manu: at 1 *existimant*. Maivs. Lehnero *existimant* probari posse censenti adstipulatur Krarupius p. 23: non enim hic agi, ut ipsius verbis utar, de observatione aliqua ad linguam aut mores pertinente, ut paullo ante (*non heros* etc.), sed de sensu civium communi iusto rege orbatorum, qualis a poeta exponatur. De infelice, ut idem appellat, correctione emendatoris, quam cum ceteris recipere non dubitavi, vide Moserum.

voluntas] Cod. 1 manu *volumtas*; 2 *voluntas*. Maivs.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

magis] Schütz. *modo*, a Mosero satis castigatus.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*. Item mox.

maxsume] Vulgo *maxime*, ut mox *minime*.

mihei] Cod. 1 manu *tibi*, quae lectio deinde expuncta est, scriptumque videtur *mihi*. Posteriorem lectionem retineo, qua docemur Scipionem, non Laelium, in his libris disputavisse de rerump. commutationibus. Codicis enim emendatorem, qui integro opere utebatur, haud temere scripsisse *mihi* pro *tibi* puto. Maivs. Neque modesti hominis vel comis fuisset, Laelio dicenda praescribere. *Tibi* unus Villem. retinuit.

minume facile] Non videtur hoc Ciceronis esse; sed potius legendum: *minime faciles*. Heinrich. Qua lectione sensum loci plane everti, recte monuit Orell. in Anal. T. IV, 2. p. 595. Cf. Moser. Schulzeitung 1829. No. 54. p. 441. Maius ed. alt. ad sensum confert Platonis reip. VIII. p. 546: *χαλεπὸν μὲν κινηθῆναι πόλιν οὕτω ξυστᾶσαν*. De variis illis rerum publicarum commutationibus placita Ciceronis cum Aristotele *aliis-*

coeperit, perit illud illico genus, et est eidem ille tyrannus, deterrumum | genus et finitumum optumo; quem p. 148
sei optumates oppresserunt, quod ferme evenit, habet statum res publica de tribus secundarium: est enim quasei regium, id est, patrium consilium populo bene consulentium principum; sein per se populus interfecit aut eiecit tyrannum, est moderatior, quoad sentit

que philosophis contendit Baumhauerus Diss. de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis, Traiecti ad Rhenum 1841. p. 145 sq.

certissuma] Vulgo *certissima*, et mox *rex*.

coeperit] Cod. et edd. omnes *coeperit*. Mihi vero nihil vero est similius, quam ortum esse hoc futurum exactum ex vocabulo statim subsequente *perit*. Perfectum autem Indicativi sensus non patitur tantum, sed flagitat etc. Moservs. Hanc Moseri lectionem *coepit*, a Nobbio Orellioque receptam, Madvigius ad Fin. V, 15. p. 690 ita approbavit, ut ea temporis notatione, qua aliquid certo tempore fieri solere significetur idque tempus actionis praegressae absolutione notetur, coniunctivo modo nullum locum esse, neque magis futuro exacto, quoniam nulla omnino futuri temporis notio adsit, docere studuerit. Haec ego ita probo, ut in universum verissime quidem disputata, nec tamen totum locum ita explicatum censeam, ut invitis libris dissidentes si qui reperiantur locos ad illam normam illico corrigamus. Sumere enim licet, coniunctivo perfecti (nam futurum exactum ab hac constructione excludi apertum est) tum locum datum esse, quum id quod fieri solere significetur, non reapse factum, sed fieri tantum potuisse cogitetur. Quod sentio ut planum fiat, affero duo exempla a Madvigio laudata, notione verbi inter se aperte discrepantia: prius fictum ex II de orat. 6, 24: *quum ad villam veni, hoc ipsum nihil agere me delectat*, h. e. quotiens veni, saepius enim, non semel veni. Alterum legitur Fin. V, 22, 61: *ut illi efferuntur laetitia, quum vicerint*, hoc sensu, quotiescunque accidat, ut vicerint, nam non semper accidit, neque semper accidere solet. At repugnantibus omnibus libris et scriptis et impressis Madvigius ibi *vicerunt* in contextu scripsit. Igitur a mutanda Codicis scriptura manum interim putavi cohibendam, donec quid re vera Latinitas flagitet, etiam diligentiore cura fuerit exploratum, quum praesertim locus noster de rep. ita comparatus sit, ut eandem sensus rationem. quam in loco de Finibus statuimus, admittat. Ceterum vide ad cap. seq. *hauserit*.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

illico] Cum Cod. Maius *ilico*, quod a Steinackero inde mutatum fuit. Mox vulgo *idem*.

deterrumum] Vulgo *deterrimum*, et mox *finitimum*: item mox *optimum* et *optimates*.

regium] Ita Cod. 2 m.; 1 *regum*.

est moderatior] Quod in ed. pr. exemplari Stuttgart. legitur *et mod.*, quod cum illo iam Steinack. commutavit, typothetae vitium esse, monstravit Heinrichius, qui praeterea *et moderatur* legendum suadet, nemini acceptum, a Mosero refutatum, qui hoc de loco iterum disputavit Schulzeitung 1829. No. 54. p. 441. Audacius Bakius *et moderatiora sentit* etc. omisso *quoad*, iure castigatus ab Orellio.

et sapit, et sua re gesta laetatur, tuerique volt per se constitutam rem publicam. Sei quando aut regei iusto
p. 243 vim populus | attulerit, regnove eum spoliarit; aut etiam, id quod evenit saepius, optumatium sanguinem gustavit, ac totam rem publicam substravit lubidinei suae: cave putes autem mare ullum aut flammam esse tan-

volt] Ex Cod. Maius *vult* et sic reliqui.

aut] Cod. *aut*. Sed quia mox occurret nobis in codice *autem* pro *aut*; idcirco commutandam sedem putavi. Maivs ed. alt. Quippe edidit nunc quidem *autem*, falsa mox Heinrichii lectione deceptus. Sobrio homine haec corrigendi libido plane indigna.

attulerit] Moserus et Nobbius *attulit*, quem Orellius et Zellius secuti sunt. Heinrichii ego lectionem plane probo atque eo confidentius in textum suscepi, quo *spoliavit* in *spoliarit* mutando lenior ea emendatio est. Quae de loci anacoluthia vel modorum perturbatione a clarissimo Indicis auctore v. *anacoluthia* monita sunt, idem recte ad discrepantem modorum sensum retulit. „In cogitatis tantum, inquit, et quae evenire quidem possunt, sed non facile eveniunt, verus est modus unus (coniunctivus): alter in eo, *quod*, ut ipso hoc loco dicitur, *evenit saepius*", cui optime respondet indicativus. Neque alia est huius usus caussa quam qua supra *coeperit* defendendam suscepimus, ab eodem horum modorum discrimine repetenda.

spoliarit] Videtur scribendum *spoliarit*. Sed enim et alii indicativi sequuntur, qui aeque immutandi forent. Maivs ed. alt. Quippe ex Cod. edidit *spoliavit*, quod retinuerunt ceteri. Illud primum Heinrichius, probante Handio quoque Tursell. T. I. p. 573.

optumatium] Ita Cod. 2 m.; 1 *optimatum*. V. ad c. 34. Vulgo *optimatium*.

gustavit] Cod. 1 manu *gustabit*, 2 *gustavit*. Ita accidit sequenti voci *libidini*. Maivs.

lubidinei suae] Rem tragice canit Lucretius V, 1135, ubi de politicis commutationibus: *regibus occisis subversa iacebat — pristina maiestas — sub pedibus volgi magnum lugebat honorem*. Adversum politiam popularem disputat Dio lib. XLIV, 2. Maivs ed. alt. Vulgo *libidini*.

cave] Cod. *eavae*.

autem] Non possum satis admirari, quid virorum perspicacissimorum aciei tantopere offecerit, ut quod ante oculos esset, non viderent. Etenim postquam Maius, quum primum ederet, semicolo post *multitudinem* fine capitis posito, quamvis inepte hic oratione per novi capitis initium divulsa, recte significavit, apodosin demum a verbis *tum fit illud* etc. incipere, quibus verba *cave putes autem — multitudinem* parentheseos loco inserta essent: idem nunc, mutata sententia, pro *autem* scripsit *aut*, ad hanc quippe emendationem, ut ait, adductus inspecto cl. Heinrichii textu, qui universum quoque locum egregie interpunxisse videretur. Quae Heinrichii scriptura etiam Nobbio, Mosero et Zellio ita imposuit, ut in textum recipere non dubitarent, Wolffio, Handio denique l. l., ut probarent, parum his curiosis de sensu formulae *aut — aut* sic illatae, ut tertium membrum excludatur, quod ab hoc loco, ubi praeter mare et flammam, quae exempli loco afferuntur, etiam alia similia cogitari et nominari potuissent, prorsus alienum est. Itaque retinui cum Codicis lectione pristinam loci dispositionem, probatam et defensam et-

tam, quam non facilius sit sedare, quam exfrenatam insolentia multitudinem;

XLIII. 66. tum fit illud, quod apud Platonem est luculente dictum, sei modo id exprimere Latine potuero; nam difficile factu | est, sed conabor tamen. p. 244
Quom enim, inquit, inexplebiles populei fauces exarserunt libertatis sitei, maleisque usus ille ministreis,

iam a Steinackero et Beiero, Päd. phil. Littbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 191, collato simili loco cap. seq., quo *tum*, praecedente *quum*, apodosin pariter inchoat, ut etiam de legg. I, 12, 34. Cf. Bentl. ad Ter. Andr. V, 1, 20. Item praecedente *si*, ut nostro loco, Acad. II, 10, 32. Cf. Jahn. Jahrb. 1833. VII, 2. p. 140.

flammam] Ita [*flamam*] cod. pro *flammam*. Recole cap. IV. p. 16. Maivs.

exfrenatam] Ita cod. At superius cap. XXXIV *ecfrenati*. Maivs. Ad h. l. v. not. Edd. *effr.*

insolentia] Ita cod. 2 manu; at 1 *insolemtia*. Maivs ed. alt.

Quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

inquit] Plato Rei publ. VIII. p. 562 C. sq.

exarserunt] Invito Codice, qui *exaruerunt* praestat, editoribus ad unum omnibus susceptum, ut eius loco *exarserunt* scripserim, his adductus sum caussis. Plato l. l., cuius exemplum Noster imitatur: *Ὅταν οἶμαι δημοκρατουμένη πόλις, ἐλευθερίας δίψασα, κακῶν οἰνοχόων προστατούντων τύχῃ* etc. Haec si damus a Cicerone liberius in Latinum translata esse, tamen non fas est credere, licentia in vertendo Ciceronem adeo absum esse, ut pro sanis vel insana redderet: quod factum videtur, si quidem fauces populi siti alicuius rei *exarescere* pro *aliquam rem sitire* revera dixit, quum dicendum eius loco fuerit, fauces siti alicuius rei *uri* vel *exuri*, ut Horatius Serm. I, 2, 114: *sitis fauces urit*. V. Curt. IV, 16, 12. Lucret. III, 930. Neque mihi quisquam obiiciat Tibulli I, 4, 42:

Et Canis arenti torreat arva siti:

aliud enim est exarescere siti, aliud incitari vel stimulari ad aliquid siti; neque denique Bruti locum, specie vulgatae, revera meae sententiae faventem 4, 16: *exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit*, quae verba variis modis ab editoribus vexata commodum praebent sensum, si *siti* cum *exustus* iungitur atque *exaruit* intelligitur *exstinctus est*. Neque quidquam mutandum censuit qui nuper hunc locum tractavit Vogel Obs. ad aliquot Ciceronis locos. Biponti 1830, quantum quidem comperio ex Annal. litt. Heidelb. 1833. p. 1129. Plato vero, neque alia Cicero dicere poterat, urbem ait libertatis cupidam sive sitientem. Atque de ipsa libertatis cupiditate dixit Noster XI Philipp. 2: *vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandae cupiditatem*. Adde Tusc. IV, 17, 37: *nec sitienter quid expetens ardeat desiderio*. Rem conficit Livius, apud quem XLIV, 38 leguntur *fauces siti ardentes*. Inversa imagine dixit Eumenius Paneg. in Constantin. 9 *agros diuturno ardore sitientes*. Moserus, qui unus offensionis nonnihil in phrasi Ciceroniana inesse sensit, Ciceronem ait sibi hoc non indulsurum fuisse, nisi insolitae dictionis veniam eo sibi impetrare putaturus fuisset, quod non ex sua, sed alterius persona loqueretur. Num autem credibile, Ciceronem hac excusatione fretum ausurum fuisse, quae neque a Platonis contextu iuberentur ne-

non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit: tum magistratus et principes, nisei valde lenes et remissei sint et large sibei libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotenteis, reges, tyrannos vocat. Puto enim tibei haec esse nota.
p. 151 **L. Vero mihei, in|quit ille, notissuma. 67. S. Ergo**

que consuetudini dicendi Latinae omnino convenirent? Porro eandem veniam Ciceroni parari ait Moserus *libertatem ministrent*, ubi Plato *παρέχωσι τὴν ἐλευθερίαν*, mox dicenti, quum alibi verbo *ministrare* nonnisi proprio sensu Noster utatur. Immo nulla optimo scriptori venia opus est, quum non alio sensu verbo *ministrandi* usus sit quam quo alibi. Discedit enim a Platone eo, quod de metaphora non, ut ille, discedit, sed in ea perseverat et id quod metaphorae convenire videtur, ponit. De N. D. I, 40: *pocula ministrare*. Tusc. I, 26: *Iovi bibere ministrare*.

sitiens] Otiosa vox, neque a Platone sumpta. Nihil tamen mutaverim. Tullianum locum paene dicas Livium imitatum esse XXXIX, 26: *Insolenter et immodice abuti Thessalos indulgentia populi Romani, velut ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem*.

hauserit] Hoc coniunctivo iam Eichstadius impegerat, qui Ind. lect. univ. Ien. per hiemem $18^{23}/_{24}$ habend. p. 6 *hausit* vult, quod postmodum pariter Madvigius ad Fin. V, 15. p. 691 commendare videtur, editorum inconstantiam merito admiratus, quod qui cap. antecedente *coepit* pro *coeperit* restituissent, hic in *hauserit* non haesissent. Et sane si omnia ad illam consuetudinis normam exigenda sunt, de qua ad *coeperit* disputatum est, non potest non hic quantocius reponi indicativus. At recte Moserus inter modos *exaruerunt* et *hauserit* aliquid hic interesse sensit, *hauserit* eo defendens, quod sensus sit: si forte, illud quum acciderit; mirum eum fugisse, etiam *coeperit* illud simili ratione, quam suo loco exposuimus, vindicari. Inconstantiam vero modorum, ipsa relationis diversitate satis explicatam, cuius exemplum cap. praecedente in *attulit — gustavit* notavimus, Ciceroni nemo vitio vertet.

praepotenteis] Vulgo *praepotentes*. V. ad c. 34 *civitatium*.

Vero mihi] Lehnerus, obsecutus Censori Ienensi (1823. No. 34. p. 272) dicenti *vero mihi* Latinum non esse, inverso ordine dedit *Mihi vero*. Quod si in codice repertum esset, lubens reciperem; nunc non plane necessarium puto. Distinxi post *vero*, ut haec vox simpliciter affirmet, ut est supra c. 37: *Vero, minus*, et de legg. I, 24. extr. *Vero: facis et merito*: conf. annott. nostras ad utrumque locum. Moservs. Non probo Moseri rationem distinguendi. Ubi enim *vero* vim affirmandi habet, ut hic et alibi, aut elliptice ponitur, ita ut quod affirmetur, ex antecedentibus supplendum sit, ut Brut. 87: *orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute, sed in Cumano aliquando*, aut cum enunciatione sua, qua praecedentis sententiae affirmatio continetur, iungitur, ut hic et supra c. 37. Atque ea vi *vero* inprimis apud Ciceronem praeponi, vere observavit Heinrichius, dum adversativum *vero* eam sedem nusquam occupet: postpositum tamen legitur Off. III, 1, ut et apud Terent. Adelph. V, 7, 4. Ceterum cf. Horat. Tursell. h. v. Bothe ad Terent. p. 462. Passerat. ad Cic. pr. Rosc. Com. 11.

notissuma] Vulgo *notissima*.

illa sequuntur: eos, quei pareant principibus, agitarei ab eo populo, et servos voluntarios appellarei; eos autem, quei in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, quei efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, „ferunt laudibus et mactant honoribus“, ut necesse sit in eiusmodei re publica libertatis esse omnia; ut et privata domus omnis vacet domina|tione, et hoc malum usque ad bestias perveniat; p. 152 denique ut pater filium metuat, filius patrem negligat, apsit omnis pudor, ut plane liberei sint; nihil intersit, civis sit an peregrinus; magister ut discipulos metuat et eis blandiatur, spernantque discipulei magistros: adulescentes ut senum sibei pondus adsumant, senes

sequuntur] Ita [*secuntur*] cod. ut alibi *aecus* pro *aequus*. Maivs.

et] Cod. *ut*; tum emendatum 2 manu *et*. Maivs.

eos autem] Notandus est transitus subitus ab oratione indirecta ad directam. V. Madvig. ad Fin. p. 67. Otto.

privatum] Ita cod. 2 manu; at 1 *pribatum*. Maivs.

ferunt] Insolens phrasis, *ferre laudibus aliquem*, cuius vix alterum ex antiquo scriptore exemplum afferatur. Usus est Hrabani Mauri discipulus, Walafridus Strabus de beati Blaithmaci vita et fine ap. Dronke Ann. crit. in Tac. Agr. 1842. p. 19, sed consulto additis *in caelum*,

Qui scelerosorum mores et facta tulerunt
laudibus in coelum, perfusi daemonis arte.

Ex recentioribus non defuere qui ea usi essent veluti Wesselingius Praef. ad Herodot. p. IX. ed. Gaisf.

honoribus] Verba haec ex Cicerone de rep. sed sine libri nota, atque omissa copula *et* citat Nonius voc. *mactare*; [eaque Lambinus et Patricius perperam ad librum VI ablegaverant. Mr.] Locum exprimit, omisso Ciceronis nomine, etiam Lactantius inst. V, 9: *eos laudant et honoribus mactant*. (Item inst. I, 15, ubi legendum *mactare* pro *iactare*). Tum Arnobius lib. V. p. 160 et VI. p. 221 *mactare honoribus*. Et sane Arnobius dici videtur ab Hieronymo ep. LXX, 5 dialogorum Ciceronis imitator. Fuit certe Arnobius Lactantii, qui toties Ciceronem expilat, magister. Maivs ed. alt. Si Codex addiceret, vulgatae praestare dicerem Nonii asyndeton. In iunctura enim etiam duorum orationis membrorum, quibus variis eadem aut similis sententia formis iteratur, tam Cicero, quam alii scriptores cum elegantia quadam copula saepe abstinent, quippe ad extollendam orationis vim. Quem usum Tacito inprimis familiarissimum esse constat: v. Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. No. 41. p. 339 seq.

ut et] Cod. *aut* [pro *ut*]; verum *a* videtur expuncta. Maivs.

negligat] Ex Cod. Maius *neglegat*. Mox vulgo *absit*.

eis] Vulgo *iis*, ut etiam mox.

adsumant] Ab Heinrichio inde reliqui *ass*.

autem ad ludum adulescentium descendant, ne sint eis odiosei et graves: ex quo fit, ut etiam servei se libe-
p. 161 rius | gerant, uxores eoden iure sint, quo virei; quein tanta libertate canes etiam et equei, asellei denique, liberei sint, seic incurrant, „ut eis de via decedendum sit.“ Ergo exs hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, sei minuma veis adhibeatur imperei, irascan-

adulescentium] Ita ex Cod. Maius, cuius loco ceteri praeter Steinack. *adol.* V. ad c. 15. Paullo ante vulgo *adolescentes*.

quein] Cod. *in*; tum superadditum *qu*. Maivs. Zachariae l. c. p. 83 *quin in*, quod sibi quoque placere ait Moserus, retinens tamen vulgatam. Orellius optimam, ut vocat, Doederleinii coniecturam *inque* suscepit. Hoc vero emendator si voluisset, aut *Q* simplicem, quae est nota copulae *que*, aut *QVE* plene scripturus fuisset. Praeterea in unum Cicero coniunxisset, quae divulsa apud Platonem et separata leguntur. Praepositione *in* omnino non opus, ubi universe status quidam quo aliquid fieri dicatur, significatur, ut quum dicimus *extremo tempore, adolescentia, iuventute*, ubi vulgo *in* a librariis addi solet, recte notante Wundero Var. lect. cod. Erf. Cic. p. CXVIII. Ubi vero de *Q* copulae *que* nota dixi, in mente habui scripturam antiquissimorum codicum, in primis palimpsestorum, in quibus plerumque *Q* pro *que* exaratur. Idem etiam Virgilii Cod. Florentinus; alius Vindobonensis V vel VI saeculo scriptus, Ulpiani icti quaedam continens, cuius specimina exhibuit Endlicherus in Jahnii Jahrb. 1836. Vol. XVI. p. 216 et 217. Ac sic inscriptiones quoque vel antiquissimae, ut monui Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 318.

asellei] Cod. *asilli*; mox 2 manu *aselli*. Maivs.

liberei sint, seic incurrant] Ita cod. sine ulla copula. Maivs. Copulae desiderio ut satisfieret, Heinrichius ante *sic incurrant* inseruit *et*, quod nullus subsequentium editorum probavit. Moser. coni. *si* ante *sint* adiiciendum. Zachariae *si incurrant*, quod absurdum. Eichstadius l. c. p. 7 totum locum ita refingendum censet: *quin tanta lib. canes etiam sint; equi denique et aselli liberi sic incurrant*, quo non nego modo Ciceronem si voluisset, scribere potuisse. Ego interim cum ceteris Codicis scripturam repetii: fateor tamen asyndeton mihi quoque displicere, quod lenissimo modo tolleretur omittendo *sint*, ex seq. *sic* fortasse nato. Otto: „Lege *sicque incurrant*, quamquam Madvig. ad Fin. p. 688 hunc sonum ab ore Latino abhorrere putat; at ipse Cicero in Rull. II, 21, 56: *sicque agro pergrande vectigal imponitur*. Redit haec res ad id quod ad c. 12 notavimus.“ EXQVE legitur in Marmore Ancyrano. Ceterum Cod. *incurrunt*, a 2 demum m. in *incurrant* mutatum.

eis] Ita (*is*) cod. pro *iis* vel *his*. Maivs. Reliqui editores *iis*.

decedendum sit] Locum (omisso verbo *is*) citat Fronto [Arusianus Messus] exempl. eloc. voc. *decedo* e Cicerone de rep. sed sine libri nota. Maivs. Sed ex Gud. Lindemannus p. 224 *hic* h. e. *his* pro *is* edidit. Mox vulgo *ex*.

ut] Cod. *ud*. Et quidem *ud* superadditum est 2 manu; nam 1 nihil scripserat, quia paulo post fecerat *evadent*; sed manus secunda fecit *ud* etc. *evadant*. Maivs. Posset ferri et altera lectio primitiva.

tur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sine ullo dominó sint.

XLIV. 68. Tum Laelius: Prorsus, inquit, expressa p. 162 sunt aps te, quae dicta sunt ab illo. *S.* Atque, ut iam ad sermonis meei morem revertar, exs hac nimia licentia, quam illei solam libertatem putant, ait ille, ut ex stirpe quadam exsistere et quasei nascei tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, seic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adficit. Seic omnia nimia, quom vel in tempesta|te, vel in agreis, vel in corporibus laetiora p. 257

minuma] Vulgo *minima*.

imperei] Ita [*imperii*] cod. 2 manu; at 1 *imperi*. Maivs. Hunc ceteri omnes secuti sunt.

perferre nequeant] Sic plane loquitur etiam Polybius VI, 57. Maivs ed. alt.

negligere] Ex Cod. Maius *neglegere*.

inquit] Ex Cod. Maius *inquid*.

expressa sunt] Cod. et Ed. pr. *expressa sunt a te*. Delevi *sunt*, cui in altero demum membro locus est suus. Heinrich. Nemo obtemperavit: immo repugnandum esse docet Moserus, hic et iterum Schulzeitung. 1829. No. 54. p. 441. Otto: „Noli *καχοφωνίαν* timere. Cfr. Ep. ad fam. I, 56. §. 1. II, 15, 4. IV, 7, 1. X, 13, 1. XIII, 15, 1. Galba X, 30, 4. Fin. IV, §. 26. Ep. Fam. VII, 4." Quae adversus Moserum dicta sunt.

aps te] Vulgo *a te*: v. ad c. 22.

morem] Heinrichius, qui cum ceteris Codicis lectionem *morem* expressit: „Pergit, inquit, quod coepit, Platonem exprimere. Id quo modo sermonis sui *morem* dicere possit, non intelligo. Videtur reverti ad sermonis sui *tenorem*, i. e. ordinem." Haud mala Zellii coniectura *auctorem*, etiam Orellio probata in Add. T. IV, 1. p. 574, et mihi quoque probanda, nisi Tullium simili loco *morem sermonis* Legg. II, 3, 9 iungere meminissem.

exs] Vulgo *ex*.

putant] Restituimus cum Heinr. Steinack. et Lehn. [adde nunc Nobb. Orell. et Zell.] primae manus scriptionem, *putant*, pro qua recepit Maius correctionem *putarent*. Hanc recepit Schützius probarunt-que Cens. Ien. 1823. 34. et Cr. in Schedd. qui laudat Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. p. 45. Moservs.

ex stirpe] Cod. 2 manu *e*, quod cum Maio solus Steinack. suscepit, probante Censore Ienensi. Atqui ego *ex* scripsi, non quod Mosero de discrimine utriusque formae quaedam monenti assentiar, de cuius discriminis a diversitate significationis repetiti auctoritate dictum Adnot. crit. in Quintiliani X. Part. I. p. 18, sed quod, ut l. l. monui, usus formae *e* a Ciceronis aequaliumque consuetudine plane abhorret.

exsistere] Ita Nobb. quoque. Vulgo *existere*.

adficit] Ita ex Cod. Maius: reliqui *affieit*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

fuerunt, in contraria fere convertuntur, maxsumeque in rebus publiceis evenit, nimiaque illa libertas et populeis et privateis in nimiam servitutem cadit. Itaque exs hac maxsuma libertate tyrannus gignitur et illa iniustissuma et durissuma servitus. Exs hoc enim populo indomito vel potius immanei deligitur aliqui ple-
p. 258 rumque dux contra illos principes ad|flictos iam et depulsos loco, audaxs, inpurus, consectans proterve bene saepe de re publica meritos, „populo gratificans et

maxsumeque etc.] Non potui quin reciperem cum Steinackero, quod Maius recipiendum esse censuit, *id*, quae vocula facile ante *in* excidere potuit. Certe libentius caruerit aliquis paulo inferius in verbis *et ea continuantur* demonstrativo quam hoc loco. Moservs. Susceperunt *id* Nobbius, Orellius; probavit Wolffius. Ego semper ita statui, quod Heinrichii, quem in eandem sententiam incidisse video, dicam verbis: nihil omnino excidisse; immo superfluum esse *evenit* ac delendum esse. Ita non solum Ciceronis contextus propius ad Graecum exemplar accedit, sed et liberamur quoque ingrata duarum sese excipientium et copula *que* iunctarum enunciationum constructione. Vulgo *maximeque*, ut mox *maxima*.

cadit] Defenderunt vulgatam a *cedit*, quod suadentibus et Maio et Niebuhrio unus Schützius suscepit, probante Wolffio, Moserus et Heinrichius, quibus adde Beierum in Päd. phil. Littbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 192. Adde et *cadere* melius convenire Graeco *μεταβάλλειν* et propriam in se habere significationem in peius ruendi, ut illo loco, quem apte Moserus contulit, Ep. ad Att. VIII, 3: *cadendum est in unius potestatem*.

exs] Vulgo *ex*, ut mox.

tyrannus] Nollem Moserus, quod coniecit *tyrannis*, statim in textum recepisset. Probus enim vulgatae sensus: cum tyranno simul gigni iniustissimam et durissimam servitutem, quae sibi non opponuntur, sed ut caussa et effectus iuxta se collocantur. Neque adiuvat, ut ait Moserus, coniecturam Plato, quem hic quam liberrime Ciceronem reddere quivis videt.

iniustissuma] Vulgo *iniustissima*, et mox *durissima*.

aliqui] Ita cod., quae scriptura in Tullii codicibus non infrequens est pro *aliquis*. Maius. De hac forma haec notavi: *aliqui* cum substantivo coniunctum reperitur ap. Cael. Ep. ad fam. VIII, 7, 2. pr. Sext. §. 63. (v. l.) de off. III, §. 7. Tusc. V, 21, 68. Acad. II, 26. Cael. 18, 42. pr. Planc. 12, 31. Beier. ad Off. III, 7, 33. pr. Sull §. 39. Tusc. IV, 16, 36. I, 11, 22. Goerenz. ad Acad. II, 7, 19. p. 41. 26, 84. p. 157. Ep. ad fam. VII, 1, 1. de Rep. III, 16, 26. Sed *aliquis* adiective Acad. II, §. 61 et 120. de fin. II, §. 69. III, §. 11. Ep. ad fam. XVI, 12, 1. XI, 28, 8. XIV, 7, 1. Adde Stuerenburg ad Cic. pr. Arch. p. 83 sq. E codd. *aliqui* restitue pr. Planc. 12, 31 et pr. Cael. 18, 42. Otto. V. Moserum. Heinr. et Villem. *aliquis*.

adflictos] Ita ex Cod. Maius: reliqui praeter Steinack. *affl.*

inpurus] Ita ex Cod. Maius, ceteris omnibus *imp.* exhibentibus.

bene] Cod. *baene*; sed tamen *a* videtur deleta. Maivs.

populo gratificans etc.] Locum ex I de rep. citat Fronto [Arusia-

aliena et sua: " quoi quia privato sunt oppositei timores, dantur imperia et ea continuantur, praesidieis etiam, ut Atheneis Pisistratus, saepiuntur; postremo, a quibus productei sunt, exsistunt eorum ipsorum tyrannei: quos sei bonei oppresserunt, ut saepe fit, recreatur civitas; sein audaces, fit il|la factio, genus p. 133
aliud tyrannorum: eademque oritur etiam exs illo saepe optumatium praeclaro statu, quom ipsos principes aliqua pravitas de via deflexsit. Seic tamquam pilam ra-

nus Mess. p. 232 Lindem.] exemp. eloc. v. *gratificor*. Et quidem de tyranno legendus est etiam Philonis locus in libro de providentia, cuius quum mediocres reliquiae graecae superessent apud Eusebium, nunc opus integrum ex armeniaco codice a cl. monacho mechitarista Aucherio editum tandem fuit. MAIVS ed. alt.

quoi] Vulgo *cui*.

dantur imperia et ea continuantur] Augustinus C. D. I, 31 de romanis optimatibus loquens et huc fortasse respiciens ait, *donec continuatis honoribus ad potestatem regiam pervenirent*. Cogitabat autem de Caesare Cicero, cui paulo ante prorogatum fuerat imperium, adnitente ceteroqui blandiendi causa ipso Cicerone orat. de prov. cons., quem sero officii beneficiique sui paenituit. MAIVS ed. alt.

praesidieis] Ita [*praesidiis*] 2 manu: at prima *praesidis* solita crasi. MAIVS.

praesidieis etiam etc.] Sic de Pisistrato narrat Plutarchus in Solone cap. XXX. Ita Syracusis habuit custodes Dionysius nondum tyrannus, ut ait Aristoteles reip. III, 15 et Diodorus XIII, 95; denique Corinthi Periander, quem memorat Heraclides ponticus in politiis. MAIVS ed. alt. Conferri iubet Herodot. I, 59 Creuzerus. Adde Scriptoris incerti verba ap. Iul. Victorem Art. rhet. p. 47 ed. Maii: *si custodes corporis Dionysio dederitis, item faciet quod Pisistratus, qui cum a suis civibus custodes corpori postulasset, tyrannidem occupavit.*

saepiuntur] Heinr. Nobb. Zell. *sepiuntur*. V. ad c. 26.

exsistunt] Codicem secuti omnes praeter Orell. et Nobb. *existunt*.

exs illo] Cod. *ex illa*. MAIVS. Vulgo *ex*, ut mox *deflexit*.

aliud] Ex Cod. Maius *aliut*.

optumatium] Vulgo *optimatium*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

tamquam] Ex Cod. vulgatum *tanquam*, quod cum Nobb. et Orell. correxi, ne ipse secum dissideret, v. c. 24. 36. II, 30. III, 15. Adde *tamque* I, 3. Quod I, 9 *tan mane* in Cod. scribitur, id aeque in vitio ponendum atque TAN PARENTES, quod suppeditat titulus Gruteri p. 772 tam malae scripturae, ut praeter alia vitia etiam AEORVM pro *eorum* ibi scriptum reperiatur. Etenim uno loco excepto I, 44, quo *unquam* exhibetur, codex Vatic. in hoc sibi constat, ut *m* ante *qu* immutatum retineat, veluti in hoc ipso *umquam* I, 6 (bis). 17. II, 15. *numquam* I, 17 (bis). 18. 24. II, 1. 10. *tantumque* I, 4. *quamquam* I, 4. 26. II, 8 (bis). 13. 26. *quamque* I, 17. *quemque* I, 22. *nonnumquam* II, 10. *qualiscumque* II, 12. *eumque* II, 13. *cumque* II, 19. *quemquam* III, 30. *idemque* et *eademque* II, 31: neque aliam harum vocum scripturam a

piunt inter se reei publicae statum, tyrannei ab regi-

melioribus Livii codd. offerri notavit Alschefski T. I. p. XXIV. Eandem passim Codd. Medicei Ciceronis Epistolarum, nonnunquam obscuratam, veluti quum ad fam. IX, 19, 1 *se eum quam* pro *se umquam* scribitur. Ad Att. IX, 6, 2 Cod. *quali cum*, ubi al. m. supra scripsit *cunque*. Itaque hac scribendi lege sive abusus sive deceptus librarius in fragm. or. pro Scauro p. 16 ed. Fr. *Em quibus* scripsit, quod quum Maium secutus Heinrichius pro *hem* acciperet, recte nunc Orellius intellexit vitiose pro *en* exaratum esse: geminatum enim illud *hem* non solum displicet, praesertim in sequente coniunctivi constructione, non facile expedienda, sed quod restitutum *en* plane congruit, praesertim ubi cum indignatione, ut nostro loco, dicitur, cum consuetudine dicendi Tulliana, adstruenda v. c. ex II Verr. I, 37. *En, cui tu liberos committas: en memoria mortui sodalis* etc. III Phil. 9: *En, cur magister . . . possideat.* Plura dabit Nizolius. Praeterea nulla istarum vocum confusio frequentior in MSS. V. varr. lect. Plauti Capt. II, 3, 13. III, 4, 8. ubi quod vulgatur *hem*, absurdum videtur, in *en* mutandum eodem pacto, quo idem vitium Hermannus sustulit Trin. prol. 3. Non igitur audiendus Stuerenburgius Comm. ad Off. p. 160, qui *unquam*, *nunquam* etc., quod mollius esset, scribendum censet: quid vero, si cui ea scriptura videretur soni tenuioris? Ac vulgarem illam, quam commendamus cum Meyero ad Quintil. Prooem. T. I. p. 9, scribendi rationem fuisse, recte intellectus tradit Priscianus I. p. 555, cuius locum ex Krehlii ed. T. I. p. 36 describo emendatiorem: „(*M*) transit in *n*, et maxime *d* vel *t* vel *c* vel *q* sequentibus, ut *tantum tantundem*, *idem identidem*, *eorum eorundem*, *nuncubi* [hic praemittendum cum Putschio censeo *num*, a libris nonnullis suppeditatum] et, ut Plinio placet, *nunquis*, *nunquam*, *anceps* pro *amceps*.“ Quamquam enim Plinii scripturam magister ipse amplecti videatur, tamen quod eius auctorem Plinium affert, id ipsum aliter vulgo scribi solitum esse abunde testatur: quo non excluditur, *n* hic illic scriptum fuisse, uti NVNQVAM reapse exhibet titulus in Wiener Jahrb. 1831. Vol. LV. Notit. p. 33. VNQVAM Grut. p. 639, 12, lapis non admodum antiquae aetatis. TANQVAM titulus a. u. c. 865 incisus ap. Grut. p. 214. Ceterum Prisciani locus me admonet, ut, postulante ipsa rei affinitate, de eiusdem litterae ante *d* vel *t* ponendae hic statim dicam. Ac verissimum videtur hac de re Prisciani praeceptum, probatum Meyero l. l., plane diversam ab illis rationem esse censenti verborum *quendam*, *quondam* etc., quippe in quibus propter naturam litterarum *d* et *t* mutetur *m* in *n*, comprobatum etiam Stuerenburgio l. l. Cui scripturae firmandae non solum adsunt analoga permulta verba, ut *tandem*, *quando*, quod ex *quam diu* ortum haud male suspicatur Schmidt Comm. de pronom. Gr. et Lat. p. 92, aliaque, sed favent etiam monumenta inscripta, veluti Legis Titiae de scribis etc. fragm. a Goettlingio editum, ubi Col. II, 33 exstat TANTVNDEM, repertum etiam in duobus aliis Legum fragmentis ap. Grut. p. 206 et 510. Cod. Vatic. de rep., in quo habentur *quondam* I, 8. *quandam* I, 8. 38. *quendam* V, 4, uno loco II, 24 scribit *aliquamdiu*, quod altera manus, quae prioris scripturam *eamdem* I, 35 recte correxit, corrigere neglexit. Eodem quoque modo corrigenda videbuntur, quae vulgo scribi solent *quamde* et *tamde* (si modo hoc genuinum), de quibus adi Schmidt l. l. p. 91 et Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 1069: cui coniecturae aliquatenus ipse Festi, apud quem *quamde* exstat, succurrit codex exhibendo *quāde*, p. 260 Müll. quod in utramque partem explicari potest. Ceterum ad eandem normam passim scriptum reperitur *iandudum* (v. ad II, 40 init.). Quid? quod QVANDIV in Testamento Dasum. col. II. exstat. Quam scribendi ratio-

bus; ab eis autem principes aut populei, a quibus aut factiones aut tyrannei: nec diutius umquam tenetur eidem reei publicae modus.

XLV. 69. Quod ita quom sit, ex tribus primeis generibus longe praestat mea sententia regium: | regio p. 134 autem ipsei praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optumeis rerum publicarum modeis.

nem, quandoquidem ambae voces in unam coalescunt, ego quidem non improbarem. Eadem assimilationis lege in Iustini XI, 6 extr. Codd. Gissensis et Marburgensis optimi, teste Ottone, exhibent *adeundefecit* pro *ad eum defecit*. Quod vero Cornutus et Caesellius apud Cassiodorium p. 2285 et 2314 Putsch., quorum illum hic exscripsit, atque Isidorus Orig. I, 27, qui rursus Cassiodorium expilavit, praecipiunt *tamtus*, *quamtus*, *quamtitas* scribi debere, quorum *quamtus* notavi ex cod. fragmenti Cic. or. de aere alieno Milonis in Maii Auct. cl. T. II. p. 217, id etsi gravis istorum grammaticorum alioquin auctoritas est, tamen potius ex scholae umbra quam ex ipsa usus consuetudine, a qua ista repudiantur omnino, petitum videtur. Denique advertamus *dumtaxat*, quod cur *m* inmutatum servarit, explorare studuimus ad II, 32.

ab regibus] Fortasse *b* est expuncta. Maivs. Passim *ab* ante *r* reperitur. Arat. Phaenom. 22: *ab regione*. De *ab re* v. Handii Tursell. T. I. p. 6.

eis] Vulgo *iis*.

autem] Erat quum mihi quoque arrideret, quod ex m. 1 Orellius, quem vide, suscepit *aut*. Moserus coni. *autem aut*.

aut tyrannei] Expilat Cicero Polybium VI, 8 seq. Maivs ed. alt.

umquam] Vulgatum ex Cod. *unquam*. V. modo monita ad *tamquam*. Nobb. *umquam*.

eidem] Vulgo *idem*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

ex tribus primeis] Ita cum Heinr. [qui quum *e* edidisset, in notis se *ex* nunc malle postliminio monet] scripsi ex mente Cr. Neque enim satisfacere potest, quod ait Lehnerus *tribus primis* esse i. q. in tribus primis. Ita enim non facile aliquis intelligat, si dicitur *tribus primis generibus praestat regium*, fiet potius, quod accidit interpreti Gallico Villem. qui vertit: *préférable aux trois autres formes*. Moservs. Accesserunt Orell. et Zell. Cum Maio, scilicet Codicem secuti, praepositionem omittunt Steinack. et Nobb.

regium] Scipionem exhibet nobis aristocraticum etiam Polybius XXIV, 9. Quin adeo Dio LII, 13 aperte dicit Scipionem ob adfectatam tyrannidem fuisse occisum. Iam est Homeri notissimum illud *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω*. Sic diserte censet Plato (ut huius unicum locum laudem) in politico p. 302, non sine tamen optimis legibus, *μοναρχία ζευχθεῖσα μὲν ἐν γράμμασιν ἀγαθοῖς, οὓς νόμους λέγομεν, ἀρίστη πασῶν*. Apud Isocratem quoque in Nicocle monarchia ceteris politiae generibus studiose praefertur; itemque apud Plutarchum in brevi scripto de unius in rep. dominatione. De monarchiae praestantia totus est Stobaei sermo XLV. Sed enim cumulare de tam celebri re scriptorum testimonia, abutentis otio est. Maivs ed. alt.

optumeis] Zachariae l. l. p. 99 suspicatur legendum esse *primis*, ut paulo inferius est *quod et illa prima*. Ego vero nullam desidero cor-

Placet enim, esse quiddam in re publica praestans et regale; esse aliud auctoritatei principum patrum adtributum; esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum „habet aequabilitatem quandam magnam, qua carere diutius vix
p. 163 **possunt libe|rei, deinde firmitudinem.“** Quod et illa

rectionem et *optimis* dictum puto pro *probabilibus*, videlicet qui opponuntur improbabilibus etc. Moservs. Immo *primis* prorsus otiosum hic fuisset, quum nemo ignoret haud alia ac prima illa genera, quae modo appellarat Cicero, hic dici. Zachariae correctionem probabilem quidem, nec tamen necessariam esse ait Ianus van Persyn Diss. de politica Ciceronis doctrina, p. 47. Vulgo *optimis*.

aliud] Ex Cod. Maius *aliut*. Heinrichio ut reponatur *aliquid* necessarium visum. Recte fortasse.

auctoritatei etc.] Ed. pr. ex coniectura *auctoritate principum partum ac tributum*, quum in Cod. esset *partium*, quod Maius nunc de loci restitutione, ut videtur, desperans revocavit, sensu plane destitutum. Heinrichius, repetita olim Ed. pr. lectione, sed asterisco notata, nunc Ciceronem pro sapientia eius negat alio modo scribere potuisse quam hunc in modum: *auctoritati principum impartitum ac tributum*, quae etiam Doederleinii coniectura fuit. Ed. pr. scripturam expresserunt Nobbius et Zellius; probarunt etiam Schütz. Lehn. Zachariae, Birgerus Thorlacius Progr. acad. Havn. 1824, Moserus, sed hi *auctoritate* in *auctoritati* mutato. Mosero praeterea, re iterum considerata, legi posse videbatur *esse aliud auctoritati principum partium attributum*, in quam lectionem etiam Wolffius inciderat, vel etiam *esse aliquid auctoritatis principum partibus attributum*: in quibus nihil probabile nisi *attributum*, vel potius quo propius ad Codicis scripturam accedamus, *adtributum*. Aliam viam inivit Steinackerus, qui, quum Hermanno adstipulante vulgasset *auctoritate principum partitum ac tributum*, quod Orellius suscepit et mihi quoque olim admodum placuit, nunc vero, sententia mutata, Animadv. in Cic. de rep. p. 9 scribi vult *auctoritati principum ac patrum tributum*, in qua lectione valde displicere synonymorum iuncturam, monui Zeitschr. f. d. Alterth. 1841. No. 48. p. 399. Igitur dedi quod huic quidem lectioni simile, tamen si codicis vestigia spectes, lenius et sensui loci haud minus convenire tibi videbitur, *auctoritatei principum patrum adtributum*. Ac multo melius iam, quum *patres* optimatium loco appellantur, *auctoritatis* mentio habet, quandoquidem propria ea est patrum. *Principes* autem *patres* eodem modo iunguntur, ut *principes civet* supra, c. 26 et 27, coll. de N. D. II, 67, vel *principes patroni*, Brut. 66 et 92.

servatas] Moser. coni. *reservatas*.

quandam] *Quandam* addidit 2 manus; habet et Nonius. Maivs. Nobb. *quamdam*.

firmitudinem] Locum e I de rep. citat Nonius v. *firmitudo*. Maivs. In sequentibus cum Mosero Zellioque Heinrichii adoptavi posituram, quum Maius, nulla omnino post *firmitudinem* posita interpunctione, post *novis* punctum posuisset: quem cum Steinackero (hic tamen post *firm.* saltim comma inseruit) secutus est Nobbius. Aliter Orellius, non satis perspicue. Desiderabat initio periodi Creuzerus *Quod autem illa*, idemque Moserus, vel hic *Quod enim illa*. De iunctura membrorum per

prima facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optumatibus factio, ex populo turba et confusio, quodque genera ipsa generibus saepe conmutantur noveis, hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione reei publicae non ferme sine magneis principum vitieis evenit. Non est enim caussa conversionis, ubei in suo | quisque est gradu firmiter p. 164 collocatus, et non subest quo praecipitet ac decidat.

XLVI. 70. Sed vereor, Laelei, vosque homines amicissumei ac prudentissumei, ne, sei diutius in hoc genere verser, quasei praecipientis quoiusdam et docentis, et non vobiscum simul considerantis esse videatur oratio mea. Quam ob rem ingrediar in ea, quae nota sunt omnibus, quaesita autem a nobeis iamdiu. Seic enim decerno, seic | sentio, seic adfirmo, nullam Q. XIII. omnium rerum publicarum aut constitutione aut discri- p. 177

et — que (*quod et — quodque*) adi Heinrichium et Handium Tursell. T. II. p. 529. Conferri iubet Otto Acad. I, §. 37. ad fam. II, 1, 2. I, 5, B. §. 1.

exsistat] Heinr. *existat.*

optumatibus] Vulgo *optimatibus.*

conmutantur] Ita ex Cod., qui m. 1 *conmutamtur*, Maius: ceteri *comm.*

noveis] Cod. 1 m. *nobis.*

conformatione] Ita ex Maii coniectura, omnibus recepta ideoque a me quoque recipienda. Cod. aperto mendo *conmutatione*, quod Otto collato II, 4 frustra studet defendere. Orellius coni. *constitutione*, quod valde placet.

vitieis] Ita cod. 2 manu; at 1 *vitis.* Maivs.

Non est enim caussa etc.] His apte contulit Censor ed. Lehnerianae in Paedag. philol. Litteraturblatt 1826. Sect. II. No. 22. p. 186 Polybii illa VI, 10, 7: *ἵνα μηδὲν αὐξανόμενον ὑπερ τὸ δέον εἰς τὰς συμφυτεῖς ἐκτρέπηται κακίας· ἀντισπωμένης δὲ τῆς ἑκάστου δυνάμεως ὑπ' ἀλλήλων, μηδαμοῦ νεύῃ, μηδ' ἐπὶ πολὺ καταῤῥέπῃ μηδὲν αὐτῶν, ἀλλ' ἰσοῤῥοποῦν καὶ ζυγοστατούμενον ἐπὶ πολὺ διαμένῃ κατὰ τὸν τῆς ἀντιπλοίας λόγον ἀεὶ τὸ πολίτευμα.* Ceterum iuncturae *non est — et non* simile illud or. pr. Milon. 31: *neque in his corporibus . . . inest quiddam, quod vigeat et sentiat, et non inest*, ubi Orellius in repetitione Garat. edit. confert de fato 8. Vulgo *causa*; mecum Nobb.

decidat] Iosephus apud Damasceni parallela p. 556. *Τὸ μηδένα ἀδικεῖν, ἀλλ' ἰσότητι τιμᾶν, ἰσχυρὰ δύναμις.* Confer Platonis verba apud nos p. 112. n. 2. Maivs ed. alt.

amicissumei] Vulgo *amicissimi* et mox *prudentissimi.*

quoiusdam] Vulgo *cuiusdam.*

simul] *Simul* superadditum est in codice. Maivs.

adfirmo] Ita ex Cod. Maius: reliqui praeter Steinack. *aff.*

ptione aut disciplina conferendam esse cum ea, quam patres nostrei nobeis acceptam iam inde a maioribus reliquerunt. Quam, sei placet, quoniam ea, quae tenebatis ipsei, etiam ex me audire voluistis, simul et qualis sit, et optumam esse ostendam: „expositaque
p. 178 „ad exemplum nostra re publica, accommo|dabo ad „eam, sei potero, omnem illam orationem, quae est „mihei habenda de optumo civitatis statu.“ Quod sei tenere et consequei potuero, cumulate munus hoc, quoi me Laelius praeposuit, ut opinio mea fert, effecero.

XLVII. 71. Tum Laelius: Tuum vero, inquit, Scipio, ac tuum quidem munus. Quis enim te potius

discriptione aut disciplina] Cod. *discriptionem aut disciplinam*; sed mox ibidem expuncta utraque *m*. Tum in priore vocabulo fortasse est refectum *de* pro *di*, Maivs, quem Schütz. solus secutus est; ceteri *descriptione*. Eadem vox infra II, 22 sine ulla vitii suspicione recurrit, insuper reperta in titulo haud multum post Augustum inciso ap. Ritter Elem. gramm. Lat. p. 101, ubi est DISCRIPTIO PARTIVM. Praeterea in SC. apud Grut. p. 207, 13 exstat TRIBVTIMQVE DISCRIPTOS. Adde codicem optimum Orationis pro Sextio, in quo legitur *discriptionem*, teste Halmio in sua eius orat. editione p. 323. Adde quod Lipsiensis codex praestantissimus Manilii IV, 732 *discripta* suppeditat, qua de lectione, ut de tota hac re, iniquius iudicat Stoeberus ad Manil. Praef. p. 15.

optumam] Vulgo *optimam*, ut mox *optimo*.

nostra re publica] Cod. *nostrae reip.*, quod Niebuhrii monitu correxit Maius, insuper confirmatum loco II, 39, licet illam scripturam etiam Nonius servet.

potero] Ex Cod. Maius *potuero*, quod editores, si Heinrichii, qui cum Steinackero *potero* dedit, disputationem de discrimine futuri simplicis et exacti peracutam diligenter expendissent, recipere veriti essent. Ac *potero* Nonio debemus, in quo eo facilius mansit immutatum, quo minus illic evenire poterat, quod in continua oratione accidit, ut *potero* ob proxime sequens *potuero*, cuius diversa ratio librarios fugiebat, in eandem formam transcriberetur.

statu] Citat locum Nonius v. *accommodatum*; sed cum varietate, nempe *expositamque* pro *expositaque*; *eam* pro *ad eam*; *potero* pro *potuero*. Codices Nonii Vaticani ab editionibus non discrepant [neque quidquam Guelph.]. Sed tamen τὸ *ad eam* scribitur manu alicuius viri docti in meo Nonii exemplari plantiniano, quam emendationem nunc vaticanus de rep. codex confirmat. Citat locum etiam Fronto [immo Arusianus Messius] ex I de rep. voce *accommodo*; sed scribit *omnium* pro *omnem illam*. Maivs ed. alt. At ex Gudiano Lindemannus p. 212 edidit *ad ea*, quod vitio tribuendum, et *omnem orationem*, omisso *illam*.

munus] Ita 2 manu; at 1 *minus*. Maivs.

tuum quidem] Ita cod. quae videtur confirmatio cum emphasi. Suspicabar tamen emendandum esse *aptum*. Quod autem negat Mose-

aut de maiorum dixserit instituteis? quom seis clarissumeis ipse maioribus: aut de optumo statu civitatis? quem | sei habemus, etsei ne nunc quidem, tum vero p. 155
quis te possit esse florentior? aut de consilieis in

rus repetitione vocabuli posse significari emphasim, mirum mihi est; et certe refutari videtur ab ipso Cicerone p. 103 [I, 38]. Maivs ed. alt. Heinrichio duce Moserus et Zellius *tuum quidem unius.* Steinack. *tu vero — ac tuum quidem*, probantibus Wolffio, Bakio et Beiero Päd. phil. Litthl. 1826. No. 22. p. 192. Cum Censore Ienensi Lehnerus *ac totum quidem.* Ego cum Maio, Nobbio et Orellio, qui quidem locum in corruptis refert, Codicis scripturam retineo, quum cuique pronominis iterationi vis sua sit, praesertim nostro loco, quo *quidem*, quam particulam intpp. neglexisse videntur, pronomini eo consilio adiectum, ut eius vis, praesertim interposita Scipionis invocatione, etiam magis extollatur significeturque, Scipionis prae ceteris illud munus esse. Non plane eiusdem, sed similis tamen conditionis sunt illa Ep. ad fam. XI, 5: *Tuum est hoc munus, tuae partes.* Sed varii et diversi generis haec anadiploseos (v. Zonaeus in Boissonad. Anecd. Gr. T. III. p. 313) exempla, quorum vix unum alteri ad amussim simile.

aut de] Cod. *aude* crasi facta ob similes sonos. Sic et inferius; quamquam ibi mox emendatum fuit *aut de.* Maivs. Mox vulgo *dixerit.*

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum.* Item mox.

clarissumeis] Vulgo *clarissimis* et mox *optimo.*

etsi ne nunc quidem] Subintellige *habemus.* Negat autem hac veluti parenthesi Laelius suo tempore statum esse optimum civitatis romanae, praesertim ob turbas gracchanas. Maivs. His idem in Add. ed. alt. p. 385 adiicit: „Sic idem Cicero de off. I, 11: *remp. optimam nunc non habemus.*“ Est locus ex difficilioribus explicatu, quem de sensu securi editores praeter Schuetzium tantum non omnes silentio praeterierunt. Huic sententia haec postulari videbatur: *tum vero, te si sequamur, quis* (status) *possit esse florentior.* Quae coniectura de Censoris Ienensis Moserique sententia infelicissima est. Gravioris vero momenti videbitur ratio a Madvigio proposita Opusc. T. II. p. 281, illa verba non cum praecedentibus iungentis, sed ex seq. imperfectam dicendi rationem supplentis *quisquam est florentior.* Quod ut dici Latine possit, tamen vereor ne sententia exoriatur a mente scriptoris plane aliena. Nam agitur tum de futuro aliquo tempore, quo si haberemus optimum civitatis statum, licet ne nunc quidem quisquam florentior Scipione esset, eo florentior nemo esse posset. Quae occupatio rei futurae inepta mihi quidem videtur. At revera non agitur hic de futuro, sed de praesenti tempore, quod ex sententiarum nexu, quo totus locus continetur, facillime perspicitur. Ad tria enim temporis discrimina, praeteriti, praesentis, futuri, laudem Scipionis Laelius accommodat, videlicet Scipione neminem de optimo civitatis statu melius dicturum esse, primum de maiorum institutis, h. e. de praeteriti temporis conditione, quum clarissimis ipse sit maioribus; deinde de optimo civitatis statu h. e. praesenti, quem liceat interim optimum habere, etsi ne nunc quidem optimus sit, optimo tamen proximus; denique de consiliis in posterum providendis, h. e. de salute rei publicae postero tempore sive augenda sive servanda. — Pro *ne nunc quidem* Moserus Add. *nec n. q.*, Wolffius *non n. q.* scribi maluerunt.

tum vero] Cod. [1 manu] *tunc.* Retine propter *vero*, τότε δή. Otto.

posterum providendeis? quom tu, duobus huius urbis terroribus depulseis, in omne tempus prospexseris.

LIBRI I. DE RE PUBLICA

FRAGMENTA INCERTAE SEDIS ALIUNDE REPETITA.

Sed quoniam plura beneficia continet patria, et est an-

terroribus] Eiusdem vocis pluralis exstat Or. pro Murena 28, 58. Aliarum exempla ex Tullio collegit Schneider in Iahnii Jahrb. 1845. Vol. XLIV. p. 440.

prospexseris] Cod. *esse prospexeris*; sed ibidem mox expunctum fuit *esse*. MAIVS. Quod in *esse* latere suspicatus est Steinackerus *ei*, id Moserus in textum suscepit: quo omnino non opus videtur, praesertim, recte monente Heinrichio, in sententia alioquin satis clara. Vulgo *prospexeris*.

prospexseris] Liber explicit, relicto in pagina puro laterculo, in quo tamen extant evanida (praeter litteram .*M*.praenomen Tullii, quae littera est in codice paulo evidentior) vestigia tituli, quem veteres calci librorum subdere solebant. Is autem titulus similis esse debuit titulo secundi libri, qui perspicuus extat in eiusdem libri calce. Hic fuit igitur subscriptus titulus

.M. TULLI CICERONIS
DE RE PVBLICA
EXPLICIT LIBER I.

Constat hic liber quaternionibus XIII, et praeterea paginis tribus. Summa ergo paginarum CCXI. Desunt autem, ut suis locis notavimus, paginae LXXII; quarum tamen duas reparant huius libri fragmenta incertae sedis apud Nonium et Lactantium extantia. Ergo huius primi libri tertiam omnino partem desideramus. MAIVS. His in ed. alt. subiiciuntur haec: „Cl. Villemaenii suspicionem iniustam, quod prima operis lacuna minor fuerit, quam dicta a me fuit, iam ego dissolvi p. 29. n. 2 [I, 10]. Nunc vero magis miror suspicantem eundem ed. gall. p. 127 deesse aliquid huius libri clausulae. Atqui a me dictum fuit, iterumque necessario dicitur, nihil prorsus deesse; cessat enim in codicis media pagina scriptum, tum sequitur purum in toto folio reliquo spatium. Ipsa demum loci sententia haud plura verba desiderat. Denique quum ego ante librum II in monito perspicue dixerim, tres tantummodo adamussim versiculos, id est verba paucissima (quot ferme explent unum libri mei versiculum) deesse in secundi libri exordio, quam rem spatii vacui modulus demonstrat; nescio cur idem cl. Villemaenius ed. gall. p. 129 scribat: *le commencement de ce livre nous paraît présenter une lacune dont l'éditeur de Rome n'indique pas l'étendue.*"

Seic etc.] Fragmentum hoc citat ex Ciceronis libro I de rep. Nonius voc. *antiquus*. Ego vero vix dubito, quin vel ad hanc prohoemii lacunam [post cap. 3, ubi v. notata] id pertineat, vel ad tertii libri exordium. MAIVS ed. alt.

Seic] Ita [*sic*] Codd. Gerlachii. Vulgo *sed*.

plura] Non est, ut ait Moserus, Heinrichii correctio pro *plurima*: sed illud iam in Merceriana editione repositum, Gerlachiique codd. confirmatum.

tiquior parens, quam is quei creavit, maior ei profecto quam parentei debetur gratia. (Nonius v. *antiquus* p. 426.)

Nec tantum Karthago habuisset opum sexcentos fere annos sine consilieis et disciplina. (Idem c. de doct. indag. p. 526.)

Cognoscere me hercle, inquit, consuetudinem istam et studium sermonis. (Idem v. *cognoscere* p. 276.)

Profecto, inquit [Cicero], omnis istorum disputatio,

is qui] Vulgatur in Nonii exemplaribus *si qui*, quod pro *is qui* ex satis nota doctis elocutione poni annotat Mercerius et in utraque editione repetiit Maius. At Heinrichium secutus Moserus *qui*, deleto *si*, quod per metathesin litterarum pro *is* scriptum videtur, ut iam in Fragm. Cic. vulgatum atque Orellio probatur, etiam Beiero in Phil. Päd. Littbl. 1826. Sect. II. No. 22. p. 192. Quod vero his in quibusdam exemplaribus continuo subiicitur *ut aiunt*, merito nunc ut inane additamentum reiectum est: neque agnoscit Mercerius, neque Codd. Gerlachii; retinuit tamen Beierus l. c.

creavit] Ita et Merc. et Codd. Gerlachii atque etiam Maii, ut videtur, adstipulante Orellio. Alii *curaverit*, unde Heinr. effecit *creaverit*, quod suscepit cum aliis Moserus, probavit Beierus l. c. haud male, sed non melius recepta lectione.

Nec tantum etc.] Hic locus fortasse pertinet ad prohoemium, et quidem ad primam codicis lacunam, ubi commendaverat auctor rationem ac disciplinam civilem. Maivs. Horum loco in ed. alt. leguntur: „Verba haec recitari arbitror a Scipione Karthaginis victore. Intellige autem ipsius Karthaginis opes ante bellum punicum secundum; post quod nimirum illae iam conciderant. Nam si de universa aetate Karthaginis loqueretur auctor, dicendum erat *septingentos*, uti docent auctores a nobis lib. II, 23 in notis laudandi, ubi de aetate pereuntis eius urbis sermo erit."

sexcentos] Maius *sescentos*. V. ad cap. 37.

Cognoscere] Patricius ad h. l.: Alias legitur *cognosce*. Quid? si *cognoscite*, ut sint haec Scipionis ad eos, qui audiebant. Moservs.

me hercle] Variant codices et editiones *me hercle* et *me hercule*. Vix autem in uno vidi codice, et quidem interpolato, coniunctim *mehercule*. Maivs. Gerlach. *mehercule*.

sermonis] Ita *sermonis* habent Nonii codices vaticani sine varietate; at editiones [et Codd. Gerlach.] *sermonemque*. Maivs. Ex Guelph. certe *sermonisque* non affertur.

Profecto etc.] In bünemanniana Lactantii editione hae praecipuae proferuntur loci huius varietates: *ipsorum* pro *istorum*; *ne tantum* pro *ne non tantum*; *ne nisi* pro *ne non*; *quantam* pro *quantum*; *otiis* pro *otii*. Item omittuntur voces *utilitatis* et *quandam* in quibusdam *exemplaribus*. Confer etiam Patricii notas ad Tullii Hortensium. Maivs. Idem in nota subiecta: „Tullii hunc locum videtur mihi Lactantius sumpsisse vel abs prohoemio primi libri de rep. et quidem ex parte deperdita ante nostrum primum fragmentum; vel certe ex prohoemio libri de rep. tertii. Coniecturis his utor: I. quod Lactantius recitat hunc locum statim post alium prohoemii lib. I de rep. (quae verba retuli in notis ad cap. II); II. quod fit manifesta contentio philosophorum cum viris politicis, ut in praedictis utrisque prohoemiis. Credo igitur errasse Patricium, qui verba haec Lactantii coniecturaliter posuit in tulliani

quamquam uberrumos fonteis virtutis et scientiae contineat, tamen collata cum horum acteis perfectisque rebus, vereor ne non tantum videatur attulisse negotieis hominum utilitatis, quantam oblectationem quandam otei (Lactant. Inst. III, 16.)

A qua istei avocabant. (Arus. Messius Exempl. elocut. v. *avocat* p. 216. Lindem.)

Hortensii fragmentis, quum antea incerti operis fuisse fateatur. Ego tamen id frustum sic huic operi politico vindico, ut a nullo tulliani Hortensii fragmentorum sarcinatore accusari repetundarum aliquando velim." Quibus in ed. alt. subiiciuntur: „Ex contrario idem Lactantius inst. I, 1 ait: *ut non tam otium sibi, quam negotium quaesisse videantur.* Et sane Lactantius in praedicto operis sui exordio imitatur tullianum primi vel tertii, vel utriusque, de rep. libri prohoemium; id quod cuique legenti manifestum fiet." Heinrichium secutus Zellius frustum illud exhibuit in fragmentis sub calcem libri III, tertium; Nobbius in lacuna inseruit, quae eiusdem libri capite tertio exeunte exstat, ubi v. Maio notata.

inquit] Quod cum Maio quidam addunt *Cicero*, id certe uncis secludendum erat, quum absit a Lactantio, qui paullo ante sententiae auctorem attulerat; quod cum Heinrichio Zellium quoque fecisse video.

istorum] In Thysiana ed. *iustorum*, sed allata in notis altera lectione, nunc recepta. Mox vulgo *uberrimos*.

quantam] Ita cum Nobbio scripsi. Reliqui omnes *quantum*, quod usus dicendi respuit.

A qua etc.] Huc retuli fragmentum, quod hactenus in fragmentis librorum incertorum relatum fuit, propter disertam libri I notam, quam Lindemannus ex Gudiano cod. revocavit. Neque Maium acumen suum fefellerat, quum id ad exordium operis referendum suspicatus esset. Adscripserat enim olim haec, nunc repetita: „Puta: *a qua rep. administranda isti epicurei viros sapientes avocabant.* Ideoque fragmentum videtur pertinere ad operis exordium." Hoc certe indubium. Ceterum a Maio inde vulgatum *avocant*: repositum debetur Gudiano.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Hoc libro Africanus Catonis confirmat sententiam, Romanorum remp. ceteris praestare civitatibus, quod non subito unius hominis arbitrio, sed complurium deinceps virorum consilio, pietate et virtute sit constituta. Qua mente enarrat, quibus illa civitas auspiciis a Romulo condita sit, et quibus beneficiis, artibus praesidiisque ab eodem ceterisque Regibus aucta et firmata c. 1—22. tyrannidis impatiens, tandem excusso Tarquinii iugo, se in libertatem vindicaverit c. 23—27. Iam exposita tyrannidis natura c. 28—29. Scipio non minimae, qualem Plato cogitatione finxerit, sed maximae, quae vere fuerit, Romanorum civitatis imaginem adumbrando novam se disputandi viam ingredi profitetur. c. 30. Hinc, proposito P. Valerii Publicolae exemplo, paullo post Reges exactos quater Consulis, quanta primo tempore Senatorum, Consulum, Dictatorum auctoritas et quam modica populi libertas fuerit, paucis significat. c. 31. 32. Mox plebem acre alieno pressam et a patriciis vexatam, prima in montem sacrum secessione facta Cominio Sp. Cassio Coss. (a. 261. p. U. c.), plus iuris adeptam esse constituta potestate Tribunicia c. 33 sq. populum autem tanto tuendae libertatis studio flagrasse, ut Sp. Cassium regni appetentem ipse pater occiderit (a. 300. p. U. c.) et

LIBER II] In Cod. praemittitur *incipit*, quod cum Maio Moserus servavit, quasi hoc ab ipso Cicerone scriptum esset. Quidni etiam suscipiatur, a Maio adeo spretum, quod titulo in Cod. subiicitur *feliciter*, quod in residuis Codicis litteris quatuor E I I E inesse Maius ingeniose vidit? Nonnulli inepte *eie* dederunt, ne sic quidem Codicis scripturam plane exhibentes. Ceterum Cod. *Tulli*.

plebes potestatis decemviralis libidine exacerbata iterum (a. U. 304.) in montem sacrum secesserit c. 35—37. Iam enarrata rerum Romanarum historia, Scipio Tuberoni urgenti se de conservandae reipublicae rationibus disputaturum pollicetur c. 38 sqq. Nobbivs.

---

p. 275 I. 1. *Ut omnes igitur vidit incensos cupi*ditate audiendei, ingressus est seic loquei Scipio. Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexsei, maxsumeque sum admiratus, quoique vel patris utriusque iudicio, vel etiam meo studio me totum ab adulescentia dedidei; quoius me numquam satiare potuit oratio: tantus erat in homine usus reei publicae, quam et domui et mili-
p. 276 tiae quom optume, tum etiam | diutissume gesserat, et modus in dicendo, et gravitate mixtus lepos, et summum vel discendei studium vel docendei, et orationei

Ut omnes igitur vidit incensos cupi] Hoc Maii supplementum recepit Villem. quasi essent verba Ciceronis; receperunt item Sch. et Lehn. [adde Nobbium et Orellium]. Abiecit ea Steinack.; Heinr. autem [quem secutus est Zell.] eorum loco scripsit iisdem literis, quibus contextum Ciceronis *Hic cum omnes flagrarent cupiditate.* Respexit fortasse de Orat I, 30, 134 *vos — flagrare intelligo cupiditate* . . . Censor Lipsiensis (1824. 12. p. 90 seq.) hoc supplementum, quod ipse paulo longius esse fatetur, excogitavit: *(Cum igitur omnium oculos in se videret coniectos avidi-)tate audiendi*, coll. de Orat. II, 4, 16 etc. Mosgrvs. Quod commentus est Villemaenius, multo plura, quam vulgo putetur, hic excidisse, quippe quibus Cicero suo ipsius nomine disseruisset suasque res exposuisset, id et Codicis conditione et ipsa totius operis compositione reprobari, recte monuit Censor Gött. Anz. 1824. No. 131. p. 1310.

maxsumeque] Vulgo *maximeque*, et ante *dilexi*.

quoique] Vulgo *euique*, ut mox *cuius*.

patris] Ita cod. 2 manu: at 1 *matris*. Maivs.

adulescentia] Ita ex Cod. Maius; ceteri *adol*.

oratio] Catonis vim dicendi praefert Velleius I, 17 Scipionis et Laelii et ceterorum ante Tullium eloquentiae. Nec mirum, siquidem videbatur Sallustio *Cato romani generis disertissimus*. Cato idem appellatur *Demosthenes* apud Diodorum sicul. ed. Wessel. tom. II. p. 605. Catonianae orationis fragmentum insigne his annis ego ipse edidi cum Frontonis epistulis ed. rom. p. 150. Item aliud brevius p. 184. Maivs ed. alt.

domui] Vulgo *domi*.

quom] Ex Cod. *cum* vulgatum: Nobb. *quum*.

optume] Vulgo *optime*, ut mox *diutissime*.

lepos] Quae hac de Catonis virtute Maius olim disseruit, iis nunc addit consulendum esse Pighium ad an. DCXI.

discendei] Cod. *dicendi*. Sed scribendum esse *discendi* demonstrat ipse Tullius de rep. I, 8. 10. Item Nepos in Catonis vita. Maivs.

vita admodum congruens. 2. Is dicere solebat, ob hanc caussam praestare nostrae civitatis statum cetereis civitatibus, quod in illeis singulei fuissent fere, quei suam quisque rem publicam constituissent legibus atque instituteis | sueis; ut Cretum Minos, Lacedaemo- p. 277
niorum Lycurgus, Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo,

orationei] Ita [*orationi*] cod. 2 manu; at 1 *oratione*. Maivs.

caussam] Ita nos cum Nobb. Vulgo *causam*.

singulei] Cod. *singulis*; mox altera *s* ibidem expuncta. Maivs.

quei] Ita Cod. 1 manu *qui*; at 2 *quorum*, quod Maius quum olim suscepisset, nunc cum illo recte revocavit, praegressis ei in optanda et defendenda hac lectione editoribus omnibus, uno excepto Schützio. Otto: „V. Haase ad Reisigii Vorlesungen not. 338 [p. 325], qui tamen codicis a pr. m. nullam rationem habuit. Nostri loci simillimus est de inv. I, 3, 4: *dicendi assiduitas aluit audaciam, ut necessario superiores illi propter iniurias civium resistere audacibus et opitulari suis quisque necessariis cogerentur*. Contra est Off. I, 41, 147: *poetae suum quisque opus a vulgo considerari vult*. Sed in Philipp. II, 19, 48 praestantissimus cod. Vatic. exhibet *suam quisque domum tum obtinebant*. Alibi pluralis numerus cum pronominibus distributivis non cum plurali coniungitur apud Ciceronem, nisi in bipertita oratione, ut *uterque* Fin. II, init., ubi v. Madvig. *unusquisque* Verr. Act. I, 14, 41. II, 39, 95. IV, 57, 126. *quotusquisque* pr. Flacc. 41, 109. Cetera collectiva ita cum plurali iuncta sunt: *genus humanum* N. D. II, 6, 17. *natio* pr. Scauro §. 38. *Academia* Acad. II, 44, 135. *nemo* Tusc. I, 13, 30. *cornu* (exercitus) Galba Ep. ad fam. X, 30, 4. *cuncta Italia* pr. Mil. 15, 39. *multitudo* Fin. I, 7, 25. *alter alterum* Fin. III, 2, 8. *mille*, v. Klotz. in ed. mai. Cic. Vol. I. Praef. ad Milon. 20, 53." Alia plura Moserus, quem vide. Res apertissima sic habet. *Quisque* vel aliud quodque nomen, quod collectivam notionem habet, quum secum genitivum habet, unum fit de pluribus et vi sua collectiva ita privatum, non potest non post se trahere singularem verbi, contra subiecto praecedente in eodem casu appositionis loco subiicitur et exuit suam verbum regendi vim. Loco de off. I, 41, 147 supra posito, qui unus obstare videtur, sanando succurrit Cod. Basileensis *volunt* exhibendo, quod unice probum.

instituteis] Postrema haec verba repetuntur, moxque expungantur in cod. Maivs.

Lacedaemoniorum] Solus Maius ex Cod. *Lacaedemoniorum*, ut supra.

quae] Cod. *q.* nempe *que*, sed mendose. Maivs.

Solo] Solonis nomen hoc uno loco in Ciceronis, qui nunc exstant, libris nominandi casu legitur. Hanc vero eius formam Ciceronianam esse, neque vero *Solon*, recte suspicatus est K. L. Schneider. Gr. Lat. (Formenl. I. p. 276) laudans I. F. Gronov. ad Senec. Agam. 514 p. 581 ed. Schroed. et Iacob. Gron. ad Tacit. Ann. III, 26 p. 292. Oberl. Mosravs. Adde Meyer. ad Quintil. I, 5, 60. AMPHIO lapis in Melchiorrii Silloge d'iscrizioni ant. inedite p. 53. *Polemo* apud Ciceronem, de quo v. Madvig. ad Fin. IV, 18. p. 565. Eundem horum nominum Graecorum usum apud Latinos ex poetarum exemplis comprobare studuerat Bruncklus ad Virg. Aen. VIII, 505. p. 433. Adde Heindorfium ad Horat. Serm. II, 3, 254, poetas utramque formam sine discrimine originis pro

tum Clisthenes, tum multei alii; postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius: nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed ali-
p. 278 quot constituta saeculeis et aetatibus. Nam | neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu

arbitrio admisisse scite monentem. Itaque incertum in Enniano versu ex Telamone p. 222. Hessel. utrum scribendum sit

Hicine Telamon ille est, modo quem gloria ad caelum extulit,

an *Telamo*, quod vetustus quidam, ut ait Columna, liber habet. Plane vero eximendus est Plaut. Capt. III, 4, 30, ubi Bosscha vulgatam secure repetiit:

Et quidem Alcmaeo, atque Orestes et Lycurgus,

quum, ipsis codicibus postulantibus, rescribi oportuisset, quod rescripserat iam Bothius, *Alcmaeus*. Quod paullo ante in Codice exstat *Draco*, id, quamquam Graecis genitivus est *Δράκοντος*, v. Aristot. Polit. II, 9 fin. Xenarch. ap. Athen. XIII. p. 569 D, eo lubentius repetii, quo eadem forma certius recurrit de orat. I, 44, 197, qui locus dignus omnino qui cum nostro conferatur: *Perspiciatis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod, quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, et Dracone, et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne ius civile, praeter hoc nostrum, inconditum ac paene ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus, et maxime Graecis, antepono.* Praeterea Cicero etiam *Callipho* dixit, de quo v. Heusing. ad Off. III, 33, 16. Sed vereor ne, quod obiter adiicio, antiquissimi Graeci genitivum nominis illius proprii *Δράκωνος* dixerint; quandoquidem quod Choeroboscus in Bekkeri Anecd. p. 1199 tradidit, Aeolenses genitivo *Δράκονος* dixisse, id malo ad solam correptionem vocalis proprie producendae referre. Neque caussa latet, cur posthac Graeci nomen illud maluerint ita proferre, ut a *draconte* nihil differret.

doctus vir] Brut. 9 dicitur Demetrius *eruditissimus*.

Demetrius] De reip. atheniensis magistratibus et varietatibus virisque praedictis Pollux libro octavo; Suidas v. *ἡγεμονία*; Polybius VI, 44; Gellius XI, 18. Plinius VII, 56; Pausanias I, 3; Laertius in Demetrio; praesertimque Corsinius fast. att. dissert. I.; et Meursius in antiquitatibus atticis. De varietatibus autem politiae romanae copiose Prudentius contra Symmachum II, 412 sqq. Item de institutis romanis mutatis legatur Arnobius II. p. 91. ed. Lugd. Batav. Maivs ed. alt.

aliquot] Cod. *aliquod*. Licet autem interdum retinuerim *d* pro *t*, tamen heic erat vitanda vocabuli molesta ambiguitas. Maivs.

exstitisse] Maius *extitisse* ex Cod., quem Heinr. secutus est.

conlata] Ita cum Cod. Maius; ceteri *coll.*

ac vetustate. 3. Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populei originem; lubenter enim etiam verbo utor Catonis. Facilius autem quod est propositum consequar, sei nostram rem publicam vo- p. 287
beis et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam ostendero, quam sei mihei aliquam, ut apud Platonem Socrates, ipse finxsero.

II. 4. Hoc quom omnes adprobavissent: Quod habemus igitur institutae reei publicae tam clarum ac tam omnibus notum exsordium, quam huius urbis condendae principium profectum a Romulo? quei patre Marte natus; concedamus enim famae hominum, prae- p. 288
sertim non inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus proditae, bene meritei de rebus communibus ut genere etiam putarentur non solum esse ingenio di-

vetustate] Ep. ad div. X, 10: *quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate coniuncti*, i. e. vetusta necessitudine. Cf. XIII, 32.

originem] Ex coniectura sua, Zellio probata, Moserus edidit *origines*, cui, monente Orellio, id obstat, quod Cato librum suum *Origines* ideo inscripsit, quia in eo *originem* singularum Italiae civitatum, non unius populi Ro. persecutus erat.

lubenter] Vulgo *libenter*, ut mox c. 2.

autem] *Autem* superpositum est in codice. Maivs.

ut apud] Cod. 1 manu *multa*, mendose; tum id deletum, substitutumque *ut aput*. Maivs. Hic solus *aput* servavit. Mox vulgo *finxero*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*. Item paullo infra et mox.

adprobavissent] Ita ex Cod. Maius; ceteri praeter Steinack. *appr.*

igitur] De coniectura sua in textu continuo *inquit* subiecerunt Moserus et Nobbius, quos cum Orellio Zellius secutus est. Non male illi quidem; sed sine necessitate.

publicae] Delendum videbatur Doederleinio, teste Zellio.

exsordium] Vulgo *exordium*.

bene] Cod. *ut bene*; mox expunctum *ut* propter aliud sequens. Eleganter autem emendator prius *ut* potius quam posterius eiecit. Maivs.

non solum esse ingenio] Non sine caussa Moserus in prava hac verbi *esse* sede offendit: nec tamen tanta mea offensio est, ut Mosero adstipuler, qui cum Schützio *ingenio esse* suscepit, quippe quam translationem verbi sonus et vis oppositionis requirant. Rariore omnino dicendi ratione Cicero hic usus est, quum formulam *non solum — sed etiam* ita inverteret, omissa, ut par erat, particula adversativa: *genere etiam — non solum ingenio*. Ep. ad Att. II, 21: *ut ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat*. Quo loco collato si haereas in *etiam* voci *genere* postposito, tu suspicione mendi liberabere inspecto Off. III, 19, 77: *Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat*.

vino; is igitur, ut natus sit, cum Remo fratre dicitur ab Amulio, rege Albano, ob labefactandei regnei timorem ad Tiberim exponei iusssus esse: quo in loco quom esset silvestris beluae sustentatus uberibus, pasto-
p. 289 resque eum | sustulissent et in agrestei cultu laboreque aluissent, perhibetur, ut aduleverit, et corporis viribus et animei ferocitate tantum ceterels praestitisse, ut omnes, quei tum eos agros, ubei hodie est haec urps, incolebant, aequo animo illei lubenterque parerent. Quorum copieis quom se ducem praebuisset, ut iam a fabuleis ad facta veniamus, oppressisse Longam Albam,
p. 290 validam urbem et potentem | temporibus illeis, Amuliumque regem interemisse fertur.

ut natus sit] Hic comma posui, quod editores ad unum omnes demum post *fratre* ponunt, invita sententia. Nihil enim attinebat commemorare Remum simul cum Romulo natum; praeterea etiam *fratre* tum male adiectum.

Amulio] Ita 2 manu; at 1 *Amulo*. Maivs.

beluae] Heinr. et Nobb. *belluae*, licet ille supra I, 18 *beluae*, ad quem locum v. notata.

perhibetur] V. de huius vocis usu Ciceroniano egregie disputantem Madvig. Opusc. p. 200 et ad Fin. p. 163. Est antiquum et poeticum vocabulum significans plerumque cum laude commemorare, quod h. l. variandae orationis causa esse usurpatum patet e reliquis *dicitur*, *fertur*. Otto.

aduleverit] Vulgo *adoleverit*. V. ad I, 10.

urps] Vulgo *urbe*. V. ad c. 5.

ut iam] In Cod. est *ut et iam*, ut dedit Maius et post eum Sch., quamquam nusquam dixit Cic. *et iam* pro *etiam iam*, et neque sic intellectum illud *et* locum habet. Lehnerus coniunctim scripsit *etiam*, quod otiosum est. Sine dubio *δεύτερα* Maii *φρόντιδες* erant *σοφόντερα*, dicentis: immo *et* delere praestaret. Et deleverant ante nos Heinr. et Steinack. Moservs. Delevit Zell.; uncis coercuerunt Nobb. et Orell.; retinuit Maius ed. alt.

Longam Albam] Hoc ordine Cicero eur dixerit *Albam Longam*, ego quidem non exputo. Item Liv. I, 3 *Longa Alba*, sed paullo post *Alba Longa*.

et potentem] Cum in Cod. scriptum fuerit *vel potentem* [quod deinde in *et* mutatum videtur] suspiceris, utrumque vocabulum glossam esse vocis *validam*, ideoque eiiciendum. Utrumque si servaveris, *validam* de urbe intelliges loco operibusque munita. Fieri etiam potest, ut scriptum fuerit *ut temporibus illis* i. e. pro temporum illorum ratione. Crevzervs. Otto, qui *vel* sensu *adeoque* per gradationem dictum et sic defendendum censet, „Creuzerus, inquit, suspicatur *ut temp. illis*, quo complemento non opus est. Vide Ellendt. ad Brut. p. 26 ad §. 28." Recte cum Maio ceteri omnes *et pot.*, neque omnino patet, quo modo in re perspicua oriri potuerit glossa talis; neque *potentem* post *validam* otiosum est.

III. 5. Qua gloria parta, urbem auspicato condere, et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam. Urbei autem locum, quod est ei, quei diuturnam rem publicam serere conatur, diligentissume providendum, incredibilei opportunitate delegit. „Neque enim ad „mare admovit, quod ei fuit illa manu copieisque fa- „cillumum“, ut in agrum Rutulorum Aboriginumve| p. 157 procederet: aut in ostio Tiberino, quem in locum multeis post anneis rexs Ancus coloniam deduxsit, urbem ipse conderet; sed hoc vir excellentei providentia sensit ac vidit, non esse opportunissumos situs maritumos urbibus eis, quae ad spem diuturnitutis conderentur atque inperei. 6. Primum quod essent urbes maritumae non solum multeis periculeis oppositae, sed etiam | cae- p. 158 ceis. Nam terra continens adventus hostium non modo

parta] Cod. *partam*; sed mox *m* expuncta. Maivs.

urbem auspicato etc.] Respicit hunc locum, nominato auctoris opere, Anonymus MS. in Cic. de inv. I, 5, mox a me vulgandus.

illa manu] Non opus esse ut cum Creuzero *cum* suppleatur, monuit Handius Tursell. T. II. p. 152.

facillumum] Locum ex II de rep. citat Fronto [Arus. Messius] exem. eloc. voc. *admovit*, omissis tamen verbis *illa manu copiisque* tam in codice mediolanensi, quam in quatuor vaticanis. Maivs. Omittuntur etiam in codice Liademanni. Neque mirabilis illa omissio, quum ea verba minime ad rem, de qua grammaticus agebat, pertinerent. Vulgo *facillimum*, ut ante *diligentissime*.

Aboriginumve] Postrema sex verba repetuntur in codice, tum expunguntur. Et quidem priore loco legitur *Aboriginumque*. Maivs. Hoc Schützius. Mox vulgo *rex* et *deduxit*.

ipse] V. *ipse* Romulus opponitur Anco. *Ipso* Creuzeri suspicio. Si quid mutandum, praeferrem *urbem ipsam* coloniae oppositam. Orellivs.

providentia] Cod. *providentiam*, sed *m* fortasse expuncta. Maivs.

opportunissumos] Vulgo *opportunissimos* et mox *maritimos*, et *maritimae*, et *maritimus*.

atque] Omittit Schütz. Maius ex Cod. *adque*.

inperi] Ex Cod. Maius *inperii*. Ceteri *imperii*. Maii notae huic vocabulo subiectae nunc in ed. alt. adduntur haec: „Platonis doctrinam recitat etiam Eusebius praep. ev. XII, 48, ubi observat urbem Hierosolymorum a mari satis remotam in agro feraci fuisse sapienter conditam. Utilitates urbis mediterraneae prae maritima late edisserit item Appianus punic. 86 sq. sed rhetorico more ac prope ridicule in re tam seria tamque gravi Poenorum calamitate, quum de transferendis ad mediterranea loca civibus mandatum populi romani acerbissimum denunciaretur.“

caeceis] Cod. *caecitatis*; sed mox ibidem emendatum *caecis*. Maivs. Biondius *casibus*, Krarup l. l. p. 24 *caecitatis* (nimirum a monstroso

exspectatos, sed etiam repentinos, multeis indicieis et quasei fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat. Neque vero quisquam potest hostis advolare terra, quein eum non modo esse, sed etiam quis et unde sit, scire possimus. Maritumus vero ille et navalis hostis ante adesse potest, quam quisquam venturum esse suspicarei queat. Nec vero, quom venit, prae
p. 167 se | fert, aut quei sit, aut unde veniat, aut etiam quid velit; denique ne nota quidem ulla, pacatus an hostis sit, discernei ac iudicarei potest.

IV. 7. Est autem maritumeis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum: admiscentur enim noveis sermonibus ac disciplineis, et inportantur non merces solum adventiciae, sed etiam mores, ut nihil

verbo *caecitare*), uterque a Mosero Symbol. cr. in Cic. III. p. 23 refutati. Krarupii commentum item exagitat Orellius Anal. T. IV, 2. p. 595. insuper addens: „Qui pertinacius *caecitatis* defendet, is dicat potius esse ipsum genitivum singul. supplendumque *periculis*.“ De usu verbi *caecus* passivo, de quo v. item Moserum, conf. Drakenb. ad Sil. V, 3

exspectatos] Cod. primum *expeotatur*; mox emendatum *expectatos*. Maivs. Plurimi cum Maio *exp*.

multeis] Ita emendatum in cod., quum primum fuisset *multum*. Maivs.

indicieis] Ita [*indiciis*] fortasse cod. 2 manu; at 1 *indicis*. Maivs.

ipso] Creuzerus susp. *ipsa*, h. e. sua sponte.

esse] Hoc ut sanum credam, non mihi persuadent neque Creuzerus qui allato cap. 9, cuius loci diversa est ratio a Mosero ibi exposita, pro *adesse* dictum censet, neque Moserus, cui pro *hostem esse* positum videtur, quod obscurius dictum, dum nulla caussa erat quo minus Cicero id scriberet, quod scribere deberet quodque scripsisse eum suspicor, *adesse*.

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

quei sit] Plane assentior Mosero, de hac m. 2 lectione recepta, ita statuenti, Ciceronem, ubi utrumque dicere licuerit, *quis* vel *qui*, sequente littera sibilante ad evitandum sibilantium concursum praetulisse *qui*. *Quis* ex m. 1 susceperunt Heinr. et Steinack.

ne] Cod. *ne ne*, tum prior particula expuncta; nisi *forte* eam transferre licet, ut fiat *pacatusne an*. Confer de rep. I, 19. Maivs.

maritumeis] Vulgo *maritumis*.

demutatio] Non dubitavi restituere post Hein. Stein. et Lehnerum [quos ceteri secuti sunt] hanc primae manus scriptionem, ut sit mutatio in peius etc. Moservs. Maius Cod. 1 m. *mutatio* ediderat idque in altera ed. rursus dedit, sed repetita nota sua, qua sibi *demutatio* praestare dixerat: qua de voce Otto conferri iubet Doederlein. Syn. Lat. T. III. p. 269. Krebsio Antibarb. Lat. v. *demutatio* legendum videbatur *corruptela atque mutatio*.

inportantur] Ita Cod. Maius: ceteri *imp*.

possit in patrieis instituteis manere integrum. Iam p. 168
quei incolunt eas urbeis, non haerent in sueis sedibus, sed volucrei semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius: atque etiam quom manent corpore, animo tamen excursant et vagantur. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Karthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandei cupiditate et navigandei et agro- Q. XIV. p. 227
rum et armorum cultum reliquerant. 8. Multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus subpeditantur marei, quae vel capiuntur vel inportantur: atque habet etiam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas inlecebras multas cupiditatum. Et quod de Co-

patrieis] Ita [*patriis*] cod. 2 manu; at 1 *patris* cum crasi. MAIVS.
urbeis] Vulgo *urbes*. V. ad I, 34 *civitatium*.
sedibus] Ita cod. 2 manu; at 1 *saedibus*. Sane alibi vidimus *saepiuntur*, neque obstat prosodia. Videtur etiam supra *saedibus* scriptus alius versus, et mox deletus, vel posteriore aetate abrasus. MAIVS.
atque] Ex Cod. Maius *adque*.
quom] Alii cum Maio ex Cod. *cum*: alii *quum*.
excursant] Cod. *excurrant*; mox factum *excurlant*. Recole lib. I, 5, ubi observatum est, eos qui *r* exprimere non possunt, pronunciare *l* aut *s*. Ceteroquin prudenter cl. Osannus epimetr. II ad lexic. gr. [p. 184], nec non cl. Moserus monent heic scribendum *excursant*; si certe posteriorem lectionem sequamur. MAIVS ed. alt. Maius etiamnunc retinet cum ceteris omnibus editoribus ipsoque Mosero *excurrunt*, quod quum non leniore mutatione procedat quam qua *excursant* effeci, non vidi caussam, cur non id reponerem, quod vel ob vocis novitatem librariis offensioni fuisse poterat, nunc vero etiam Krarupio comprobatum.
ulla] Ita cod. 2 manu; at 1 *ullae*. MAIVS. Nimirum mox 2 m. *pervertit*, 1 *perverterunt*. Pluralem praeferebat Krarupius, Orellio Anal. Cic. T. IV, 2. p. 595 probatum, non ferendum illum ob seq. *error ac dissipatio*, quae una res est.
Karthaginem] Ex Cod. Maius per *C*, et sic reliqui omnes. V. ad I, 1.
error] Errat Moserus, qui hoc vocabulum hoc uno loco sic pro erroribus, *Irrfahrten*, poni putat. Cfr. in Verr. IV, 49, 108. OTTO.
cultum] Schütz. *culturam*.
reliquerant] Notae suae editioni pr. subiectae Maius nunc addit Polyb. I, 20. Mox vulgo *luxuriam*.
subpeditantur] Ita ex Cod. Maius: ceteri *supp*.
marei] De hac forma v. Comm. de pron. Lat. *is* p. 72.
inportantur] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imp*.
etiam] Cod. *iam*. Sed, nisi fallor, oblitus est librarius repetere *et* post *habet*. MAIVS.
inlecebras] Ita ex Cod. Maius: ceteri *illec*.
cupiditatum] Cur non mutaverim in *cupiditatium*, dixi Excursu XV.

rintho dixsei, id haud scio an liceat de cuncta Graecia verissume dicere. Nam et ipsa Peloponnesus fere
p. 228 tota in marei est; | nec praeter Phliuntios ullei sunt, quorum agrei non contingant mare: et extra Peloponnesum Aenianes et Dores et Dolopes solei absunt a marei. Quid dicam insulas Graeciae? quae fluctibus cinctae natant paene ipsae simul cum civitatium insti-

haud] Cod. *aut*.

verissume] Vulgo *verissime*.

Phliuntios] Cod. mendose *Philuntios*. Immo vero scribi debuit *Phliasios*; sic enim emendavit suam hanc lectionem librorum de rep. Cicero ipse ad Atticum scribens VI, 2: *Phliasios dici sciebam; et ita fac habeas, nos quidem sic habemus.* Sed primo *me ἀναλογία deceperat, Φλιοῦς, Ὀποῦς, Σικοῦς; quod Ὀποέντιοι, Σικυόντιοι. Sed hoc continuo correximus.* In codice tamen vaticano manet prior Tullii scriptura (praeter vitiosam metathesim); quod nobile documentum est Tullii libros politicos statim omnibus viguisse (ut ait Caelius ep. VIII, 1) ideoque distractis exemplaribus, ne ipsius quidem auctoris emendationes potuisse recepi. Ceteroqui gentile *Φλιούντιος* est apud Diodorum Siculum XV, 19, nec non apud Stephanum byz. qui addit et *Φλιούσιος* et *Φλιάσιος*. *Phliasios* scribit ipse Cicero tusc. V, 3; et sic graeci vulgo auctores habent. Maivs ed. alt. Ciceronis emendationem suscepere Schütz. Lehn. Moser et Zellius; satius visum eam in nota commemorasse. Ceterum *Φλιούσιος* qui dixerit, non habeo auctorem ullum. In nummis certe imperatoriae aetatis, quos solos novit Eckhelius, *Φλιάσιος*; adde etiam vetustae, qualis est numus ex museo Payne Knight depromptus in Philological Museum T. I. p. 124, in quo est *ΦΑΕΙΑΣΙΟΝ*, per diphthongum recte scriptum; habet enim ī productum, v. Pindar. Nem. VI, 46. Diss. et Philetae epigr. egregie restitutum a Passovio in Var. lect. Stephani Byz. p. 55.

Aenianes] Videtur scribendum *Aenianes* cum diphthongo: legitur enim apud graecos geographos *Αἰνιᾶνες*; Plinius autem IV, 2 habet *Aenienses* ab *Αἰνιεῖς*. Sed ecce lectioni codicis [*Enianes*] favet (licentia saltem poetica) Homerus iliad. II, 749, scribens *Ἐνιῆνες*, ut observat cl. Lehnerus. Maivs ed. alt. Sed repudiandum fuit, quod praeter Maium solus Lehnerus servavit, quippe quod per metrum quidem, ut monet Moserus, Homero dicere licuerit, non item Ciceroni vulgarem nominis formam exhibituro. Neque quisquam illam formam serio defendet ex Plethone in Bredovii Epist. Paris. p. 94, ubi quod legitur *Ἐνιάνων* pro vitiosa scriptura eo certius habendum est, quo apud Strabonem X. p. 450, quem ad verba Pletho exscripsit, ex plurimis codd. *Αἰνιάνων* rectius repositum est. Quam formam solam agnoscunt Scylax, Xenophon aliique multi. Scriptura *e* pro diphthongo plane in vitiis librarii referenda, aetati, qua fere codex scriptus videtur, iamiam propria, et ipsorum titulorum inscriptorum auctoritate confirmanda. Ceterum de forma nominis gentilis *Αἰνιᾶνες* v. Steph. Byz. v. *Αἰνία*. Falsam esse scripturam *Αἰνειᾶνες*, quamvis traditam a Schol. Sophocl. Electr. 699, addicentibus ibi adeo codicibus quibusdam, optime demonstravit Tzschuck. ad Strabon. IX. T. III. p. 560 seq.

Dores] Ex Cod. Maius *Doris*, quod repetierunt Schütz. Lehn. Nobb. Formam Heinrichio duce susceptam firmat Noster pro Flacco 27.

ipsae] Cod. *in ipsae*; mox expuncta *in*. Maivs. Vana Creuzeri

tuteis et moribus. 9. Atque haec quidem, ut supra dixsei, veteris sunt Graeciae. „Coloniarum vero quae est de„ducta a Graeis in Asiam, Thracam, Italiam,“ Siciliam, Africam, praeter unam Magnesiam, quam unda non adluat? Ita barbarorum agreis quasei adtexta | p. 229 quaedam videtur ora esse Graeciae. Nam ex barbareis quidem ipseis nullei erant antea maritumei, praeter

coniectura *inibi ipsae*; item anonymi alia ap. Moserum, ita *in* transponi iubentis, ut legeretur *innatant*. Vitium inde natum, quod librario scribendum videbatur *in ipsa*.

civitalium] Cod. 1 manu *civitatis*; tum 2 manu superposuit *um*, delevitque *s*, et ut videtur, etiam *i*. Retinui tamen *civitatium*, quam lectionem superius habes in hoc opere. Maivs. Vide de his formis Excurs. XV.

ut supra dixi] Zachariae l. c. p. 139 haec verba spuria esse censet, quia Scipio nusquam dixerit, se primum de veteri Graecia esse locuturum. Cui respondet Koppius [Convers. Germ. p. 54] servari ea posse, si *supra* intelligatur, quasi scriptum sit *modo*. Moserus. Vulgo *dixi*.

veteris] Cod. *veteres*. Maivs.

Graeis] Ex Cod. solus Maius *Grais*. Ceteri *Graiis*, praeter Schütz. et Villem. qui *Graecis* cum Servio dederunt. Unice vera Codicis scriptura, de qua dictum Excursu VII. De emphasi receptae nominis formae propria, qua etiam alibi Ciceronem usum esse Moserus adnotat, quaque Noster etiam infra III, 9 usus est, quod Moserus adnotare neglexit, v. Doederleinii Synon. Lat. T. V. p. 305.

Thracam] Locum citat Servius ad aen. XII, 335 voc. *Thraca* sic: *Cicero in de re publica: colonia vero quae est deducta a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam, et non dixit Thraciam*. Notandae sunt in primis variae lectiones *colonia, Graecis, Thracam*; quamquam vaticanus codex nunc nobis *Thraciam* exhibet. Neque tamen Servii, qui *Thracam* apud Cic. legebat, levis auctoritas est. Similis autem huic est Ciceronis locus de divin. I, 1: *quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine pythio* etc. Maivs. ed. alt. Cum Niebuhrio Ind. Lat., invitis licet editoribus ad unum omnibus, oblocutoque nuper Koenio Ueber die Spr. d. Lat. Epiker p. 50. Servii lectionem, quam formam a Ciceronis aetate certe non alienam censet Moserus, eo confidentius rescripsi, quo certius hac in re Servii videtur esse testimonium, quum praesertim *Thraciam* prius in Codice omissum, a secunda manu adiectum sit, quam constat suam ipsius aetatis scribendi consuetudinem veteri more solito substituisse. Adde hunc unicum esse apud Ciceronem locum, quo nomen *Thracia* occurrat, ita ut non verendum sit, ut aliorum locorum scriptura adversante recepta forma redarguatur. Non diffitebor tamen binis Varronis de R. R. locis hodie vulgari *Thracia*.

Magnesiam] Verba *Thraciam* etc. *Magnesiam* addita sunt in codice secunda manu, quae 1 omiserat, videlicet oscitantia librarii. Maivs.

adluat] Ita ex Cod. Maius. Ceteri praeter Steinack. *alluat*.

adtexta] Ita ex Cod. Maius. Ceteri praeter Steinack. *att*.

ex] Vulgo *e*.

maritumei] Ex Cod. Maius *maritumi*. Ceteri *maritimi*, ut mox licet ex Cod. *maritimarum*.

Etruscos et Poenos; alterei mercandei caussa, latrocinandei alterei. Quae caussa perspicua est malorum commutationumque Graeciae, propter ea vitia maritumarum urbium, quae ante paulo perbreviter adtigi. Sed tamen in eis vitieis inest illa magna commoditas, et
p. 230 quod ubique gentium | est „ut ad eam urbem, quam „incolas, possit adnare:“ et rursus, ut id quod agrei

praeter] Ita cod. 2 manu; ut 1 *pseter*. Memento autem dictorum superius de scriptura *s* pro *r*. Maivs.

alterei etc.] Sententia supplenda ex praecedentibus. V. Schneider ad Caes. B. G. I, 29. p. 60.

caussa] Vulgo *causa*. Illud Nobb. quoque.

latrocinandei] Latrones intellige Etruscos; nam Poenorum navigationes supra dixit auctor. Quin adeo voce *Poenos* etiam *Phoenicas* significari a Tullio arbitror. Etruscos seu Tyrrhenos diu piraticam exercuisse docuerat in Hortensio Cicero, teste Servio ad aen. VIII, 479, qui locus ex Augustino inter operis fragmenta translatus est. Eorundem piraticam commemorat etiam Strabo V. p. 354. Alexander quoque magnus de piratica Etruscorum conqueritur apud eundem Strabonem lib. cit. p. 232. Maivs ed. alt. V. Moserum Creuzero, secus statuenti, obloquentem.

Graeciae] Cod. *Greciae*. At alibi emendate. Maivs.

paulo] Nobb. et Orell. *paullo*.

perbreviter] Cod. *perubreviter*; tum expuncta *u*. Patet autem ipsum scribam se emendavisse: scripta enim *u*, cognitoque mendo suo, expunxit ipsam *u*; vocabulumque uti opus erat continuavit scribendo *b*. Porro de usu promiscuo *u* et *b* saepenumero verba fecimus. Maivs ed. alt.

adtigi] Cod. *adtigisset*; tum expuncta est prior *s*, a qua nos separavimus, uti par erat, *set*. Maivs. At nos cum ceteris *sed*.

eis] Ita [*hiis*] cod. Et sic legitur etiam in papyro diplom. XLV apud Marinium; nec non apud Victorinum, qui nunc a me editur. Maivs 2. Ego voce *hiis* non *his*, quod vulgo editur, sed *iis*, quod exhibuit Steinackerus, librarium scribere voluisse in comperto habeo, ob vulgarem aspirationis illis temporibus abusum. V. Comm. de pronomine Lat. *is* p. 46. Itaque *eis* de more Ciceronis aequaliumque edidi.

quod] *Quod* superadditum est in codice manu posteriore. Maivs.

gentium] Ita cod. 1 manu; at 2 mendose *genitum*. Maivs. Hoc haud improbabiliter defendere Krarupium p. 26 ait Orellius Anal. T. IV, 2. p. 595. neque ego plane improbo. Vulgatam Otto longe aliter ac vulgo sic defendit: „Noli construere, sicut fecit Moserus, *ubique gentium*, sed *quod gentium ubique est*; ut genitivus iste pendeat a pron. *quod*, i. e. *quantum gentium* ubique est. De *quod* cum genitivo coniuncto non est quod plura afferam post notam ad Caton. mai. p. 179; *quod ubique est* autem dictum est ut *qui ubique sunt*, i. e. omnes: sic igitur *quod ubique est gentium* erit *quotcunque homines sunt*. Exempla autem formulae *qui ubique sunt* e Cicerone haec noto: in Verr. IV, §. 4. V, §. 172. de imp. Cn. Pomp. §. 12. pr. Balb. §. 61. Phil. X, §. 12. XIV, §. 20. Tusc. I, §. 35. in Rull. II, §. 52. de or. III, §. 34. Fin. II, §. 6. IV, §. 74. N. D. II, §. 164. de div. II, §. 93, ubi v. Giese; ad Att. VI, 4, 2. Acad. II, §. 136.“

eam] Cod. *aeam*; tum expuncta est prior *a*. Maivs.

adnare] Locum ex II de rep. citat Fronto [Arus. Messius] exem.

efferant suei, quascumque velint in terras portare possint ac mittere.

V. 10. Quei potuit igitur divinius et utilitates complectei maritumas Romulus et vitia vitare? quam quod urbem perennis amnis et aequabilis et in mare late

eloc. voc. *adnare* [p. 212 Lind.]. At in editis fragmentis citatur ex I perperam. Editiones item habent *possis* pro *possit*; quae etsi lectio videri poterat probabilis, tamen a Frontonis codicibus cunctis exploditur; tum, quod magis interest, a Ciceronis de rep. codice vaticano. Codicum Frontonis varietates sunt 1. *ut ad eam urbem, ad quam incola possit adnare.* 2. In alio codice *τὸ possit* corrigitur in margine *possis*, quae coniectura deinceps ab editoribus fragmentorum recepta fuit. Clarior fit sensus, si scribas *ut et quod ubique gentium est, ad eam* etc. Maivs ed. alt. Vulgatam totius huius loci, quam cum Schütz. Steinack. Nobb. Orell. et Zellio repetii immutatam, concoquere se posse negans Moserus haec subiicit: „Correxit Heinr. scribens *ut, ubique gentium* (eiecto *quod*) *est, ad eam urbem, quem quis incolat* etc., servavit autem *velint* et *possint*. Mihi locus non aliter persanatus esse visus est, nisi si scriberem, ut scripsi, [*ut, quod ubique gentium est, ad eam urbem, quam quis incolat, possit adnare — velit — possit*] parte emendationis Heinrichii adoptata, mutationibus factis levissimis facillimisque etc." Sed, ne longius in vana sanissimorum verborum tentatione immoremur, Moserus ex parte sententiam in Add. p. 584 mutavit et solum scribi vult, vel *ut, quod*, vel *ut et, quod*, vel *et ut, quod* (quorum nullo opus) quippe monitus a Wolffio, qui postquam exposuit, nulla emendatione locum videri egere, sed interpretatione tantum sublevandum esse, sensum recte sic explanavit: „Maritimae civitates hanc praebent commoditatem, ut et omnes homines ex aliis terris merces advehere, et cives earum ipsi agrorum suorum fructus in alias terras portare et mittere possint. Proprie Cicero dicere debuisset; *agri tui, velis, possis*; sed quia vocabulo *urbe* incolae urbis s. cives cogitari solent, tertiam pluralis personam in posteriore enuntiatione praetulit." Quae etiam Krarupii sententia fuit, hac Burmanni ad Vellei. II. p. 743 ed. Ruhnk. adnotatione abunde et apte munientis: „Nihil, inquit, auctoribus frequentius, ubi regionem vel urbem posueris, sensu incolas intelligere, et illis verba sequentia accommodare. Millies ita Livius." Neque aliter Orellius locum intellexit. Bakio solum *et* ante *quod* inducendum videbatur: hoc etiam suadebat Frankius Wolffio laudatus, sed ita ut etiam alia non tentanda tentaret, quae ipse Wolffius explosit, hic melius praetermittenda.

quascumque] Orell. *quascunque*.

divinius] Ita invito Codice, cuius lectionem *divinitus* Maius etiamnunc retinet, scripsi cum Steinack. Schütz. Zacharia, Mos. Doederl. et Orellio, ceteris frustra *tam* vel *magis* subaudientibus, quod ab usu Ciceronis certe abhorret. De sententia v. Baumhaueri Diss. de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis p. 152, item *divinius* reponentis.

maritumas] Vulg *maritimas*.

perennis amnis] Miro modo vocabulum *amnis* poeticum esse narrat Koene Spr. der Lat. Epiker p. 122 prosaeque orationi abiudicat. Tu vero vide Nizol. v. *amnis*. Quod ad Koenii librum attinet, elementa s. causas dictionis poeticae optime ille mihi quidem videtur enucleasse, sed in legendis prosae orationis scriptoribus non admodum est versatus,

influentis posuit in ripa, quo posset urps et accipere
p. 231 ex marei, quo egeret, et reddere, quo redundaret: | eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxsume necessarias non solum mare apsorberet, sed etiam in-

unde crebro ab hac parte errat. Idem enim v. c. voc. *Peloponnesiacus* a poetis metri causa fictum putat dubitatque p. 193 de integritate loci Ciceroniani de offic. I, 24, 84, sed non novit Ciceronem in libro de rep. III, 32, 44 iterum hac forma usum esse. Aeque turpiter erravit saepe, ut quod iam Ciceronis est, a poetis et posterioribus scriptoribus demum profectum habeat. De vocabulo *peremnis* [ut hoc loco Otto scribere videtur] optime disputavit Doederl. Syn. Vol. I. p. 7. n. 9. Otto.

aequabilis] Poeticae licentiae tribuendum, quod de Tiberis decursu ait poeta inc. apud Servium Centim. p. xv ed. Klein. *Medium rapido mare Tibris adit fluvio.*

urps] Cod. 1 manu *urps;* quamquam videtur postea interpolata littera, factumque *urbs;* sed tamen inferius [III, 31 et quidem sine varietate] occurrit evidenter *urps.* Est autem de hac scriptura insignis Papiriani auctoritas p. 2291: *urps per p debet scribi; licet Varro per b scribendum putet, quod in reliquis casibus b habeat.* Maivs. Eadem scripturae varietas cap. exeunte. Quod olim ediderat *urps*, nemini probatum, id Maius nunc repetiit, siquidem de generali vocis scriptura agitur, facile refutandus vel ingenti, in quibus VRBS scriptum, nummorum numero; v. Raschii Lex. num. T. VI, 1. p. 901 sq. Sed re diligentius considerata, antiquis temporibus alteram illam formam vindicare tutius videbitur reputanti, concursum litterarum *b* et *s* a veteribus tam studiose devitatum esse, ut scribere maluissent *opsides* quam *obsides* et alia eius generis, de quibus monitum ad I, 41. Tum quod de Varrone traditur, luculente ostendit, ipsius aetate *urps* in usu vulgari fuisse. Adde analogiam v. *pleps*, in titulis Gruteri p. 352, 1. 422, 8. 9. 467, 2. 494, 2. Itaque non dubitavi *urps* cum Maio hic repetere eandemque formam etiam a Niebuhrio Consp. orthogr. defensam, supra c. 2. reponere ubi Cod. *urbs* exhibet. Ut vero hoc de antiquis tantum temporibus statuendum, h. e. Ciceronis vel Livii aetate, ita tantum abest ut *urps* a posteriore quopiam scriptore receptum dicam, ut recentiore aetate aliam formam quam *urbs*, quam primum in Traiani nummis reperio, in usu fuisse negaverim. De usu litt. *b* in casibus obliquis non est locus dubitandi.

ex] Ita cod. 1 manu; at 2 pro *ex* fecit *a*. Maivs. Zachariae l. l. p. 141 *ex* deleri vult, male, si quidem praepositione adiecta significatur, urbem, quum ad ipsum maris littus exstructa non esset, quaecunque ex mari accipiat, accipere per amnem deducta; quemadmodum paullo infra *acciperet ex terra.*

reddere] Ita cod. 2 manu; at 1 *redderet.* Maivs.

maxsume] Vulgo *maxime.*

ut] *Ut* superponitur in codice. Maivs. Si abesset, ego non desiderarem.

mare apsorberet] Cum Maio, qui *absorberet* evidenter in Cod. legi admonuit, Steinack. Creuz. Zell. Orellius lectionem Codicis *mari absorberet* retinuerunt, tum sententia, tum insolentia dictionis laborantem. Etenim quod nonnulli arbitrati sunt, agi de rebus necessariis ex mari, vel via maris, Romam importandis, quas Roma quasi absorpsisse a Tullio dicatur, id prorsus alienum ob tautologiam: idem namque iam inest in verbis *accipere ex mari, quo egeret.* Neque quisquam probare po-

vectas acciperet ex terra: ut mihei iam tum divinasse ille videatur, hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebituram; nam hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius ulla in parte Italia posita urps tenere potuisset.

tuit recte dici, res absorbere, nisi eo sensu ut ita absorbeantur, ut nihil supersit: quod absurdum esset. Adde quod difficilius in hoc contextu explicatu est quod adiicitur, *mari*. Huic manifestae verborum labi permulti medendi periculum fecerunt, quorum tentamina inania curioso suppeditabit Moseri adnotatio, qui ipse suam correctionem *arcesseret* in textum suscepit, refutandam vel iis, quae de sententia loci exposui: quod valet etiam de Niebuhrii coniectura *subveheret*, licet eandem adversus Steinackerum pertinacius defendentis, Duplik p. 12 sq. Neque iam patet quidquam profici ex Ottonis sententia: „Ego in hoc loco nihil plane mutandum censeo; *mari* est ablativus *unde*, i. e. a mari, *vom Meer her*, quod in hac voce ideo fieri potest, quod ad illa nomina referenda est, quibus simplex casus in significando loco ponitur, quamquam aliud exemplum ignoro; *absorbere* autem est translate dictum, ut nos dicimus *verschlucken*, vel *schlucken*, ut *er hat eine Erbschaft geschluckt*. Sic dicunt Latini *devorare* voluptatem, de qua dictione vide quae dixit O. M. Müller Obss. ad quosdam locos Cic. Cizae 1827 contra Wunderi censuram edit. huius viri orat. pro Sext. Optime rem expedit locus Lucani a Mosero [immo ab Eichstadio] allatus [IV, 314: *lacte negato, Sordibus exhausto sorbetur ab ubere sanguis*]: neque artificiosa illa Beieri interpretatione opus est.“ Sed tantum de virorum doctorum commentis, quibus fraudi fuit, quod non perspicerent, non agi hic de rebus in urbem importandis, sed potius exportandis, et quidem damno urbis. Extollit Cicero Romuli virtutes, quod in urbis sede deligenda utilitates maritimas complecti et simul vitia (maritima) vitare studuerit; de illis multa dixit, de his nihil, nisi continentur verbis *res ad victum — absorberet*: quod vitium nihil aliud esse potest, quam quod in urbe maritima res necessariae facile exportentur, detrimento urbis. Hanc Ciceronis mentem unus, quem sciam, Ludovicus de Ian perspexit, qui simul eandem emendationem loci proposuit *mare*, Zeitschr. f. d. Alterth. 1845. No. 100. p. 797 sq. Quod vero idem suadet *ut* ante *flumine* omittendum, quo facto cum subiecto suo *urbs* verbum *acciperet* facilius iungi putat, eo non multum proficitur, quum subiectum ex sententia non difficile intelligatur. Sed ita non persanatus, me iudice, locus est, nisi negatio addatur, quae in hac constructionis forma *non solum — sed etiam*, ubi in quoque membro subiectum cum verbo suo inest, abesse nequit. V. ad c. 14. Quare tametsi mihi persuasum est Ciceronem scripsisse *non solum mari non absorberet*, nolui tamen negatione de meo addita audacius agere, quum fortasse sint, qui demonstrare posse sibi videantur, omitti negationem licuisse. Ceterum quod nunc Ciceronem dicere iubemus, *res a mari absorberi*, eo nihil dici posse cum consuetudine loquendi Latina convenientius, demonstravit exemplis idoneis Ianius.

ulla] Cum in Cod. scriptum sit *ulla* emendatumque *alia*, utrumque recepi monente Maio. Mihi vero etiam *facilius* suspectum est, quod ortum esse potest ex glossa *facile* voci *ferme* adscripta; quae cum recepta esset ab aliquo, coaluit cum voce *alia* eamque absorpsit, unde factum *facilius*, cum *facile* iuxta adverbium *ferme* stare non possit. Heinr. scripsit *facilius ulla in parte*, sed ante *ulla* asteriscum posuit. Mosa-

p. 232 **VI. 11. Urbis autem ipsius nativa praesidia quis| est tam negligens, quei non habeat animo notata planeque cognita? quoius is est tractus ductusque murei, quom Romulei, tum etiam reliquorum regum sapientia definitus exs omnei parte ardueis praeruptisque montibus, ut unus aditus, quei esset inter Esquilinum Quirinalemque montem, maxsumo aggere obiecto fossa cingeretur vastissuma: atque ut ita munita arx circum-**
p. 261 **iectu arduo et qua|sei circumciso saxso niteretur, ut etiam in illa tempestate horribilei Gallicei adventus in-**

RVS. Ut de *facilius* prius dicam, vana videtur Moseri suspicio. Mens enim Ciceronis haec: alias quidem esse in Italia urbes, quae illam tantam potentiam tenere potuissent, non tamen ullam, quae aequa commoditate loci et facilitate potuisset. *Ulla* vero cum Heinrichio scripsi, quod quum Maius eius in locum *alia* fortasse rescriptum diserte tradat, dubitandi locus relinquitur, an omnino id quod tradat, reapse in Codice sit; deinde quod *ullus* pro *alius ullus* Ciceronis usui convenit, bene Krarupio p. 27 his exemplis monstrante: pro Sext. 2: *neque iracundia magis ulla laudanda.* De rep. II, 23: *quod erit eiusmodi, nihil ut tale ulla in re publica reperiatur.* De amic. 17: *querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent.* Cum Maio Steinack. Orell. (hic tamen in Anal. Cic. T. IV, 2. p. 595, mutata sententia, nunc *ulla* comprobat) et Nobb. *alia*; cum Mosero Zell. *alia ulla.* Otto malebat *ulla alia*, collatis ipsius Divin. Liv. p. 8, qui verborum certe ordo minime infringitur Goerenzii ad legg. I, 8, 25. p. 35 praecepto, eum ordinem plane a Cicerone respui. Cf. Tusc. I, 25, 60. Acad. I, 5, 19. Verr. I, 15, 44.

urps] Ita [*urps*] cod. 1 manu; at 2 *urbs.* MAIVS. V. not. ad init. huius cap. Ceteri *urbs.*

potuisset] Repetitae ex ed. pr. notae, qua Livii demonstratur plagium, Maius nunc addit, eundem historiae suae librum primum et secundum haud raro copiis ex hoc secundo de rep. compilatis exornasse.

negligens] Ex Cod. Maius *neglegens.*

quoius] Vulgo *cuius.*

tractus] Ita cod. sine ulla litura *tractatus* pro *tractus.* MAIVS. Hoc praeter Maium nemo servavit nisi Lehn. Nobb. et Villem. De lectione recepta v. Moser. Maius tamen Ind. rerum p. 381 nunc adnotat: „Quivis hoc loco *tractus* exspectaret: quaerendum tamen potius quam immutandum esse censeo."

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum.* Item infra.

exs] Vulgo *ex.*

ut] *Ut* omissum a librario, fortasse superpositum fuit; sed vix apparet, aut ne vix quidem. MAIVS.

Esquilinum] Cod. *Esquiillinum.*

maxsumo] Vulgo *maximo*, ut mox *saxo.* Item mox *vastissima.*

ut] Delevit Heinrich.

niteretur] Notae ex ed. pr. repetitae Maius nunc adiicit Publicolae factum de rep. II, 31.

columis atque intacta permanserit. Locumque delegit et fontibus abundantem, et in regione pestilentei salubrem: colles enim sunt, quei quom perflantur ipsei, tum adferunt umbram vallibus.

VII. 12. Atque haec quidem perceleriter confecit; nam et urbem constituit, quam ex suo nomine Romam iussit nominarei: et ad firman|dam novam civitatem no- p. 262

atque] Ex Cod. Maius *adque*.

fontibus] De fonte Vaticano, quem in nota ed. pr. commemorarat, Maius nunc conferendum adiicit S. Damas. carm. XXXIX ed. Saraz.

abundantem] Ex coniectura Maii omnibus recepta pro *undantem*, in poetica hac regionis descriptione fortasse retinendo, quum praesertim etiam aliis horum librorum locis Tullius indubie elocutionem poetarum assectetur. Apud hos vero *undare* pro *abundare* dici constat. Val. Flacc. I, 539: *regio undat equis*, ubi v. intpp. Atque eiusdem fere conditionis est quod mox sequitur *perflantur*, cuius vocis insuper aliud exemplum apud Tullium haud magis novi.

in regione pestilentei] Romani aëris morbum passim accusant veteres novique scriptores; quorum in postremis merito laudandus est Fr. Cancellarii doctissimi hominis liber. [Lettera di Fr. Cancellieri al Dr. Koreff sopra il tarantismo, l'aria di Roma e della sua campagna, Romae 1816.] Et quidem plerasque soli huius pestilentias nihil aliud fere fuisse quam febres, verissime docuit vir in arte medica clarissimi nominis, ceteraque doctrina animique virtutibus valde conspicuus, summus amicus meus, Iosephus de Mathaeiis, in praeclaro commentario de febre Romanorum dea: cui nihil profecto addiderim, nisi quod Augustinus C. D. III, 12 ait, febrem esse deam civem romanam. Item Minucius cap. XXV vocat hanc superstitionem alumnam urbis romanae. Denique quartanae chronicae, dicuntur filiae Saturni (*Χρόνου* vel *Κρόνου* Dionys. hal. I, 38) qui deus in febriculoso Latio reapse habitavit, a Theodoro Prisciano de phys. lib. IV. Habemus igitur Romae malam Saturni progeniem febres. Dea febris romanum caesarem Claudium, quicum tot annos vixerat, in caelum comitata est fano suo relicto, ut ludibundus ait Seneca in *ἀποκολοκυντώσει*. Plato tamen (nequid indictum credo relinqueret) febrim laudavit, teste Gellio XVII, 12. Maivs ed. alt. De deae febris, quae ab Augustino l. l. pronepos Aesculapii vocatur, cultu ad ipsa sacra religionis Christianae propagato conf. Cancellarii l. l. p. 80.

perflantur] Cod. *perfluantur*; tum ibidem emendatum *perflantur*. Maivs.

adferunt] Ita ex Cod. Maius: reliqui praeter Steinack. *aff*.

ex] Vulgo *e*.

nominari] Ergo alias opiniones sequitur Servius ad aen. I, 277: *Romanosque suo de nomine dicit* sic adnotans: *perite non ait Romam, sed Romanos; urbis enim illius verum nomen nemo vel in saeris enuntiat*. De tribus certe Romae nominibus mystico, sacro et politico lege, si lubet, Photium quaest. amph. CXXXIIII. Nugari autem mihi videtur de *Romae* et *Romuli* nominibus Paulus voc. *Romam* et voc. *altellus*; quamquam Paulo partim favet Servius aen. I, 273. Denique huic Ciceronis loco contradicunt Servius et Philargyrius ad ecl. I, 20: *Roma ante Romulum fuit, et ab ea Romulus nomen acquisivit*. Utinam vero superessent de Roma Suetonii libri duo, Alexandri polyhistoris quinque, Phlegontis saltem unus, quorum omnium meminit Suidas! Ii sane multo

vom quoddam et subagreste consilium, sed ad muniendas opes regnei ac populei suei magnei hominis et iam tum longe providentis secutus est, quom Sabinas honesto ortas loco virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos tum primum anniversarios in Circo facere instituisset, Consualibus rapei iussit, eas-
p. 271 que in familiarum amplissumarum | matrimonieis collo-

plura nos longeque utiliora docerent quam ipsum Romae mysticum nomen; de quo tamen erudite disserit Macrobius Sat. III, 9. Interim Aristidis de Roma oratio philologis non est negligenda. Maivs ed. alt. Photii locus laudatus exstat in Maii Coll. Vat. T. I. p. 139. Nominum trium ibi allatorum, *Amor*, *Flora*, *Roma*, prius, nisi omnino ingenii lusui debetur, fortasse repetendum a nominis *Romae* in numis Etruscis AMVP (*Ruma*) litteris inversis exarati scriptura falso explicata: de qua nominis scriptura Etrusca v. Lepsium de tab. Eugub. p. 26. Atque a *ruma* ipsa Urbis nomen derivandum videbatur Blumio Einleit. in Roms alte Gesch. p. 162. Cf. Lepsius p. 33.

ad firmandam] Ita cod. 2 manu; at 1 *affirmandam*. Maivs.

novom] Vulgo *novum*. V. Excurs. V.

regnei] Cod. *eg regni*; tum deletum *eg*.

magnei hominis] Intellige Romulum ipsum, cuius de sapientia et providentia in urbe condenda amplificandaque sola agitur, non Numitorem, ut quidam voluerunt.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*. Item mox.

honesto ortas loco virgines] Ita cod. 2 manu: at 1 *honeste hortas virginis*. Maivs.

instituisset] Cassiodorio var. III, 51 hunc fortasse Tullii locum spectanti primus videbatur Romulus Italiae spectacula ostentavisse. Immo etiam Didymo apud Damasc. parall. p. 699. ed. Lequien. Maivs ed. alt.

Consualibus] Cod. *Consulibus*. Illa vox Mosero videtur aut transponenda, aut profecta a docto quodam glossatore, qui ad hunc locum in margine adscripserit, Consualibus Sabinas virgines raptas esse, vel Romam venisse; quae postrema ratio valde mihi arridet. Anonymus MS. supra laudatus in Cic. de inv. I, 5, ubi hunc Ciceronis locum respicit, simpliciter Circenses ludos nominat: cuius auctoritati tamen non multum tribuam, quum praesertim paullo post etiam templi a Romulo Iovi Statori constituti mentio fiat, quam a Cicerone alienam fuisse, Codicis Vat. conditio in hac operis parte integra testatur. De mense, quo Consualia celebrata sint, dixit Maius, cui ex Kalendario Amiternino etiam Decembrem excitanti addi potest, quod Neptuno Lydus de mens. p. 280 ed. Hase eodem mense sacra facta tradit. Ceterum huc pertinent falsi illa Asconii verba ad Verr. I, 10, 31: *Romani ludi sub regibus instituti sunt magnique appellati, quod magnis impensis dati . . . Alii ideo magnos ludos vocatos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo, id est Neptuno, laticum regi et rerum conditarum, et dis magnis, id est laribus urbis Romae, dati sunt: quibus aiunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Virgilius:*

magnis Circensibus actis.

Et Circenses ludi sunt.

amplissumarum] Vulgo *amplissimarum*.

matrimonieis] Ita [*matrimoniis*] cod. 2 manu; at 1 *matrimonis*. Maivs.

cavit. **13. Qua ex caussa quom bellum Romaneis Sabinei intulissent, proelique certamen varium atque anceps fuisset, cum T. Tatio rege Sabinorum foedus icit, matroneis ipseis, quae raptae erant, orantibus: quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit, sacreis communicateis, et regnum suum cum illorum rege sociavit.**

VIII. 14. Post interitum autem Tatei quom ad eum potentatus omnis recidisset, | quamquam cum Tatio in p. 272
regium consilium delegerat principes, quei appellatei sunt propter caritatem patres; populumque et suo et Tatei nomine et Lucumonis, quei Romulei socius in

collocavit] Ita cod. 2 manu; at 1 *collocabit*. Maivs.

caussa] Ita Nobb. Vulgo *causa*.

proelique] Vulgo *proeliique*.

icit] De hac forma perfecti adi Madvigii Opusc. T. II. p. 35 sq.

ipseis] Cod. 1 manu *is ipsis*; tum expunctum *is*, quod vel mendum fuit, vel pro *iis* positum. Maivs.

orantibus] Ennii fragmentum ex illius deperdito opere, quod *Sabinae* inscribebatur, editum a me est in rhetorica Iulii Victoris cap. VI, 6. Ibi Sabinarum orantium verba leguntur. Maivs ed. alt. Sensum vocis bene Moserus exposuit.

adscivit] Ita cod. 2 manu; at 1 *adscibit*. Maivs.

conmunicavit] Ita Maius ex cod.; ceteri praeter Steinack. *comm.*

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

potentatus] Ita cod. 1 manu; tum 2 refectum est *dominatus*; laevo, ut censeo, consilio et nimia castigandi libidine: nam *potentatus* generosior vox est, eaque praeter alios utitur Lactantius inst. VI, 17, Ciceronis pedissequus. Item interpres vaticanus ad orat. in Vatin. V, 3, nec non Cyprianus epist. I ad Donatum: eandemque vocem revocari vult in usum Vorstius de lat. negl. IV, 1. Maivs ed. alt. Melius ex Caesare et Livio vocis auctoritatem adstruxit Creuzerus.

delegerat] Ita cod. 2 manu; at 1 *delegerant*. Maivs.

patres] In Ciceronis sententiam concedit Plutarchus in Romulo XIII, postquam varias super huius appellationis origine sententias protulit. Consonat Plutarcho Festus in Fragm. ed. Amstel. p. 28. (Item Lydus m. r. I, 16. Cr.) Contra Livius I, 8: *patres ab honore, patricüique progenies eorum appellati*. Maivs ed. alt. Roulezius Obs. sur divers points de l'histoire de la constitution de l'ancienne Rome (Bruxelles 1836) p. 4: „L'explication de *patres propter caritatem* ne paraît pas la véritable. Les *gentes*, subdivisions des curies, se composaient d'une réunion de familles; le chef de la famille se nommait *pater*, dans le sens romain du mot, qui désignait un citoyen marié selon les formalités voulues par le droit civil. Chaque *gens* déléguait le chef d'une des familles comprises dans son sein. Nous pouvons donc avancer que les sénateurs ne recevaient pas au sénat le titre de *patres*, mais qu'ils l'y apportaient."

Tatei] Ita [*Tati*] codex; quamquam paulo ante est *Tatii*. Maivs. Ceteri *Tatii*, praeter Steinack. et Schütz.

Sabino proelio occiderat, in tribus treis curiasque triginta descripserat, quas curias earum nominibus nuncupavit, quae ex Sabineis virgines raptae, postea fuerant oratrices pacis et foederis: sed quamquam ea Tatio
p. 237 seic erant | descripta vivo, tamen eo interfecto, multo etiam magis Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit.

IX. 15. Quo facto primum vidit iudicavitque eidem, quod Spartae Lycurgus paulo ante viderat, singularei imperio et potestate regia tum melius gubernarei et regei civitateis, sei esset optumei quoiusque ad illam vim dominationis adiuncta auctoritas. Itaque hoc con-
p. 238 silio et quasei senatu fultus | et munitus, et bella cum

treis] Ex Cod. Maius *tris*, Virgilii Aen. V, 560 *tris equitum turmae* laudans, quem solus Steinack. secutus est. Ceteri *tres*, quod infra c. 18 sane Codex exhibet. At tu vide nobis monita ad I, 34 *civitatium* et Comm. de pronom. *is* p. 68.

nuncupavit] De hoc verbi usu nimis anguste iudicat Doederlein. Synon. Lat. Vol. V. p. 105. Otto.

fuerant] Ita cod. 2 manu; at 1 *fuerunt*.

sed] Ex Cod. Maius solus *set*.

ea] Ita 2 manu; at 1 *et*. Maivs.

paulo] Ita ex Cod. Maius: alii *paullo*.

eidem] Vulgo *idem*.

civitateis] Vulgo *civitates*. V. Excurs. XV.

optumei] Vulgo *optimi*, ut mox *finitimis* et *felicissime*.

quoiusque] Vulgo *cuiusque*.

auctoritas] Tullianum locum prae oculis habet Lactantius inst. II, 6. Tum Plutarchus sic loquitur in Lycurgo cap. V. [reliqua ut in ed. pr.] Maivs ed. alt.

quasei senatu] Quum huius loci explicatio tam facilis mihi esse videretur, ut ad Maii interrogationem: „Cur *quasi senatu?* An quia nonnulli, ut est apud Servium ad Aen. I, 426 senatus nomen a Bruto coepisse aiunt?“ neminem putarem voluisse respondere: iam ex ed. Moseriana liquet etiam alios in eodem versari errore. Ex Servii quidem loco laudato interpretationem petendam esse concedo: non tamen ex illis verbis, quae Maius respicit; sed ex sequentibus. Nam addit haec Servius: *Alii senatum a senectute hominum, qui allecti erant, dictum volunt, quia apud Graecos γερουσία appellatur.* Spectat enim ad derivationem verbi *senatus*, quasi consilium esset senum, indicatque illud nomen Spartae quidem, at non Romae, in rei veritatem plane cadere, quum non omnes patres a Romulo lecti aetate essent senes. Quam loci explicationem ipse confirmat Tullius, qui de senect. c. 6 haec habet: *Nisi consilium, ratio sententia essent in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent senatum. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum senatum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes.* Atque clarius etiam in hoc ipso opere de re publ. II, 28: *Lycurgus γέροντας Lacedaemone appellavit —: ex quo nostri idem illud secuti atque in-*

finitumeis felicissume multa gessit: et quom ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare civeis non destitit. 16. Tunc, id quod retinemus hodie magna cum salute reei publicae, auspicieis plurumum opsecutus est Romulus. Nam et ipse, quod principium reei publicae fuit, Urbem condidit auspicato, et omnibus publiceis rebus instituendeis, quei sibei essent in auspicieis ex singuleis tribubus singu|los cooptavit augures; p. 239
et habuit plebem in clientelas principum descriptam; quod quantae fuerit utilitatei, post videre: „multaeque

terpretati, *quos senes ille appellavit, nominaverunt senatum, ut etiam Romulum patribus lectis fecisse diximus.* Ut nullus omnino locus sit existimandi Ciceronem huius nominis originem a Bruto repetiisse. KRAUTVPIVS. Verissimam hanc explicationem firmat *quasi*, quod ad leniendam aliquam dictionis insolentiam etiam a Cicerone saepe apponi constat. Cf. Adnot. cr. in Quintiliani X. Part. II. p. 10. Stuerenburg. ad Or. pro Arch. I. p. 30. Apte confert Otto I, 42: *quasi regium*, cui adde supra c. 3: *quasi fragore quodam*, et quae monentur ad c. 22: *quasi proles.* Wolffius susp. *et senatu quasi.* Cod. 2 m. *saenatu.*

quom] Ex Cod. cum Maio alii *eum*: alii *quum.*

domum suam reportaret] Similem fere locutionem habes supra lib. I, 14 [*domum suam portavisset*] et III, 31 cum not. MAIVS ed. alt.

civeis] Ex Cod. Maius *civis.* Ceteri *cives.*

Tunc] Ita cod. pro *tum*, ut etiam alibi. MAIVS. Steinack. *tum*, quod idem nunc his defendere studet, Animadv. in Cic. de rep. libros Supplemento I. p. 11: „*Tum* dedi pro *Tunc*, quod in C. V. est, et reliqui habent, hac nunc re fortasse reprehendendus, quod nullam huius rei rationem adieci. Non est enim de tempore accipiendum, neque ei respondet *hodie*, quod sequitur, sed referendum est *tum* ad id, quod in ipso huius capitis initio est, *primum.* Quod ne quis ita esse diffidat, ad ea, quae cap. 10 sequuntur, respiciendum est. Sic enim in principio eius M. Tullius: *Ac Romulus cum* cet. *haec egregia duo firmamenta reipublicae peperisset, auspicia et senatum.* Iam quae in hoc capite primo loco memorantur, ad senatum pertinent, quae a voce *Tum* sequuntur, ad auspicia. Quae itaque Moserus monuit de differentia inter *tum* et *tunc*, ab hoc loco aliena sunt."

plurumum] Vulgo *plurimum.*

opsecutus] Vulgo *obs.*

condidit] Cod. *condididit.*

essent] Maius coni. *adessent*, soli Lehnero probatum. Vulgatum satis firmat Moserus his de div. II, 34, 71: *Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo*, ut esse formula solemnis videatur; ad quem locum Giesium conferendum monet Otto.

tribubus] Cod. 2 m. *tribus.*

quantae fuerit utilitatei] Ita cod. 2 manu; at 1 *quante fuerit utilitate.* MAIVS. Vulgo *utilitati.*

videre] Cod. *viderom*, cuius loco Steinackerus, quum in Cod. *viderum* scriptum arbitraretur, efficere studebat *viderunt.*

multaeque etc.] Locum ex II hoc libro citant Nonius v. *pecuniosum*

„dictione ovium et boum, quod tum erat res in pecor
„et locorum possessionibus, ex quo pecuniosei e
„locupletes vocabantur," non vei et supplicieis coercebat

X. 17. Ac Romulus, quom septem et triginta regna
visset annos, et haec egregia duo firmamenta reei pu
p. 240 blicae peperisset, | auspicia et senatum, „tantum est con
„secutus, ut quom subito sole opscurato non conpa
„ruisset, deorum in numero conlocatus putaretur: quan
„opinionem nemo umquam mortalis adsequei potuit sine
„exsimia virtutis gloria." 18. Atque hoc eo „magis est

et locupletum, I, 204, et Isidorus Orig. X, 156, quadam contextus varietate, de qua v. Maium. De scriptura v. *multa* sine *e*, frustra Ciceroni vindicata ab Orellio ad or. pro Milone 14. p. 86, disseruit Moserus, cui Tabulam Bantinam adde, testem locupletissimam. Cf. Grotefendium Rud. linguae Oscae p. 10, deque origine eius vocis Schwenckium in Welckeri Mus. Rhen. T. VI. p. 57. Multam. Varro apud Festum p. 142 Müll. *poenam* ait *esse*, *sed pecuniariam*, ubi vide an corrigere praestet *pecuariam*. Ceterum Cod. 1 m. *multaque;* tum superadditi fuit *e*, monente Maio. Villem. et Nobb. *mulctaeque*.

dictione] In Nonio nonnulli *ditione*.

boum] Cod. 1 m. *bovum;* illud 2 m.

ex quo pecuniosei et locupletes vocabantur] Apposite Iulius Victor Art. rhet. 6, 3. p. 45 ed. Maii: *Argumenta a definitione ducuntur et per etymologiam: ut locupletem a locorum copia et pecuniosum a pecorum copia dicamus.* Ciceronem hic sententiam eorum sequi, qui v. *pecunia* non a nummis antiquitus nota pecudum signatis, sed quod Romani olim maximam opum partem in pecudibus habuissent, monuit Boeckhius Metrolog. Untersuch. p. 387.

coercebat] Aliter Plutarchus Romul. XXVI—XXVII, Lydus [de mag.] I, 5; qui Romulum extremo tempore tyrannum fastuque et ferocitate elatum describunt, contradicente tamen Appiano apud Photium cod. LVII. Maivs ed. alt. Romulum in senatum severius agentem exhibet Dio in Exc. Vatic. p. 138.

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*. Item mox.

septem] Cod. *septe*, ut in lapidibus quoque non semel vidi. Iam *m* finalem omitti interdum in antiquis codicibus exploratum est. An vero illud *septe* e lingua rustica est? Certe ita fere nunc loquuntur Itali. Maivs ed. alt.

senatum] Ita Cod. 1 manu; at 2 *saenatum*. Maivs.

conparuisset] Ita ex Cod. Maius: ceteri *comp.*

opscurato] Vulgo *obs.*

conlocatus] Ita cod. modo *conl.* modo *coll.* Maius. Reliqui *collocatus*. Ceterum Romulum secretiore quadam Romanorum doctrina semideum potius quam deum habitum tradit Augustinus de civ. II, 15.

adsequi] Reliqui *assequi*.

exsimia] Vulgo *eximia*.

gloria] Locum hunc in libris de rep. legebat Augustinus C. D. III, 15. Huc idem Augustinus respicit etiam XVIII, 24 etc. Maivs.

deei] Vulgo *dii*.

„in Romulo admirandum, quod ceterei, quei deei exs „hominibus factei esse dicuntur, minus eruditeis ho- „minum saeculeis fuerunt, ut fin|gendei proclivis es- p. 241 „set ratio, quom imperitei facile ad credendum inpelle- „rentur. Romulei autem aetatem, minus heis sexcen- „teis anneis, iam inveterateis littereis atque doctrineis, „omneique illo antiquo exs inculta hominum vita errore „sublato, fuisse cernimus.“ Nam sei, id quod Grae- corum investigatur annalibus, Roma conditast secundo anno Olympiadis septumae, in id saeculum Romulei cecidit aetas, quom | iam plena Graecia poetarum et p. 242 musicorum esset, minorque fabuleis, nisei de veteri- bus rebus, haberetur fides. Nam centum et octo an- neis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est Olympias; quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant. Homerum autem

exs] Vulgo *ex*, uti etiam mox.

eruditeis] Obiter moneo, ex hoc loco refutari Krebsium in Antibarb., qui *eruditus* de rebus dici posse negat. Nimis breviter rem confecit Doederlein. Syn. T. V. p. 268, qui se ipsum emendat T. VI. v. *erudite*. Orro. Cf. paullo infra.

ut] Cod. *et*; mox ibi emendatum *ut*. Maivs.

proclivis] Male in Augustini contextu (qui hunc locum citat C. D. XXII, 6) *proclivior*; verum ibi Maurini editores admonent, in mss. Augustini legi *proclivis*, quae nunc lectio mire confirmatur. Maivs.

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

inpellerentur] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imp.*

sexcentis] Ex Cod. Maius *sescentis*. V. ad I, 37.

cernimus] Locum citat Augustinus C. D. XXII, 6 sine ulla varietate. Maivs.

conditast] V. Excurs. XVII.

septumae] Ita ex Cod. Maius: ceteri *septimae*. De variis veterum erroribus circa annum Romae natalem monuit Maius, quicum nunc conferas Lachmanni Spartanische Staatsverfassung p. 314. Ceterum quae Ciceronem inter et Solinum c. 2 a Maio laudatum, qui illius de sententia Romam Olympiadis sextae anno tertio conditam esse refert, differentia exstat, ea nescio an nulla sit, quum ea ab errore librariorum Solini facile repeti possit, in notis numeralibus scribendis *VI* pro *VII*, et *II* pro *III* probabiliter lapsorum.

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

cecidit] Moser. susp. *incidit*.

postquam] Non favet hic locus Madvigii Bemerk. zu seiner Lat. Gramm. p. 11 doctrinae, formam *posteaquam* solam Tullianae dicendi consuetudini convenire praecipientis. Infra tamen c. 31 exstat *posteaquam*, dum rursus tertio loco *postquam*.

quei minumum dicunt, Lycurgei aetatei triginta anneis anteponunt fere. 20. „Ex quo intelligei potest, permul-
Q. XV. „teis anneis an|te Homerum fuisse, quam Romulum,
p. 301 „ut iam docteis hominibus ac temporibus ipseis erudi-
„teis ad fingendum vix quicquam esset locei. Antiquitas
„enim recepit fabulas fictas etiam nonnumquam incon-
„dite; haec aetas autem iam exculta, praesertim elu-
p. 302 „dens omne, quod fierei non potest, respuit“*** | *** eo-

minumum] Vulgo *minimum*.

intelligi] Maius ex Cod. *intellegi*.

ante] Hoc est codicis folium postremum, cuius nonnisi frustum intimum superest lacerae membranae. Quum autem cuiusque paginae sint duo latercula, folii vero latercula quatuor; hoc quidem in folio nihil reliquum est praeter primi quartique laterculi partes dimidiatas a vertice ad imum. Sed enim prior folii pagina ferme tota suppletur feliciter ab Augustino locum citante C. D. XVIII, 24 et XXII, 6, quo postremo capite, ne interpolationem aliquam suspicemur, ait Augustinus se verba Ciceronis prout scripta sunt inserere. Desideramus itaque particulam laterculi secundi, laterculum tertium et quarti dimidium; supputatis autem spatiis constat ereptas nobis esse litteras circiter CCXXX. En autem hiatum codicis. P. 301. laterc. 1 *te Ho . . fuisse . . Romu . . ut iam . . homi . . ac tem . . ipsis er . . ad . . vix cui . . esset lo . . antiq . . nim r . . fabula . . etiam n . . nunq . .* P. 302. laterc. . . *us ne* . . etc. ut scribimus in textu. Iamvero paginae 301 supplementa augustiniana, quia certissima sunt, eodem genere litterarum excudo; supplementa autem paginae 302 litteris inclinatis exaro, quia sunt coniecturalia, etsi vix dubia. Maivs.

iam docteis hominibus etc.] Ciceronis hoc argumentum refellitur a Tertulliano dicente de Caesaribus apol. c. X: *Hodie iam politi homines quos ante paucos dies luctu publico mortuos sunt confessi, in deos consecrant.* Maivs Add. ed. alt. p. 386.

quicquam esset locei] Ita cum Mosero, quem secuti Nobb. et Orell., revocavi Augustini lectionem, ex quo Maius quum prius falso *locus* enotasset, nunc *loci* refert, lectione tamen Ciceronis, quam prius constituerat *cuiquam esset locus*, non reformata: quam eo duce ceteri expresserant excepto Heinrichio, qui nescio quid agens dedit *quisquam esset locus*. Tuendae Maii lectioni, a se olim probatae, Steinackerus Em. in Cic. remp. p. 12 nunc confert Cic. Ep. ad fam. I, 9: *nulli improbo civi locus ad rem publicam violandam esse potuisset.* De genitivi *loci* a pronomine pendentis usu dixi Adnot. cr. in Quintiliani X. Part. II. p. 6. Ceterum cum Mosero scripsi *quicquam*: v. ad I, 44: ceteri *quidquam*.

recepit] Garatonius ad or. pr. Mil. 16. p. 213 ed. Orell., ubi hunc locum ex Augustino excitat, habet *recipit*.

eludens] Ita textus Augustini *eludens*, quod vocabulum parum placet Patricio, quamquam vocabulum idem is observat apud Ciceronem in Verr. III, 4. In editis fragmentis legitur *iam exculta praesertim et erudita, omne* etc. Cave tamen putes id fluxisse ex aliquo Augustini codice, quum reapse mera fuerit critici alicuius coniectura et immutatio, quia scilicet apud eundem Augustinum C. D. XVIII, 24, ubi aliis verbis

dem nomine alius nepos eius, ut dix*erunt* quidam, ex filia, quo*niam* ille mor*tuus* eodem *est anno*; na*tus* Simon*ides* *Olympiade sexta* et quin*quagensuma*: *quo facilius intelligei possit tum* de Rom*ulei* immor|talitate p. 67 creditum, quom iam inveterata vita hominum ac tractata esset et cognita. Sed profecto tanta fuit in eo veis ingenei atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio hominei agrestei crederetur, quod multeis iam ante saeculeis nullo alio de mortalei homines credidissent: quei inpulsu patrum, quo illei a se invidiam interitus Romulei pellerent, in contione dixsisse fertur, a se visum esse in eo colle Romulum, quei nunc Quirinalis vocatur: eum sibei mandasse, ut populum rogaret, ut sibei eo in colle | delubrum fieret: se deum p. 68 esse et Quirinum vocarei.

XI. 21. Videtisne igitur, unius virei consilio non

eadem recitatur sententia, scriptum vidit *temporibus iam expolitis et eruditis*. Maivs. De mendo ego non cogito, etsi lenis esset mutatio scribendo *excludens*. De N. D. III, 31: *rationem, quae vitia culpamque excluderet*.

respuit] Desiderantur litterae pl. m. 230: id est huius editionis versus prope septem. Maivs. Lacunosam sequentium verborum seriem ex parte nec sine ingenio a Maio refictam cum ceteris ferme omnibus editoribus repetii, non quod iis auctoris manum restitui credam, sed quod ad verum inveniendum aliquatenus inservire ea possint. Supplementa omisit ducibus Heinrichio et Steinackero Orellius.

dix*erunt*] Maius *dixerunt*.

*Si*moni*des*] Debetur egregia haec emendatio Niebuhrio, cuius explicationem vide apud Maium, ipsius auctoris verbis expositam.

quin*quagen*suma] Vulgo *quinquagesima*.

*quo fa*cilius] Schütz. susp. *quo difficilius*.

*intelli*gi] Maius ex Cod. *intellegi*.

immortalitate] Cod. *iam mortalitate*; tum superpositum fuit *im*. Atqui delenda erat potius littera *a* ex *iam*, ut nos fecimus. Neque enim τὸ *iam* heic belle retineretur. Maivs.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, quem alii secuti sunt: alii *quum*.

ingenei] Ex Cod. editores *ingenii*.

Proculo Iulio] Notae suae Maius a Mosero et Villem. monitus nunc subiungit Cic. legg. I, 1 et Off. III, 10.

inpulsu] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imp*.

pellerent] Moserus susp. *repellerent*.

contione] Ita ex Cod. Maius: ceteri *concione*.

dixsisse] Vulgo *dixisse*.

solum ortum novom populum, neque ut in cunabuleis vagientem relictum, sed adultum iam et paene puberem? Tum Laelius: Nos vero videmus; et te quidem
p. 81 ingressum ratione ad disputandum nova, quae | nusquam est in Graecorum libreis. Nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibei sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et a moribus. 22. Reliquei disseruerunt sine

novom] Ex Cod. Maius cum ceteris *novum*.

sed] Ex Cod. Maius *set*.

adultum] Cod. manifeste *aduitum*. Maivs. Conferri iubet Otto cap. 1 fin. Adi de v. significatione Doederl. Syn. Lat. T. V. p. 53.

sumpsit] Ex Cod. Maius *sumsit*.

exstrueret] Ex Cod. Maius *extrueret*.

ille] Nihil agunt Moserus, Nobbius, Zellius, qui praeeunte Heinrichio *illam* scribunt, refutati satis ab Orellio, retento *ille* iustam fieri oppositionem Platonem inter ac reliquos *πολιτειῶν* scriptores, bene monente.

sed] Ex Cod. Maius *set*.

a moribus] Cod. 1. manu a *maioribus*; 2. *moribus* sine praep. quam ego retineo. Sic eam retinet Cicero hac ipsa de re iisdem prope verbis loquens de or. I, 52. Maivs. Ita [*moribus* sine praep.] scripsi cum Heinr. Stein. et Lehn. [ita etiam Orell.] ut est in Cod. a 2 manu, reiecto *a* ante *moribus*. *Moribus* enim ut *vita* ad genitivum *hominum* est referendum. Nihil probat locus ab A. Maio allatus [*a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant*]: eius enim plane alia, quam nostri, est ratio. Sch. retinet illud *a*, quo orationem fieri inconcinnam recte monet Stein. in Add. Moservs. Ego cum Maio praepositionem retineo, non quod, si logica loci ratio spectatur sola, ex usu vulgari omittendam eam esse negem, sed quod si omittatur, verba *et moribus* elumbem efficere mihi videantur periodi exitum. Ut enim concedam valde probabilia esse, quae hoc de usu praepositionis vel semel ponendae vel iterandae V. D. constituere studuerunt, quorum Ottone ad Fin. p. 402 sq. explicatius nemo disseruit, tamen videntur ii mihi logicam solummodo usus rationem habuisse, in quae quidem ut omnis loquendi usus, ita etiam huius, fundamentum positum est, nec tamen usus ipse plane conficitur. Praeter logicam enim istam rationem multum valuit in usu regendo etiam oratoria, quae in numeris consistit, et tantopere saepe praevaluit, ut logices et grammatices regulae nonnunquam postponerentur, si modo postpositis his efficeretur, ut oratio vel numerosior prodiret, vel rotundior. Unde factum ut etiam in duorum membrorum cognatorum iunctura Cicero aequalesque eius in praepositionibus praeter logicam rationem repetendis sibi placuisse videantur: quod dudum observatum erat a Heusing. ad Off. I, 14. p. 112. Goerenz. ad Legg. II, 1. p. 105. Klein in Seebodii Misc. crit. II. p. 349, nec tamen ad perspiciendam usus rationem, neve ad constituendam quoque loco verborum formam satis erat. Igitur si cuiusque loci indoles singulatim spectanda est, in Ciceronis, de quo agitur, loco facile est intellectu, aliam esse formam dicendi *a vita hominum et moribus abhorrentem*, in qua Cicero

ullo certo exsemplarei formaque reei publicae, de generibus et de rationibus civitatium. Tu mihei videris utrumque facturus: es | enim ita ingressus, ut, quae p. 82
ipse reperias, tribuere alieis malis, quam, ut facit apud Platonem Socrates, ipse fingere; et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt, et disputes non vagante oratione, sed defixsa in una re publica. Quare perge, ut instituisti: prospicere enim iam videor te reliquos reges persequentem quasei perfectam rem publicam.

si praepositionem adiecisset, orationem corrupturus fuisset, aliam, si *moribus* interposito *abhorrentem* ab illis secernitur, quo fit ut quae post *abhorrentem* adiiciantur, ea enuntiationis sibi constantis speciem induant. Diversae quidem conditionis, eiusdem tamen rationis est quod reposui VI, 13 *in meo regno et in his tectis*, ubi gradationis caussa iteratur praepositio; qua omissa exsisteret otiosa eiusdem rei repetitio. Quare recte Cicero VI, 12 scripsit: *in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te* etc. ubi in ipsa repetitione praepositionis vis inest, quemadmodum idem manifeste fit ubi in obtestatione praepositio iteratur, veluti apud Terent. Andr. I, 5, 55. Simili de caussa supra I, 10: *quum de moribus, de virtutibus, denique de re publica disputet.* De alio omissae praepositionis genere dictum ad I, 36. Itaque uti totus hic usus, qui ad enuntiationes coniunctivas pertinet, a sensu recti, quo scriptor imbutus est, utique pendet, ita non magnopere mirandum quod ex contrario in disiunctiva loquendi ratione, ubi plerumque per *aut — aut*, vel etiam *et — et* membra iunguntur, eadem libertas locum non habuit: in quo genere omitti nullo pacto praepositio alterius membri potest, constanter ea servata a Cicerone, ut Wunderus refert Lect. cod. Erfurt. p. XVII. Afferam ex aliis scriptoribus unum Plauti locum Amph. Prol. III: *utrinque est gravida, et ex viro et ex summo Iove.*

certo] Omisit Schütz.

civitatium] Ita [*civitatum*] codex: at alibi *civitatium*. MAIVS. V. ad I, 34.

facturus] Lehn. susp. *fugiturus*.

reperias] Ex Cod. solus Maius *repperias*, non ferendum: v. ad c. 8 *recidisset*.

apud] Ex Cod. Maius *aput*.

vagante] Ita cum Heinrichio, cuius sententiam exposui ad I, 32 *referente*, scripsi pro *vaganti*, quod cum Maio retinuere omnes, quodque defendere studuit Moserus. Mox vulgo *defixa*.

prospicere enim iam etc.] Verbum desiderabat Maius, cui damno resarciendo Creuzerus succurrere voluit inserendo *praestare* post *perfectam*, quae emendandi ratio tali viro parum digna fuit. Leniore medicina Moserus *persequente*, quod receperunt Orell. Nobb. et Zell. Lehner. *video* pro *videor*. Nihil mutandum: verba *quasi perfectam rem publicam* sunt in appositione accusativi *reliquos reges*. Ne opus quidem ut post *persequentem* comma ponatur, quod cum Heinrichio adiecit Steinackerus, qui Emend. in Cic. de rep. 12 loci sententiam recte ita

p. 281 **XII. 23. Ergo, inquit Scipio, quom ille | Romulei senatus, quei constabat exs optumatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominarei patriciosque eorum liberos, temptaret post Romulei excessum, ut ipse gereret sine rege rem publi-**

explanat: „Puto te ita persecuturum reliquorum regum historiam, quasi perfectam tractes rempublicam. Hoc enim instituto uti ingressus est Scipio, ut optimae civitatis speciem ad rei Romanae, quacum nullam aliam conferendam esse contendit, exemplum referret eique accommodaret, id quod liquido apparet ex iis, quae supra (I, 46) exposuit. Sic enim illo loco: *Quam*, inquit, sc. rem Romanam, *simul et qualis sit et optimam esse ostendam, expositaque ad exemplum nostra re publica, accommodabo ad eam . . . omnem illam orationem, quae est mihi habenda de optimo civitatis statu.*" Franckius servata ceteroquin Codicis scriptura *perfectum*, sine sensu: sed si est typothetae vitium pro *perfecturum*, ut suspicatur Orellius Anal. Cic. T. IV, 2. p. 595, idem tum ait id sibi eximie placere.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*. Item paullo infra.

senatus] Cod. 2 m. *saenatus*, ut supra c. 9.

exs] Vulgo *ex*.

patriciosque] Kobbius Convers. Germ. p. 62 adnotavit, Livium X, 8 et Festum illud nomen interpretari *qui patrem ciere possunt*; Dionysium vero II, 8 cognatum cum *εὐπατρίδαις* putare.

temptaret] In utraque ed. Romana Maius *temtaret*, quod ad id ducit, quod cum Steinackero reposuimus, eandem scripturam propter Moserum denuo defendente Emend. p. 13, huic auctoritatem Codicis falso opponentem, quippe exemplo Tubingensi, in quo sane *tentaret* expressum est, inductum. Receptae enim formae, quam merito antiquitati vindicare studuerunt Meyerus ad Quintil. I, 1, 21 et Alschefskius ad Liv. T. I. p. XXIV, elevaturus fidem Moserus non debebat laudare Cellarii Orthogr. Lat. p. 371 Harl., quoniam quae hic in patrocinium alterius formae afferuntur, plane contrarium suadent. Primum enim de titulo illo, ex quo ibi INTENTATVM excitatur, accurate non liquet: contra alterum, qui commemoratur, in quo legitur TEMPTAVERIT, satis antiquum esse, apud Grut. p. 946, 6 inspicienti patebit. Deinde in Marii Victorini p. 2466 praecepto, quo insuper nituntur, *nec temptat, attemptat scribetis vitiose, sed, ut ego scripsi, iuxta MT ponetis*, mirum a V. D. non intellectum esse, magistrum quum *temtare* scribendum commendaret, suae ipsius aetatis consuetudinem scribendi, ut plerumque facere solet, secutum esse, eamque ipsam, quam Codex noster non multo post scriptus tenet: eundemque grammaticum quum *temptare* dissuaderet, prohibere voluisse, quominus vox ad antiquorum morem efferretur, quo constat litteris *m* et *t* plerumque *p* interpositam esse: de quo usu v. ad c. 14 *sumptum*. Eandem verbi *temptare* scripturam, inscriptionibus satis munitam (v. Grut. p. 946, 6), nunc video etiam Wagnerum in Virgilii ed. 1845 vulgata reposuisse: eandemque meliores exhibent MSS. Or. pro Sextio, teste Halmio p. 322.

gereret] Ita cod. 1 manu; at 2 fecit *regeret*, quam emendationem haud recipio; prior enim scriptura et latino sermoni satis congruit et elegantior est quam *regeret sine rege*. MAIVS. Lehnero *regeret*, quod recepit, de industria ob sequens *sine rege* positum videtur; quod sibi probari recte negat Moserus. Probarem, si abesset *ipse*, quod cum

cam, populus id non tulit, desiderioque Romulei postea regem flagitare non destitit: quom prudenter illei principes novam et inauditam cetereis gentibus interregnei ineundei rationem excogi|taverunt, ut, quoad certus p. 282
rex declaratus esset, nec sine rege civitas, nec diuturno rege esset uno, nec committeretur, ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset, aut ad optinendum munitior. 24. Quo quidem tempore novos ille populus vidit tamen, id quod fugit Lacedaemonium Lycurgum, quei regem non deligendum duxsit; sei modo hoc in Lycurgei potestate | po- p. 283
tuit esse; sed habendum, qualiscumque is foret, quei modo esset Herculis stirpe generatus. Nostrei illei etiam tum agrestes viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaerei oportere.

verbis *sine rege* inepte iungitur. Mecum facit Steinackerus Emend. p. 13: „Ego vero hoc argutiarum genus ab hac certe sententia alienum puto. Orellius contra vocabulum *gerere* non satis commodum esse asserit, usurpari enim de singulis, qui postquam remp. capessiverunt, cum aliis eam administrant. Quam recte, ipse viderit. Meo certe iudicio rem publicam *gerere* nihil aliud est, quam remp. administrare, id quod ab uno eoque solo perinde ut a pluribus, item a toto civium collegio, ut senatu, fieri potest. Cf. etiam Moser. Ceterum *ipse gereret* est *solus gereret*, ut Graecorum *αὐτός*." Praeter illos unus Zellius *regeret*.

tardior esset] Cod. *t. essed.*

optinendum] Vulgo *obtinendum.*

Quo] Cod. *quod*, manifesto mendo. Maivs.

novos] Vulgo *novus.*

tamen] Nota *tamen* in medio enuntiato positum ad omissum *quamvis* referendum, quod hic intelligitur ad *novus*; plane ut II Verr. I, 15, 40: *ei* (quamvis proditori) *postea praemia tamen liberalissime tribuit.*

Lacedaemonium] Ex Cod. Maius *lacaedemonium*, quod scribendi vitium iam supra advertimus, ut I, 31. V. ad I, 7.

deligendum] Cod. 1 manu *redigendum*; mox 2 manu *diligendum.* vetere orthographia pro deligendum. Maivs. *Deligendum* scripsimus pro eo, quod Maius, *diligendum*, cum Heinr. Sch. Steinack. et Lehn., qui merito respuerunt veterem illam, quam vocat Maius, orthographiam: qua de re diximus ad I, 34 etc. Moserys. Cf. Alschefski in Livii libr. XXX. p. civ.

duxsit] Vulgo *duxit.*

hoc] Ita 2 manu; at 1 *haec.* Maivs.

qualiscumque] Orell. *qualiscunque.*

foret] Hoc loco noto imperfectum *foret* rarum esse apud Ciceronem invenirique maxime in enuntiatis conditionalibus, respondens tum plane Gallorum *Conditionnel.* Videtur antiqua forma magis fuisse, unde Sallustius et posteriores scriptores ea saepius quam simplice usi sunt. Cf. Reisigii Vorles. §. 296. p. 514. Otto.

XIII. 25. Quibus quom esse praestantem Numam Pompilium fama ferret, praetermisseis sueis civibus regem alienigenam patribus auctoribus sibei ipse popu-
p. 284 lus adscivit; eumque ad regnandum | Sabinum hominem Romam Curibus accivit. Quei ut huc venit, quamquam populus curiateis eum comitieis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit: hominesque Romanos instituto Romulei belliceis studieis ut vidit incensos, exsistumavit eos paulum ab illa consuetudine esse revocandos.

XIV. 26. „Ac primum agros, quos bello Romu-
p. 87 „lus ceperat, divisit viritim civibus," | docuitque, sine depopulatione atque praeda posse eos colendeis agreis abundare commodeis omnibus, amoremque eis otei et pacis iniecit, quibus facillume iustitia et fides convalescit, et quorum patrocinio maxsume cultus agrorum perceptioque frugum defenditur. Eidemque Pompilius et auspicieis maioribus inventeis ad pristinum numerum duo augures addidit; et sacreis ex principum

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*.

adscivit] Ita 2 manu; at 1 *adscibit*. Maivs. Plane ut c. 7.

Sabinum hominem Curibus] V. Schol. vet. in Cic. pro Sulla in Maii Auct. cl. T. II. p. 257.

comitieis] Ita [*comitis*] cod. pro *comitiis*, solita crasi. Maivs. Ceteri *comitiis*.

exsistumavit] Vulgo *existimavit*.

paulum] Nobb. et Orell. *paullum*.

primum] Nonius, qui hunc locum e II de rep. citat voc. *viritim*, habet *primus*. Maivs.

abundare] Ita cod. 2 manu; at 1 *abundari*. Maivs.

eis otei] Cod. *eoistii*; tum 2 manu factum *his otii*; mihi vero videtur prior scriptio peccare metathesi, ceterum nullam litteram desiderari. Maivs. Cum hoc rell. *eis otii*.

quibus] Ita cod. 2 manu; at 1 *in quibus*. Maivs. Solus Heinr. *in quibus*, cui adstipulatur Otto allato Planc. Ep. ad fam. X, 24, 3: *pias propinquitates in tua observantia, indulgentia, assiduitate vincam*. Praepositionem addi posse concessit Moserus, neque ego improbo.

facillume] Vulgo *facillime*, ut mox *maxime*.

patrocinio] Cod. 2 m. *patroceinio*.

Eidemque] Vulgo *idemque*, quod hic et supra correxi. V. Comm. de pron. *is* p. 91.

duo augures addidit] Novum, quod Cicero tradit, neque ab alio

numero pontifices quin|que praefecit; et animos pro- p. 88
positeis legibus heis, quas in monumenteis habemus, ardenteis consuetudine et cupiditate bellandei religionum caerimonieis mitigavit: adiunxsitque practerea flamines, Salios, virginesque Vestaleis; omnisque parteis religionis statuit sanctissume. 27. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatum perfacilem esse voluit. Nam quae perdiscenda quaeque opservanda es|sent, multa constituit, sed ea sine inpensa. Seic p. 69
religionibus colendeis operam addidit, sumptum remo-

ullo scriptore, quantum sciam, proditum, tribus auguribus a Romulo constitutis (v. Liv. X, 6) Numam alios duos addidisse. Dionysius contra Antiq. Rom. II, 64 Numam narrat tres illos primos augures retinuisse, ac Servium Tullium demum Romanis in quatuor tribus descriptis, quatuor augures cooptasse: quicum consentit Livius I, 13. Serius denique Sulla auctore numerus eorum ad quindecim auctus est: v. Liv. Epit. 89. Cf. Mascov de iure auspicii apud Romanos, Lipsiae 1721. p. 14. De ratione auspiciorum *maiorum* non certo liquet: vide tamen Maium ad h. l. et Mascov. l. l. p. 7. Ceterum de gravitate auspiciorum paullo aliter Noster statuit de div. II, 36.

ex] Vulgo *e.*

quas in monumenteis habemus] V. dicta ad V, 2 *qui legum etiam scriptor fuisset.*

monumenteis] De duplice scriptura *monumentum* et *monimentum* orthographis adhuc non certo liquet: quorum plerique utraque veteres sine ullo discrimine usos esse statuunt. V. Cellar. Orthogr. Lat. T. I. p. 291 Harl. Proba quidem utraque forma, multis titulorum exemplis confirmata; sed valde probabile, eas non iuxta in usu fuisse, sed diversis aetatibus, qua de re certi quidquam statuere adhuc mihi non contigit, ita ut reapse Cicero utram scripserit adhuc explorandum sit. In monumento Eurysacis satis antiquo, in quo v. c. *quoius* exaratum, *monimentum* exstat: eandem scripturam exhibet titulus Muratorii p. 851, 8 certo post Traianum inscriptus, rursus alius Grut. p. 656, 5, minime ex recentissimis. Adde quod apud Varronem de L. L. V, 6 *monimentum* consensu omnium librorum scribitur. Contra alteram formam suppeditat inscriptio anni p. u. c. 751 ap. Murat. p. 318, 1, in qua tamen quaedam insunt, quae de fide eius dubitare sinunt; item alia post Traianum incisa ap. Grut. p. 162, 6; alia ap. Grut. p. 594, 2, cuius aetatem illa etiam recentiorem arguit quod ibi scriptum est HVNC MONVMENTVM; rursus alia vetustatis stilum affectans, in Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. p. 304.

ardenteis] Ex Cod. Maius *ardentis*, ut mox *omnisque partis*. Ceteri *ardentes*, et mox *omnesque partes*. De forma revocata v. ad I, 34 *civitatium*.

caerimonieis] Schütz. *caeremoniis*, quae scriptura omni fide caret. V. quem Moserus confert, Cellar. Orthogr. Lat. T. I. p. 196 Harl.

sanctissume] Vulgo *sanctissime.*

opservanda] Vulgo *obs.*

inpensa] Ita ex Cod. Maius: ceteri *impensa.*

sumptum] Ex Cod. Maius *sumtum*, uno Steinackero obsequente.

vit: eidemque mercatus, ludos, omnisque conveniundei

Antiquiorem formam cum ceteris editoribus restitui, qua antiquos cum maxime usos fuisse, et grammatici et monumenta inscripta testantur, quorum locos nonnullos attulit Cellarius Orthogr. Lat. T. I. p. 61 seq. quibus adde *sumptuarius* in titulo in Ann. dell' inst. arch. 1831. p. 398, *Pomptinus* ex inscr. in Giornale arcadico 1819. m. Ianuar. p. 60, insuper etiam auctoritatem praestantiorum Ciceronis codicum, veluti Erfurtensis, de quo v. Wunder Lect. cod. Erf. p. XIII.; quamquam concedendum, iuxta illam etiam alteram sine *p* locum obtinuisse, quod antiquum legis agrariae extra Urbem latae fragmentum apud Grut. p. 203 docet, in quo EMTVM et REDEMTVM scribitur. Quam scripturam in recentioris aetatis inscriptionibus atque codicibus, quorum, licet satis vetusti sint, nullus ad primi vel secundi saeculi aevum accedi, frequentari ac paene solam offerri, eo minus mirandum, quo certius in ipsis grammaticis quidam fuerunt, qui, ut Marius Victorinus p. 2466, saeculi ipsorum consuetudinem scribendi secuti docerent, in concursu litterae *m* cum *s* vel *t* a litt. *p* inserenda cavendum esse: quae praecepta non poterant non efficere, ut illa *p* librariorum male edoctorum sedulitate ex codicibus paullatim expelleretur. Mirifice vero fallitur Mahne post Wyttenbachii vitam a se scriptam p. 223 ed. Friedemanni, illam *p* adiiciendi consuetudinem medio demum aevo in usum receptam esse contendens, deceptus ille quibusdam testimoniis, ex quibus accurate examinatis erroris ipse facile convincatur. Ceterum cf. Reisigii Schol. Gramm. p. 282.

removit] Cic. leg. II, 8 ex duodecim tabulis: *ad divos adeunto easte, pietatem adhibento, opes amovendo*; quam doctrinam pergit idem Cicero sapienter explicare cap. X et XVI. Rei meminit etiam parad. I, 3. Praeterea Tertullianus apol. cap. XXV sic ait: *etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat: frugi religio et pauperes ritus, et nulla Capitolia certantia coelo, sed temeraria de caespite altaria, et vasa samia, et nidor ex illis, et Deus ipse nusquam; nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant.* Notabilis locus, quo demonstratur, in Numae religione aeque defuisse simulacra divina, ut apud veri cultus heredes adseclasque Hebraeos. Plato quoque superbum sacrorum luxum reprehendit in Alcibiade II. Tum etiam Plutarchus Lycurg. cap. XIX et apoph. reg. initio observat, sacra minimi sumptus a Lycurgo Spartae fuisse instituta. In eamdem sententiam loquitur Persius II, 69 et Lactantius II, 4. VI, 25. Nihilominus plerique populi, duce veluti et magistra meliore natura, Numinis maiestatem sacris magnificis honorare semper consueverunt. Maivs ed. alt. Otto conferri iubet Beier. ad Lael. p. 155 et Drak. ad Liv. V, 7, 10.

eidemque] Cod. *ut idemque*; verum *ut* (quod in codice satis videtur expunctum) profecto heic locum non habet. Maivs. Vulgo *idemque*.

omnisque] Vulgo *omnesque*.

conveniundei] Schütz. Mos. Orell. et Nobb. *conveniendi*. „Gerundii forma in *u*, ait Otto, ubicunque e codd. affertur, recipienda; in qua re illud modo dolendum est, quod inconstantia eadem reperitur, quae in genit. in *is* et *i* a Graecis nom. propr. ductis. Afferam tamen quos novi locos: *abiiciundus* Tusc. III, 19, 44. *capiundus* in Verr. II, §. 143. in Rull. II, §. 91. ad Fam. IX, 14, 2. *etiiciundus* Tusc. IV, §. 25. Fragm. ap. Orell. p. 457. I, 2—4. *exinaniundus* in Verr. V, §. 64. *experiundus* ad Att. IX, 16, 3. pr. Sest. §. 138. pr. Quinct. §. 51. pr. Caecin. §. 3. contra *experiendus* Legg. I, 4, 12. *faciundus* ad Fam. II, 19, 2. ad Att. XV, 4, 1. XVI, 13, 1. [II, 1, 8] ad Fam. XV, 10, 1 e SC. in Verr. I,

caussas et celebritates invenit. Quibus rebus instituteis, ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studieis bellandei iam immaneis ac feros. Seic ille quom undequadraginta annos sum|ma in pace concordiaque regnavisset: sequamur p. 70
enim potissumum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendeis temporibus diligentior; excessit ex vita, duabus praeclarissumeis ad diuturnitatem rei publicae rebus confirmateis, religione atque clementia.

§. 148. IV, 9, 19. V, 64, 36. 51. pr. Sest. Rosc. 10, 28. Lael. §. 69. de inv. I, §. 28. in Verr. III, §. 132. 143. in Catil. II, §. 19. de or. I, 14, 63. de fin. II, §. 79. Acad. II, §. 17. 49. de legg. I, §. 63. Tusc. IV, 34, 1 et §. 73. pr. Caecin. §. 45. Phil. II, 3, 7. Caesar Bell G. I, 7, 5. 13, 1. 31, 13. V, 41, 2. 46, 3. *inspiciundus* in Verr. IV, 17. 1. IV, 8, 38. pr. Caec. §. 61. *interficiundus* Caes. B. G. V, 29, 2. *metiundus* in Verr. III, 31, 73. *perficiundus* Orat. §. 1. *partiundus* Fragm. p. 482. n. 43. *potiundus* Parad. I, §. 15. de sen. §. 39. Caes. B. G. II, 7, 1. III, 6, 1. *reiiciundus* in Verr. III, 13, 32. *regrediundi* Caes. B. G. V, 44, 5. *undus* praecedente consonante: *defendundus* Planc. Ep. ad Fam. X, 8, 5. *dicundus* Att. VI, 1, 15. in Verr. II, §. 119. III, 80, 186. 205. ad Q. Fr. I, 1, 20. pr. Mur. §. 41. pr. Scaur. 2, 4. *emundus* in Verr. III, 70, 163. *ereiscundus* de or. I, §. 238. *ferundus* Phil. XI, 3, 7. Fragm. p. 449. 13. Caes. B. G. V, 52, 6. *gerundus* Rep. II, 24, 44. *praedicundus* de or. III, §. 36. *regundus* Top. §. 43. Fragm. p. 449. n. 10. *transigundus* in Catil. IV, §. 14. *vendundus* in Verr. III, 6, 14. 15." Neque ego committam, ut eiusmodi formae, a codd. oblatae, omnino oblitterentur, quamquam mihi adhuc non satis exploratum est, num Cicero eiusque aequales scripturam illam solam ac sine discrimine ullo admiserint: qua de re cupiam ab aliis edoceri. Interim addo *disserundi* ex huius operis Tulliani II, 39 auctoritatemque Varronis Cornuto laudati apud Cassiodor. de orthogr. T. II. p. 576 istarum formarum usum I. Caesaris aetate agnoscentis.

caussas] Ita Nobb. Cod. *causas*, quod cum Maio ceteri expresserunt.

atque] Ex Cod. Maius *adque*, quem secuti sunt Nobbius et Villem., contradicente Mosero. V. ad c. 11.

iam] Cod. 1 m. *tam*, quod solus probavit Steinackerus, refutatus a Mosero.

immaneis] Ex Cod. Maius *immanis*, unde ceteri *immanes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum*. Item mox.

potissumum] Vulgo *potissimum*, ut mox *praeclarissimis*.

diligentior] Sic Cicero etiam de off. III, 32 in controversia quadam citans hunc historicum, pari cum laude ait: *Polybius bonus auctor in primis* etc. Regum romanorum historiam videtur Polybius sexto libro praelibavisse, si certe vera est inscriptio *sexti libri* in valesianis excerptis, ubi Tarquinii Prisci res attinguntur. Quin adec in XL. libro chronologiam suam Polybius posuerat, ut in vaticanis nuper a me editis Porphyrogeniti excerptis p. 461 dicitur. Maivs ed. alt.

ex] Vulgo *e*.

religione atque clementia] Cod. *religionem atque clementiam*.

XV. 28. Quae quom Scipio dixsisset, Verene, inquit Manilius, hoc memoriae proditumst, Africane, regem istum Numam Pythagoraene ipsius discipulum, an
p. 295 **certe Pythagorium fuisse? | Saepe enim hoc de maioribus natu audivimus et ita intelligimus volgo exsistumarei: neque vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus. Tum Scipio: Falsum est**

dixsisset] Vulgo *dixisset.*

st] Cod. 2 *sit*, quod vulgavit Heinrich. probatque Handius Tursell. T. I. p. 300.; at 1 *est*, quod exhibuerunt cum Maio reliqui editores. Quod edidi, quodque primus legendum esse pervidit Krarupius p. 29, natum Ottoni recte videtur ex eo genere vitii, quo *st* passim in *sit* corruptum est: de quo dictum ad c. 10. Adde, quod Niebuhrius in Conspectu orthogr. persuasum sibi esse ait, *memoriae st proditum* rectius esse quam *memoriae est pr.* Legitur tamen II Verr. I, 18, 47: *quod est proditum memoriae ac litteris.*

Pythagoraene] Cod. *Pythagorae ne;* sed enim cum hac particula incipiunt posteriore manu supplementa verborum sequentium usque ad *saepe*, quae antea omissa fuerant. Itaque et τὸ *ne* videbatur mihi mendosum et minime ferendum. Maivs. Hunc secuti sunt ad unum omnes secure. At retinendum *ne*, quod quum etiam Ottoni placuisse video, eiusdem verbis iuvat corroborare: „De hoc loco disputat Madvigius ad Fin. p. 320, sed mihi non satisfacit; ego credo recte se integram codicis lectionem *Pythagoraene* habere, quum disiunctio non sit inter *verene—an*, sed inter *Pythagoraene — an certe Pythagoreum*, i. e. quodsi non ipsius Pythagorae discipulus fuit, certe (vel saltem) Pythagoreus fuisse videtur; illud *ne* autem in *verene* ad totam orationem pertinet, non ad unam partem. Ratio interrogandi est eadem, quae in *utrum — ne — an*, ubi *utrum* generaliter dictum, *ne — an* specialiter, de quibus particulis vide Schwartz. ad Horat. Tursell. v. *Utrumne* et Hand Vol. I. p. 334.“ Adde Goerenz. ad Acad. II, 22, 71. p. 133. Nobiscum facit Handius Tursell. T. I. p. 300.

an] Quod Moserus allato loco Ep. ad fam. VII, 9 *Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidam est* cavere studuerat, ut ne quis *an* cum *aut* commutandum censeret, id ausus est proponere Krarupius. Nunc revocata supra particula *ne* nemo amplius locum tentabit. V. Hand. l. l.

Pythagorium] Vulgo *Pythagoreum.* V. ad I, 10.

audivimus] Cod. *audibus;* tum ibidem emendatum *audivimus.* Iam et sequentia verba et *ita intellegimus* expuncta fuerunt temeraria libertate emendantis, quae nos retinenda censemus tullianaque existimamus. Maivs.

intelligimus] Ex Cod. Maius *intellegimus.*

volgo] Ex Cod. Maius *vulgo*, et ita ceteri omnes. V. Excurs. V. ad I, 3.

exsistumarei] Vulgo *existimari.*

annalium publicorum] Nonne pontificum? Annalium vero maximorum exempla ad Ciceronis usque aetatem perdurasse, quod ex hoc loco certe nobis videmur colligere, haud mirandum, quum idem in Numae legibus factum esse dubitari nequeat: etsi de exemplis originariis cogitandum non est.

enim, Manilei, inquit, id totum; neque solum fictum, sed etiam imperite apsurdeque fictum: ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum facta esse, sed ne fierei quidem potuisse cernimus. Nam quartum | iam annum regnante Lucio Tarquinio Su- p. 296
perbo, Sybarim et Crotonem et in eas Italiae parteis Pythagoras venisse reperitur. Olympias enim secunda et sexagensuma eadem Superbi regnei initium et Pythagorae declarat adventum. 29. Ex quo intelligei, regieis anneis dinumerateis, potest, anno fere centensumo et

enim] A posteriore m. additum *enim*, quod Maius primum induxerat, nunc suscepit, bene explicatum a Creuzero, Steinackero duce cum ceteris nos quoque revocavimus. Unus Heinrich. omisit.

id] *Id* superadditur in codice. MAIVS. Mox vulgo *absurdeque*.

fictum] Ita cod. 2. manu hic et inferius: at 1 *factum*. MAIVS.

ea sunt enim demum] Hic verborum ordo suspectus Handio videtur, Tursell. T. II. p. 403. Idem p. 257, ubi de vi v. *demum* agitur, sensum loci hunc esse ait: „ea sunt re vera non ferenda."

facta] V. Excursum XVIII.

sed] Ex Cod. Maius *set*.

cernimus] Sumit a Polybio magistro sententiam hanc Scipio, vel potius Cicero. Ait Polybius loco mox citando: *τὸ γὰρ ἀδύνατον ἐν τῷ ψεύδει μόνον οὐδ' ἀπολογίαν ἐπιδέχεται τοῖς ἁμαρτάνουσι.* Sic apud Moserum Lehnerus, qui ambo opinantur Polybium de Numa loqui, quoniam ita facit Cicero, ideoque non dubitant repertam esse iam sedem fragmenti huius. Atqui hoc fragmentum Polybianum, quod Schweighaeuserus posuit lib. VI. 59. 2, sumptum fuit ex ora codicis urbinatis vaticani CII. p. 61. Adscribitur autem in codice libro VI. cap. III. ff. 10, quo loco non de Numa agitur, sed de variis reip. formis; pertinetque sine dubio sententia ad cap. III, quia fragmentum in ora codicis ponitur e regione vocabuli *συμφεύδονται*. Perperam ergo Schweighaeuserus reiecit hoc aliaque urb. vat. codicis fragmenta ad calcem sexti libri, quae suis potius locis, uti sunt in codice, collocanda erant, quamquam eius rei culpam non Schweighaeuserus sustinet, sed Spallettus, a quo sunt missa editori fragmenta absque propriae sedis indicio. Mendose praeterea apud Moserum scribitur *ἐνδέχεται* pro *ἐπιδέχεται* et *ἁμαρτάνουσιν* pro *ἁμαρτάνουσι*. MAIVS ed. alt.

Lucio] Cod. 1 manu *M · Lucilio*; sed deinde videtur in codice facta emendatio. MAIVS. *Lucio* omittit Schütz.

Tarquinio] Rursus mendose cod. *Tarquinios*, et deinde *Ybarim*, quae mox metathesis sublata fuit. MAIVS.

parteis] Ex Cod. Maius *partis*, ut et mox *repperitur*, et *intellegi*. Ceteri *partes*.

sexagensuma] Vulgo *sexagesima* ut mox *centesimo* et *quadragesimo*.

regieis] Ita (regiis) cod. 2 manu: at 1 *regis* cum crasi. MAIVS.

dinumerateis] Verbum in computatione alicuius rei proprium Ciceroni. Off. I, 43: *dinumerare stellas aut metiri mundi magnitudinem*. Infra III, 2: *dinumerationibus noctium ac dierum*. V. Boethium ap. Hase ad Lyd. de Off. p. 354. At Verr. V, 45, 120 recte nunc videtur

quadragensumo post mortem Numae primum Italiam
Q.XVI. Pythagoram | attigisse: neque hoc inter eos, quei dili-
p. 39 gentissume persecutei sunt temporum annales, ullast umquam in dubitatione versatum. Dei inmortales, inquit Manilius, quantus iste est hominum et quam inveteratus error! Ac tamen facile patior, non esse nos transmarineis nec importateis artibus eruditos, sed genuineis domesticisque virtutibus.

XVI. 30. Atquei multo id facilius cognosces, in-
p. 40 quit Africanus, sei | progredientem rem publicam atque in optumum statum naturalei quodam itinere et cursu

editum ob manifestam vitii originem *pecuniam Timarchidi numerasse*, ubi antea *dinumerasse*; quamquam eodem sensu Terentius Adelph. V, 7, 17: *dinumeret ille Babylo viginti minas*. Contra sensu enumerandi a Ciceronis aevo alienum videtur hoc verbum, quandoquidem de N. D. I, 1 *dinumerare sententias* non modo codicibus non videtur sustentari, sed etiam manifesta Firmici Materni, quem affert Davisius hic omnino consulendus, imitatione probabile fit, Ciceronem *enumerare* scripsisse, quod bene Heindorfius suscepit. *Dinumerare* vero illo sensu frequens est tempore recentiore, ut ap. Iuniorem in Maii Auct. class. T. III. p. 403.

quadragensumo] Ita [*quadragesimo*] cod. 2 manu; at 1 *quatragesimo*. Maivs.

attigisse] Ita cod. 2 manu; at 1 *attingisse*.

diligentissume] Vulgo *diligentissime*.

st] Ita cod. 1 manu; at 2 superposuit *e*. Maivs. V. Exc. XVII. Ceteri editores *est*.

Dei] Ita [*Di*] ex Cod. Maius. ceteri *Dii*.

inmortales] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imm*.

error] Antiquissimus sine dubio error; namque apud Eusebium chron. I, 5, 9 eum sequitur Polybius cum Beroso nec non Abydenus, quorum sententia Pythagoras floruit sub Senecherimo et Ezechia regibus, id est Numae aetate. Errorem (quamvis meliora ut puto edoctus) poetica licentia retinet Ovidius fast. III, 153, nec non metam. XV, ut Numam scilicet Pythagorae praeceptis imbutum canere possit. Eandem opinionem sequitur Diodorus siculus ed. Wessel. T. II. p. 549, nec non Hieronymus contra Iovin. II, 38, cuius loci sententia frustra torquet Hieronymi editorem Vallarsium. Neque abludit Augustinus ep. CII. 13. Clemens quoque strom. I. ed. ven. p. 358 dicit Numam pythagoreum; item lib. V. p. 648. Rursum supradictus Augustinus ep. CXXXVII. 12 a veritate recedit, cum ait: *Pherecydes assyrius* [*syrius* corr. Mr. citato Tusc. I, 16] *Pythagoram samium ex athleta in philosophum vertit*. Eruditi enim ab hoc etiam samio olympionica philosophum discernunt. Maivs ed. alt.

Atquei] Maius ex Cod. *adqui*, ut etiam mox *adque* pro *atque*, et passim: de qua scriptura v. supra nobis monita et in Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. p. 58.

optumum] Vulgo *optimum*,

venientem videris. Quein hoc ipso sapientiam maiorum statues esse laudandam, quod multa intelliges etiam aliunde sumpta meliora apud nos multo esse facta, quam ibei fuissent, unde huc translata essent, atque ubei primum exstitissent: intelligesque non fortuito populum Romanum, sed consilio et disciplina confirma|tum esse, nec tamen adversante fortuna. p. 217

XVII. 31. Mortuo rege Pompilio, Tullum Hostilium populus regem, interrege rogante, comitieis cu-

maiorum statues esse] In prima editione scripsi *maiorum natu esse*; tum in scholio critico dixi legere me in codice *m. natu es esse*. Ecce autem mirabiliter Steinackerus correxit *maiorum statues esse*. Ego vero codicem iterum inspiciens manifeste legi in cariosa membrana *statues* pro *natu es*. Quare ingeniosissimo emendatori volens libensque plaudo. Maivs ed. alt. Vulgatam retinuerunt plurimi, Orellius tamen non sine corruptae lectionis signo. Moserus *maiorum nostrorum esse*, ingeniose quidem et recte perspiciens, *maiores natu* de hominibus, qui multis saeculis ante vixissent, dici non posse, Ottone, cui legendum videtur *maiorum natu statues esse*, Nepotis Iphicrat. I, 1 locum a Mosero iam expeditum, quo *aetatis suae primis* opponuntur *maiores natu*, frustra obiiciente. Contra Mosero in *maiorum* sine adiectione posito offendenti non adstipulor, quum *maiores* hic qui sint facile intelligatur. Insuper adest similis locus pro Mil. 31 *maiorum nostrorum sapientia*, ubi quum *nostrorum* a plerisque codd. adeoque Taurinensi absit, ego quidem interpolatori id deberi censeo, quod recte abesse posse etiam Garatonius arbitratur. Ceterum Codicis lectione nunc, ut par fuit, restituta de maiore aut minore distinctione post *videris* inferenda nulla amplius lis est.

quod] Cod. sine ulla emendatione *quot* pro *quod*; de qua confusione loquentem Longum superius laudavimus. Maivs.

intelliges] Ex Cod. Maius *intelleges*, ut etiam mox *intellegesque*.

sumpta] Ita cum plerisque scripsi; Maius ex Cod. *sumta*.

apud] Ex Cod. Maius *aput*.

multo] *Multo* additur secunda manu. Maivs.

ibei] Ita [*ibi*] bene correxit vitiosam codicis scriptionem *sibi* Maius: sed quod idem in notula critica coniicit *si ibi*, id invita, si quid video, fecit ratione, neque probare id debuit Lehn. Quid enim sibi vult *quam si ibi fuissent*? nonne revera ibi fuerunt, unde Romam translata sunt? Moservs.

atque] Rursus ex Cod. Maius *adque*.

exstitissent] Ex Cod. Maius *extitissent*.

fortuna] Cod. *fortunam*. Geminavit scilicet amanuensis *m*, quia sequitur *mortuo*. Nisi credendum est potius detractam esse syllabam, quasi scribendum foret *fortuna*. *Nam mortuo*. Maivs. Altera legendi ratio mihi quidem non displicet, neque displicuit Mosero, quem vide.

Pompilio] Ita cod. 2 manu; at 1 *Popilio*. Maivs. *Popilius* Interpres quoque vetus in Cic. pro Sulla in Maii Auct. cl. T. II. p. 257.

Tullum Hostilium] Cur Tullus sit rex creatus, causam silet Cicero aliique vulgo auctores seu veteres seu recentiores. Sed tamen egregia Dionysii varia lectio Tullum, ni fallor, declarat Romuli nepotem, natum

riateis creavit: isque de imperio suo, exsemplo Pompilei, populum consuluit curiatim. Quoius excellens in re militarei gloria magnaeque exstiterunt res bellicae. Fecitque eidem et saepsit de manubieis comitium et curiam: constituitque ius, quo bella indicerentur; quod per se iustissume inventum sanxsit | fetialei religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictum- p. 218

scilicet ex filia Hersiliae (quae quidem Hersilia Romuli uxor existimatur fuisse). Nimirum apud Dionys. III, 1, ubi vulgatus textus matrem Tulli dicit *Hersilii filiam* (vel, ut quaedam exemplaria, *Servilii*) prisci interpretes Lapus atque Gelenius legebant *Hersiliae filiam*, eamque diserte lectionem tuetur in notis Portus, citato alio Dionysii loco I, 45, ubi Hersilia venisse Romam cum filia dicitur. Si ergo Hersilia fuit Romuli uxor, utique huius filia, Romuli saltem privigna fuit, si ea forte ante nuptias matris cum Romulo nata erat: ergo Tullus ex hac natus, Romuli nepos appellandus fuit. Pater autem Tulli Hostilius fuit; avus paternus ille Hostus a Romulo corona donatus, ut ait Plinius XVI, 4. [Immo *Hostilius* cognomen Tulli fuisse, quo peregrinum eum fuisse, demonstratur in Ann. dell' inst. archeol. 1832. p. 53.] Quum ergo Hostus gratiosus apud Romulum fuisset, Hosti filius Hostilius facile consecutus est nuptias puellae ex Hersilia uxore Romuli natae. Eu itaque quo iure quave occasione Tullus Hostilius romanum sceptrum adeptus est. Profecto, etsi romani reges suffragiis electi videntur, nihilominus plerumque rationem cognationis in iis creandis habitam esse videmus (praeter quam in Prisco Tarquinio, qui parvulis Anci liberis regnum praeripuit). Numa quidem maritus Tatiae ex rege Tatio genitae. Tullus, ut dixi, Romuli nepos. Ancus natus e Numae filia. Servius Prisci gener. Denique Superbus soceri Servii regnum invasit. Ergo romani reges magis propemodum hereditarii fuerunt quam electiles. Atque hinc aliquantum infirmatur ipsius Ciceronis cap. XII de praestantia regni electilis dictum, quod splendido exemplo cl. Villemaenius refutavit. De romanorum regum genealogia disputavit etiam Blanchinius in opusculis T. II. p. 145 sqq.; sed nihil novi mihi protulisse videtur. Maivs ed. alt. His quum multa adiici vel obiici possent et deberent, nunc placuit Etruscam nominis *Tullus*, *Tullius* originem advertere, expositam in Ann. dell' inst. l. l. p. 39. Atque Hersiliae nomen Etrusce scriptum ΗΕΡΣΙΛΙΗ monstravit Lepsius Tab. Eugub. p. 27.

comitieis] Cod. *comittis*. Vulgo *comitiis*.

creavit] Codex 1 manu his locis valde mendosus; sed 2 emendatus. Maivs.

Pompilei] *Pompili* ex Cod. Maius: ceteri *Pompilii*.

Quoius] Vulgo *cuius*.

exstiterunt] Ex Cod. Maius *extiterunt*.

eidem] Vulgo *idem*.

saepsit] Cod. 1 manu *sempsit*; 2 *saepsit* cum diphthongo. Maivs. Illud ad analogiam v. *dempsi* librarius accommodasse videtur. Nobb. *sepsit*. V. ad I, 26.

manubieis] Ex Cod. Maius *manubis*; ceteri *manubiis*.

iustissume] Schütz. *sanctissime*. Vulgo *iustissime*.

fetialei religione] V. Maium et Moserum et quae de iure fetialium

que non esset, id iniustum esse atque inpium iudicaretur. Et ut advertatis animum, quam sapienter iam reges hoc nostrei viderint, tribuenda quaedam esse populo; multa enim nobeis de eo genere dicenda sunt; ne insignibus quidem regieis Tullus, nisei iussu populei, est ausus utei. Nam ut sibei duodecim lictores cum fascibus anteire liceret***

(Desiderantur paginae duae.)

32. Propterea et istum non creditum inter deos receptum talei morte, quia fortasse, quod erat in Romulo probatum, Romanei vulgare noluerunt, sei hoc et alterei facile tribueretur. (Augustin. C. D. III, 15. Tom. V. p. 179.)

afferunt Pitiscus Lex. antiq. Rom. T. I. p. 767. Heusing. ad Off. I, 11 et Osenbrüggen Comm. de iure belli et pacis apud Romanos. Ceterum non recte Schütz et Villem. *feciali*, iam contradicente Mosero. Cf. Iahnii Jahrb. 1833. Vol. VII. p. 137.

atque] Ex Cod. Maius *adque*.

inpium] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *imp*.

regieis] Ita [*regiis*] 2 manu; at 1 *regis* cum crasi. Maivs. Plane ut c. 15. Vulgo *regiis*.

liceret] Sequentem duarum paginarum lacunam Maius nunc in ipso contextu ingeniose quidem, sed non ut genuinis Ciceronis verbis adiicere ausus sim, hunc in modum supplevit: *atque ut togam pictam atque praetextam et latiorem clavum ac sellam curulem ab etruscis, quos devicerat, regibus acciperet, populum rogavit: quo concedente, haec in reliqua vita ornamenta usurpavit. Cumque ad extremum procella ipse quoque aut fulmine absumtus esset*, quibus Maius continuato contextu verba fragmenti ab Augustino servati *propterea* seq. subsequi iussit, hac nota subiecta: „Sic supplevi, facem praeferentibus mihi auctoribus classicis. Lege Plinium IX, 39. Macrobium I, 16 et Diodorum V, 40. Sed Dionysius etc.“ ut in nota 4 ed. pr. Addi poterat alius Dionysii locus III, 35, ubi in verbis, quibus caede Anci Marcii Hostilium periisse narratur, obiter iuvat vitium advertere: *ἐπιτήδειον ὑπολαμβάνοντα* [Marcium] *τὸν καιρὸν, ἅμα τοῖς ἑταίροις . . . παρελθεῖν εἴσω τῶν θυρῶν· ἀποκτείναντας δὲ τὸν βασιλέα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων ὅσοις ἔτυχεν εἶναι, πῦρ εἰς τὴν οἰκίαν ἐμβαλεῖν κατὰ πολλοὺς τόπους· ταῦτα δὲ πράξαντα* etc., ubi propter *πράξαντα* legendum cum Cod. Vatic. *ἀποκτείναντα*. Praeterea ex eodem rescribendum *ἐνεῖναι* pro *εἶναι*, patente corruptelae caussa.

Propterea] Heic mihi videbatur collocandum hoc fragmentum ab Augustino C. D. III, 15 servatum, cui sic praefatur: „de Tullo quippe etiam Hostilio, qui tertius a Romulo rex fuit, qui et ipse fulmine absumtus est, dicit in eisdem (de rep.) libris Cicero *propterea* etc.“ Iam vero praedicto genere morte periisse Tullum aiunt Livius I, 31; Plinius II, 53. XXVIII, 2; Victor; Eutropius; Valerius M. IX, 12, 1; Appianus apud Photium cod. LVII. Dionysius autem III, 35 more suo varias eius interitus famas narrat. Maivs ed. alt. Ceterum supplementi contextui

p. 171 **XVIII. 33.** *** ***neque*** **enim serpit, sed volat in optumum statum instituto tuo sermone res publica.** *S.* **Post eum Numae Pompilei nepos ex filia rexs a populo est Ancus Marcius constitutus: itemque de imperio suo legem curiatam tulit. Quei quom Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem. Atque eidem Aventinum et Caelium montem adiunxsit urbei: quosque agros ceperat, divisit; et silvas maritumas omneis publi-**
p. 172 **cavit | quas ceperat, et ad ostium Tiberis urbem condidit, colonisque firmavit. Atque ita quom treis et vigintei regnavisset annos, est mortuus. Tum Laelius:**

grammatico fragmenti verba accommodaturus, Maius scripsit *propterea non est creditus inter deos receptus.*

neque enim] Mutilum caput Maius nunc ita in contextu supplevit: *Tum Laelius, perge, inquit, Scipio: neque enim* etc.

optumum] Vulgo *optimum.*

instituto] Antea Maius ex coni. *instituta*, quod ante Moserum omnes susceperunt. Nunc Maius quoque Codicis lectionem restituit collato Cicerone in Oratore 54: *quae disputatio non huius instituti sermonis est.* Alia exempla Moserus.

Pompilei] Vulgo *Pompilii*, et mox *rex.*

est] Omittit Lehn.

itemque] Hanc Codicis lectionem Steinackerus ceteris editoribus plaudentibus revocavit, quum Maius antea de coni. *idemque* dedisset, illam nunc ipse suscipiens.

devicisset] Nobb. *divicisset*, ex errore typ., ut puto.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum.* Item mox.

adscivit] In codice perperam fit pausa post *adscivit.* Maivs.

Atque] Ex Cod. Maius *adque.*

eidem] Vulgo *idem.*

adiunxsit] Vulgo *adiunxit.*

urbei] Prolixiori notae suae ed. pr. de montibus Aventino, Coelio Maius Add. ed. alt. p. 386 nunc adiicit: „Tacitus annal. IV, 65 ait Aventinum, secundum opinionem quorundam, adiunctum fuisse urbi a Tarquinio Prisco, qui Etruscos ibi collocaverit."

omneis] Maius ex Cod. *omnis*: ceteri *omnes.*

firmavit] De portu Ostiensi dixerunt Maius et Creuzerus. His nunc adde Della via Portuense e dell' antica città di Porto. Ricerche di Ant. Nibby. Roma 1827.

treis] Vulgatum ex Cod. *tres.* V. ad c. 8.

mortuus] Ita cod. *mortus* pro *mortuus.* Est autem prior declinatio magis naturalis. Sed audiamus Augustinum C. D. XIII, 11: *non importune arbitror accidisse, ut hoc verbum quod est moritur, in latina lingua nec grammatici declinare potuerint ea regula qua cetera talia declinantur. Namque ab eo, quod est oritur, fit verbum praeteriti temporis, ortus est; et siqua similia sunt. Ab eo vero, quod est moritur, si quaeramus praeteriti temporis verbum, responderi adsolet, mortuus est, u littera geminata. Convenienter itaque factum est, ut*

Laudandus etiam iste rexs; sed opscura est historia Romana, siquidem istius regis matrem habemus, ignoramus patrem. *S.* Ita est, inquit: sed temporum illorum tantum fere regum inlustrata sunt nomina.

XIX. 34. Sed hoc loco primum videtur insitiva quaedam | disciplina doctior facta esse civitas. Influxsit enim non tenuis quidam ex Graecia rivolus in hanc urbem, sed abundantissumus amnis illarum disciplinarum et artium. Fuisse enim quendam ferunt Dema- p. 173

quemadmodum id quod significat non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit. Ludit scilicet Augustinus in verbi *declinare* duplici significatione. Idem fere ait August. de gramm. ed. Maur. tom. I. append. p. 13. (Immo apud Gellium III, 16 *Morta* est Parcae nomen cum significatu *mortua*. Item apud Apuleium grammaticum a me editum [§. 5, ubi v. a me notata].) Sed enim Ciceronis vel certe codicis auctoritas lepidis Augustini argutiis contradicit. Quamquam, ut vere dicam, videtur librarii mendum, non tam declinantis *mortus* pro *mortuus*, quam incaute scribentis: alibi enim hoc ipso in codice scribuntur duae *uu* huius vocabuli. Ceteroquin in lapide quoque (inscript. Marin. cap. XVI. part. II) legitur *mortus*. Et sic Itali nunc loquimur *morto*, non *mortuo*. Maivs ed. alt. Laudatam inscriptionem infimi aevi Christianam Maius repetiit Coll. nov Vat. T. V. p. 361, cui fides hac in re nulla. Illud vero vitium, quo una *u* pro duabus scriberetur, frequentissimum et in lapidibus et in MSS., de quo monuimus Excursu VI.

opscura] Vulgo *obscura*.

Romana] Mosero suspectum visum est.

inlustrata sunt nomina] Klinkhamer Diss. de donationibus, Amstelod. 1826. p. 179: „cavendum, inquit, ne quis illa verba ita intelligat, ac si iuxta Tullium tempora antiquissima civitatis Romanae ad hunc adeo modum obscura fuerint, ut nihil certum esset, nisi Regum nomina. *Illustrata* h. l. eo sensu usurpari videtur, quo venit vulgo *illustria*. Opponitur enim obscurus ignobilisque pater Anci Marcii Regis." Ceterum ex Cod. cum Maio dedimus *inlustrata*: ceteri *ill.*

insitiva] Ita cod. 2 manu; at 1 *insitiba*. Maivs.

disciplina] Cod. 1 manu *discipulina*; tum *u* expuncta. Maivs.

Influxsit] Ita [*influxit*] cod. 2 manu; at 1 *influcxit*. Sic in inscriptionibus *viexit*. Maivs ed. alt. Hoc exstat in titulo, quem ad Apuleium p. 54 edidi. Quam scribendi consuetudinem labentis aetatis esse, monui Adnot. crit. in Quintilian. I. p. 21, ubi alia id genus exempla congessi.

rivolus] Cod. *rivulus*, quod expresserunt omnes: v. ad I, 3. RIVOM ex inscriptione affertur in Cellarii Orthogr. Lat. T. II. p. 252. Harl. Similis rationis est nom. INTEGERIVOS (paries) in titulo in Revue de philologie T. I. p. 527. Paullo ante vulgo *e*.

abundantissumus] Vulgo *abundantissimus*, ut mox *florentissimam*.

artium] Notanda est haec artium et disciplinarum graecarum apud Romanos origo; quamquam infra de rep. III, 3 docebimus, graecam sapientiam ante Scipionem et Laelium vix Romae esse gustatam. Vide quae Plinius XXXV, 3 et 12 ait de artificibus graecis, qui Tarquinios venerunt. Maivs ed. alt.

ratum Corinthium et honore et auctoritate et fortuneis facile civitatis suae principem; quei quom Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non potuisset, fugisse
p. 174 cum mag|na pecunia dicitur, ac se contulisse Tarquinios in urbem Etruriae florentissumam. Quomque audiret dominationem Cypselei confirmarei, defugit patriam vir liber ac fortis, et adscitus est civis a Tarquiniensibus, atque in ea civitate domicilium et sedeis collocavit. Ubei quom de matrefamilias Tarquiniensei duo filios procreavisset, omnibus eos artibus ad Graecorum disciplinam eru*diit* ***

(Desiderantur paginae duae.)

p. 219 XX. 35. *** facile in civitatem receptus esset; propter humanitatem atque doctrinam Anco regei familiaris est factus, usque eo, ut consiliorum omnium par-

Demaratum] Tusc. V, 37 nonnulli MSS. *Damaratus*, veriorem sine dubio nominis in homine originis Doricae scripturam, quam etiam retinet Livius I, 34, adstipulantibus, ut me admonet Otto, melioribus libris, ut Flor. Damarati Corinthii mentio fit ap. Demosthenem. Ceterum similia de Demarati filio nunc refert Schol. vet. in Cic. pro Sulla in Maii Auct. class. T. II. p. 257.

Quomque] Ex Cod. Maius *cumque*. Alii *quumque*. Sic etiam paullo ante Cod. *cum*, et mox versus cap. finem.

dominationem] Schütz. nescio qua auctoritate *tyrannidem*.

confirmarei, defugit] Ita Cod. 2 m., quam lectionem Moserus cum Lehnero recte explicuit; 1 m. *confirmatam fugit*. Utriusque tamen m. lectione inter se comparata, scripsisse Cicero mihi quidem videtur *confirmatam defugit*. Ceterum de vi intensiva, qua verbis *de* adiicitur, quaque significatur aliquid omnimodo perfecte fieri, ut nihil supra addi possit, v. Menkii Obs. in Stat. Achill. Gottingae 1814. p. 7 sq. De verbi *deprecandi* simili significatu disserit Gellius VI, 16.

sedeis] Vulgo *sedes*.

de matrefamilias... procreavisset] Mirum est quod Handius Tursell. Vol. II. p. 217. 2. 3 nulla alia huius structurae [*procreare de aliqua*] exempla habet, nisi poetarum ac posteriorum scriptorum. Otto.

facile] Capite proximo voce *eruditi* finito, lacunae duarum paginarum supplementum ad sequens Maius retulit atque in contextum suscepit, quod nos ut lusum ingenii contextui subiicere malumus: *Mortuo deinde Demarato et maiore filio, universum patrimonium ad minorem natu devenit: qui spernentibus Etruscis se ortum exule advena, Romam hortatu uxoris cum ingenti re bona migravit. Cumque facile* etc. Cuius supplementi rationi explicandae repetit ex ed. pr. longiorem notam integram, nisi quod fine haec adiiciuntur: „Sic ab Ausonio aequale Hieronymi appellatur *Tanaquil* Therasia s. Paulini uxor. Videsis oper. s. Paulini ed. Veron. p. 357 et 369."

ticeps et socius paene regnei putaretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summa in omneis civeis opis, auxsilei, defensionis, largiendei etiam benignitas. Itaque mortuo Marcio, cuncteis populei suffragieis rexs est creatus L. Tarquinius: scie enim | suum nomen exs p. 220 Etrusco nomine inflexserat, ut in omnei genere huius

paene] Villem. *pene*, de qua scriptura v. Moser. et Reisig. Vorles. p. 283. Quam amplexus est Handius Tursell. T. IV. p. 416 sq. et eam quidem maxime ob caussam, quod ea vox communem stirpem cum vv. *penes*, *penitus*, haberet. Ut non obiiciam diversitatem prosodiae in syllaba prima, explicandam quidem facile, si de voce composita agitur, veluti in *persona*, vix vero in voce incomposita ferendam: illa ipsa vocum cognatio ante omnia demonstranda erit, quod an fieri unquam certo possit valde dubito. Quare malui interim in ea forma consistere, quae et antiquiorum codicum, qualis Vaticanus est, et inscriptionum fide nititur.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*. Edd. *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*. Item continuo Edd. *cives*, ubi ex Cod. Maius *civis*.

auxsilei] Ex Cod. omnes *auxilii*. Ceterum neminem miror adhuc hoc in loco offendisse, qui ultra consuetudinem Ciceronis ampullas bene rhetoris sapere videtur. Num enim Cicero alibi similia iunxit et cumulavit, *summa in omnes cives opis — benignitas*? Num unquam dixit simile quale est *auxilii*, vel *defensionis benignitas*? Nam *naturae benignitas*, quod dixit, recte dixit; diversum autem est. Videant acutiores.

rexs] Vulgo *rex*, ut mox *ex* et *inflexerat*.

suum nomen exs Etrusco inflexserat] Fallitur Cicero; nam *Lucumo* etruscum nomen est; graecum vero nomen est Demarati patris. Nisi forte Cicero *inflexerat* dicit pro *immutaverat*. Verius Dionysius III, 48 (ut obs. Cr.) dicit mutatum nomen *Lucumonem* in *Lucium*. Maivs ed. alt. Qui adstipulantibus ad unum omnibus editoribus ex Cod. *Graeco* pro *Etrusco* vulgavit, quod etsi audacius factu videatur, tamen confidenter in textum suscepimus. Lapsum enim esse Ciceronem, quum *Graeco* scriberet, ideo non potest concedi, quod nisi mente aberravit, labi omnino non potuit. Quale enim et unde acceptum illud Tarquinii Graecum nomen? Nullus antiquorum novit, neque tradidit: omnibus *Lucumo* Tarquinius, antequam Romam venisset, audit. Neque Graecum, a patre, ut putat Maius, ei nomen fuisse videtur, quod parum credibile est, Tarquinium, a matrefamilias Tarquiniensi susceptum, a Demarato patre, postquam apud Tarquinienses civitatem adeptus esset, Graeco nomine appellatum esse. Hoc enim Demaratus ad retinendam Graecae originis memoriam si voluisset, id procul dubio in filio suo natu maiore (v. Mülleri Etrusker T. I. p. 363) fecisset. Sed non fecit: immo Etrusco nomine Aruntem maluit vocari. V. Grotefendii Geogr. und Gesch. Altitaliens, fasc. V. p. 13. Itaque Graecum Tarquinii nomen Romanis notum esse non poterat, quia nullum erat. Susceptam vero lectionem *Etrusco* egregie firmat et illustrat Dionysius l. l., ex quo simul docemur, quo sensu Cicero *inflexerat* dixerit, de quo rursus ambigitur: *μαθών* inquit, *ὅτι Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν τὸ ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ᾧ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι καὶ πατρωνυμικόν, ἐξομοιοῦσθαι καὶ κατὰ τοῦτο αὐτοῖς βουλόμενος, Λεύκιον μὲν ἀντὶ Λυκόμωνος ἑαυτῷ τίθεται τε κοινὸν ὄνομα, Ταρκύνιον δὲ τὸ συγγενικὸν ἐπὶ τῆς πόλεως, ἐν ᾗ γενέσεώς τε καὶ τροφῆς ἔτυχε.* Quibuscum contende quae tradit Auctor de nomi-

populei consuetudinem videretur imitatus. Isque ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum patrum numerum; et antiquos patres maiorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat; a se adscitos, minorum. 36. Deinde equitatum
p. 37 ad hunc morem constituit, quei us|que adhuc est retentus: nec potuit Titiensium et Rhamnensium et

nibus impositivis fragmenti, quod Val. Maximo a quibusdam, Probo nescio cuidam ab aliis tribuitur, in Godofr. Gr. Rom. p. 1398: „*Lucii* coeperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erant, aut, ut quidam arbitrantur, a Lucumonibus Hetruscis." Ista iam sive a scriptoribus ficta, sive non ficta sunt, non potest aliam quam illam nominis inflexionem Cicero in mente habuisse, favente insuper ipso verbi *inflectendi* significatu, quod non est mutare ita, ut aliquid suam naturam plane exuat, sed ut primitiva servata ex parte tantum mutetur. Ceterum ultra illam Romanorum de nomine Tarquinii Etrusco famam progredi non licet nobis, quibus persuasum est, Etruscum nomen Tarquinii proprium scriptores Romanorum ipsos ignorasse, quippe non aliud quam *Lucumonis* tradentes, quod nunc constat ex genere propriorum non fuisse, sed aut principem unius duodecim civitatium Etruscarum aut certe principis filium, quae Mülleri est sententia, Etrusker l. l. ita ut plane vera esse videantur, quae Wachsmuthius Aeltere Geschichte des Röm. Staats p. 154 his comprehendit verbis: „wahrscheinlich nannte man ihn den Lucumo aus Tarquinii." De ipsa nominis (Tusce *Lauchme*) origine etymologi videant: per me licet cum Doederleinio De voc. Latinarum etc. cognatione Graeca p. 13 idem esse contendant cum Ἀλκμάν, Ἀλκμαίων, ἄλκιμος. Mihi non placet. De nominis *Lucumo* ratione v. nunc Grotefendium l. l. p. 12.

Deinde equitatu etc.] Totum hunc locum ita refingi iubet Franckius De tribuum, curiarum atque centuriarum ratione, Slesvici 1824. p. 12 seq.: *Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus. Atque etiam Corinthios video publicis equis assignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentes. Nec potuit tamen Tit. et R. et L. mutare, quum cuperet, nomina, quod . . . non erat. Sed prioribus equitum* etc. Quae loci dispositio neque necessaria neque commoda, quandoquidem quae Cicero de nominibus vetustis Titiensium rel. mutandis affert, ad morem equitatus constituendum pertinent, teste Dionysio III, 71, itaque recte suo loco inseri poterant. Ceterum cf. Roulez Obs. sur l'hist. de la constitution de l'ancienne Rome p. 16 et 20.

appellavit] Ita cod. 2 manu; at 1 *appellabit*. Malvs.

usque adhuc] Hoc loco excepto phrasin illam apud Ciceronem reperiri negat Stuerenburg. ad or. pro Archia p. 27.

Titiensium] Ita [*Titiensum*] codex, non *Titiensium*. [Hoc auctoribus Heinr. et Steinack. cum reliquis editoribus recepimus. V. ad I, 34 *civitatium*.] At Plutarchus Romul. XX et Servius ad aen. V, 560 scribunt *Tatienses*, scilicet a Tatio; non a *Tito Titienses*, ut Livius et Cicero. Recole superius cap. VIII. Malvs.

Rhamnensium] Cod. *Rhamensinum;* mox ita expunctae litterae, ut reliquum sit *Rhamnium*. Ego vero cunctas retinui, quia mendum haud excessus, sed metathesis litterarum fecerat. Quamquam nec *Rhamnium*

Lucerum mutare, quom cuperet, nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Atque etiam Corinthios video publiceis equeis adsignandeis et alendeis, orborum et viduarum tributeis, fuisse quondam diligenteis. Sed tamen, prioribus equitum partibus secundeis additeis, M ac CC **fecit | equites nu-** p. 38

improbaverim, quoniam Horatius P. 342 usurpat ***Rhamnes***. Et quidem ***Rhamnes*** vox antiquior. MAIVS. Legitur ea etiam apud Liv. I, 36. Mihi tamen non est dubium, quin Cicero longiore forma usus sit, quam Varro quoque usurpasse videtur, de L. L. V, 9; nam quomodo ***Ramnium***, quum statim sequatur ***Ramnensium***, iuxta se tueri possit non video. Immo ***Ramnium*** compendium scribendi suspicor esse pro ***Ramnensium***: quo corruptelae genere genuinus Varronis contextus etiam alibi obscuratus, uti v. c. mox in nomine ***Volnius***, quod retinuit Müllerus, cuius loco ***Volumnius*** (ad modum Tuscum nominis ***Tolumnius***) scribendum est. De quo Volumnio v. Langii Vindic. trag. Lat. p. 13. Ceterum qua necessitate cogamur duce Heinrichio, quem secuti Orellius et Zellius scripserunt ***Ramnensium***, Codicis scripturam deserere, non perspicio.

summa augur gloria] Ita 2 manu; at 1 ***summa gloria augur***. MAIVS.

Attus] Cod. ***Tatus***. Sed tamen prior *t* fuit deleta, quum potius esset metathesis pro ***Attus***, uti habet Livius I, 36. Ceterum varietates huius nominis collegit Drakenborchius ad praedictum Livii locum. MAIVS. Nolui in scriptura huius nominis perincerta quidquam novare, etsi Orellius cum Nobbio ausus est ***Attius*** vulgare, quod verius vulgata nominis forma sane esse videtur, si fidem habere licet Dionysio III, 70, non solum Ἄττιος scribenti, sed, quod maioris est momenti, monenti συγγενικὸν hoc esse nomen, cui ***Attus*** minime, optime vero ***Attius*** convenit, quemadmodum eodem teste, cuius locum supra exscripsimus, ***Tarquinii*** nomen pariter συγγενικὸν fuit. Eandem formam insuper alii quoque scriptores praestant. Similis variatio in altero ***Navii***, vel ***Naevii***, quam formam Villem. Ciceroni vindicavit, vel etiam ***Nevii*** nomine. Dionysius Νέβιος et προσηγορικὸν appellat. Cf. Drakenb. ad Liv. l. l.

adsignandeis] Plurimi invito Cod. ***ass***. Ceterum de hoc Corinthiorum instituto, quod Servius in censu constituendo imitatus esset, vide Boeckhium Metrolog. Untersuch. p. 208.

diligenteis] Ex Cod. Maius ***diligentis***. Ceteri ***diligentes***.

M] Steinackero duce ita scripsi invito Codice, ex quo cum applausu ceterorum editorum Maius vulgavit hoc signum ↀ, de cuius vi numerali idem in tantum bene disseruit, quantum opus videbatur illius notae, qua ***mile*** designaretur, exempla exhibere. Addi potest sigla ⅭⅯ chiliarcham notari in titulo non antiquissimo in Seiverti Inscr. p. 57, cuius apographum aliud fide non admodum dignum M exhibet. Adiicere vero Maius debuisset illud signum nihil aliud esse nisi formam litt. tam Latinae quam Graecae ***M*** recentiore tempore depravatam, quam passim in codicibus et lapidibus vidisse memini. Aliena vero ea omnino ab aevo Tulliano, ex quo nullum observavi exemplum: omnia quae Maius affert sequioris aetatis sunt. Igitur Cicero ***M*** scripsit, quod librarius pro more saeculi ipsius immutavit.

equites] Quae sequuntur invitis Lehnero aliisque, qui numerum MCC equitum duplicari ex mente scriptoris censuerunt, Creuzerus recte per epexegesin dicta interpretatus est, idem monente Goettlingio Gesch.

merumque duplicavit, postquam bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populei Romanei imminentem. Eidemque Sabinos quom a moenibus urbis repulisset, equitatu fudit belloque devicit. Atque eundem primum ludos maxsumos, quei Romanei dictei sunt, fecisse accepimus: aedemque in Capitolio Iovei optumo maxsumo, bello Sabino, in ipsa pugna
Q.XVII p. 31 vovisse facien|dam, mortuumque esse, quom duodequadraginta regnavisset annos.

XXI. 37. Tum Laelius: Nunc fit illud Catonis certius, nec temporis unius nec hominis esse constitutionem reei publicae: perspicuum est enim, quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio. Sed sequitur is, quei mihei videtur exs omnibus in re publica vidisse plurumum. Itast, inquit Scipio. Nam
p. 32 post eum Servius Sul|picius primus iniussu populei

d. Röm. Staatsv. p. 228. Quare colon, quod post *equites* vulgo positum, sensum loci perturbavit, delendum fuit.

postquam] Moser. susp. *posthac*. Ceterum quod apud alios scriptores nihil hoc de bello Tarquinii cum Aequis gesto legitur, id Moserus haud male ita explicare studet, ut Aequos Sabinis existimet annumeratos fuisse, quibuscum Tarquinium multum pugnasse constet. Sed non solum a Dionysio, ut ait Moserus, Aequi a Sabinis distinguuntur, sed etiam a Nostro Off. I, 11 et Strabone V. p. 228, ita ut melius res in medio relinquatur.

ferocem et rebus etc.] Florus I, 11: *Pervicacissimi tamen Latinorum Aequi et Volsci fuere et cotidiani, ut ita dixerim, hostes.*

Eidemque] Vulgo *idemque*.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *eum*: alii *quum*. Item mox.

repulisset] Ex Cod. Maius *reppulisset*. V. Excurs. XVI.

eundem] Nonnulli *eumdem*. Illud ex Cod. Maius: v. ad I, 44.

maxsumos] Vulgo *maximos*, ut mox *maximo*.

Romanei] Schütz. *humani*.

optumo] Vulgo *optimo*.

vovisse] Ita cod. 2. manu; at 1 *bovisse*. Maivs.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

exs] Vulgo *ex*.

plurumum] Vulgo *plurimum*.

Itast] Praeter Maium, qui Codicis lectionem expressit, ceteri omnes *ita est*, scilicet ex correctione. V. Excurs. XVII.

Sulpicius] Ita cod. evidentissime SULPICIUS. Quod autem in principe editione dixi, videri fortasse secunda manu factum *Tullus*, id nunc inspecto rursus codice vix apparet aut ne vix quidem. Quare lectio SULPICIUS certissima est. Habemus igitur insigne ornamentum gentis sulpiciae Servium romanorum regem sapientissimum et πολιτικώτατον.

regnavisse traditur: quem ferunt ex serva Tarquiniensei

Equidem vestigavi numquis vetus auctor *Sulpicium* dixerit Servium regem; sed vanus hactenus fuit labor; nemo enim mihi occurrit nisi iam citatus a me olim Coquaeus in commentario ad August. de C. D. XVIII, 37, a quo diserte hic rex dicitur *Servius Sulpicius*. Sic enim ait (ed. paris. 1613. p. 1218) *cum ultimi prophetarent Aggaeus, Zacharias et Malachias, Servio Sulpitio regnante apud Romanos.* Vidit hunc ergo regem sine dubio Coquaeus apud antiquiorem aliquem scriptorem sic appellari; neque enim aliter fieri potuit ut Coquaeus appellationem huiusmodi usurparet. Sed quid rursus dicemus iis, qui regem Servium non *Tullum* dicunt, sed *Tullium*, ita ut ad *tulliam* gentem pertineat; quos inter est Cicero ipse tusc. I, 16: *fuit* (Pherecydes) *meo regnante gentili*, id est Servio Tullo? (Vide chron. Euseb. lib. II. Et quidem Pherecydes fuit magister Pythagorae, quem et in tusc. et de rep. dicit Cicero vixisse sub Superbo Tarq.) Sane Cicero a semet ipso nunc refutatur, qui alios auctores secutus hunc regem *Sulpiciis* largitur, *Tullis* eripit. Praeterea iamdiu critici affirmant scribendum esse *Tullum*, non *Tullium*, ita ut familiae mentio excludatur. (Reapse tamen terminationes *us* et *ius* rem non plane definiunt. Nam abs *Iulus* est gens *iulia*, ab Aemilo *aemilia*.) Quamquam fatendum est *Tullium* multo frequentius hunc regem quam *Tullum* in auctoribus latinis (uti nunc praestant) legi, et in Graecis *Τύλλιον*. [Apud Tzetz. Chil. VI, 688 exstat *Τούλλος ὁ Σέρβιος*.] Sed certe interpres virgilianus Servius ad aen. II, 683 appellat hunc regem *Servium Tullum Hostilium*: quamobrem ad *hostiliam* gentem de Servii sententia is pertinet. Utique ad *sulpiciam* quod adtinet, mirari licet Suetonium, qui de hac gente disserens in Galbae vita, haud connumerat in huius maioribus illum regem: quare Ciceronis de rep. locum vel oblitus est Suetonius, vel ei fidem non arrogavit, vel aliter legit. Attamen si fastis testibus, nec non Cicerone Brut. XVI, qui alium rursus Tullum gentilem suum dici posse innuit (qui Ciceronis in Bruto locus non est antiquariis negligendus, unde cognoscitur quantis corruptelis stemmata familiarum rom. fuerint obnoxia) decimo post exactos reges anno (ut observavit Creuzerus) habemus consulem cum Tullo Servium Sulpicium; procul dubio nobilitas Sulpiciorum (quam fatetur Cicero pro Murena VII) vetustissima est; etiamsi minime ad Iovem et Pasiphaën, ut Galba imp. voluit, referatur; eaque Servium regem proxime attingit, quem haud aegre SERVIUM SULPICIUM TULLUM credere possumus. Tres igitur sibi romanae gentes Servium regem adpetunt; *tullia*, auctore Cicerone in tusculanis, et iis etiam testibus qui *Tullium* pro *Tullo* habent; *hostilia*, auctore grammatico Servio; denique *sulpicia*, auctore Cicerone de rep., et illo mihi adhuc incognito auctore, a quo notitiam sumpsit Coquaeus, qui certe Ciceronem de rep. non legit. Controversiae huic sapientissimum et aequissimum iudicem invoco cl. praesertim Barth. Burghesium, cui romana omnis antiquitas magis prope est familiaris et cognita, quam sua cuique cognatio vel patrimonium. Maivs ed. alt. Cui invitationi an Borghesius adnuerit ignoro. De Servii Tullii nomine et origine interim disseruit Oriolius in Ann. dell' inst. archeol. Vol. IV. p. 40 seq. *Sulpicii* nomen ex oscitantia librariorum hic illatam censet Goettlingius Röm. Staatsverf. p. 501, qui postquam hunc ipsum locum in codice diligenter examinavit, correctionis *Tullus* factae, quam Maius olim commemoraverat, nunc vero ipse addubitat, nullum omnino vestigium se deprehendisse testatur.

iniussu] Ita Cod. 2 m.; 1 *iniustus*.

ex serva] Cod. *exerva*, extrita *s*, pronunciationis vitio. Maivs.

Tarquiniensei] Cod. *tarquiniense*; sed correxi [*Tarquiniensi*] quia

natum, quom esset ex quodam regis cliente conceptus. Quei quom famulorum numero educatus ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenei, quae iam tum elucebat in puero: seic erat in omnei vel officio vel sermone sollers. Itaque Tarquinius, quei admo-
p. 291 dum parvos tum ha|beret liberos, seic Servium diligebat, ut is eius volgo haberetur filius; atque eum summo studio omnibus eis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissumam consuetudinem Graecorum erudiit. 38. Sed quom Tarquinius insidieis Ancei filiorum interisset, Serviusque, ut ante dixei, regnare coepisset non iussu, sed voluntate atque concessu civium, quod quom Tar-
p. 292 quinius ex volnere ae|ger fuisse et vivere falso diceretur, ille regio ornatu ius dixisset, obaeratosque pecunia sua liberavisset, multaque comitate usus, iussu Tarquinei se ius dicere probavisset: non commisit se patribus, sed, Tarquinio sepulto, populum de se ipse consuluit, iussusque regnare, legem de imperio suo cu-

c. 19 recte est *tarquiniensi*. Maivs ed. alt. Goettlingius Gesch. d. Röm. Staatsv. p. 231: „*Serva Tarquiniensi* bei Cic. scheint eher *serva Tarquinii* gewesen."

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*, ut etiam mox. Alii *quum*.

famulorum numero] Pro *serviliter*. Nam *cum* regit *adsisteret*. Cr. Maivs ed. alt. Moserus quippe divinarat *famulorum in numero*.

adsisteret] Ita ex Cod. Maius: alii *ass*.

ingenei] Vulgo *ingenii*.

puero] Cod. *pueros*, quod correxit Maius.

liberos] Iis, quae hac de re olim adnotavit, Maius nunc, a Mosero monitus, conferendam adiicit Laur. Vallae dissertationem in Livio Drakenborchii T. VII. p. 150 sq.

volgo] Vulgo *vulgo*.

eis] Ita Cod. Maius *iis* et sic reliqui.

exquisitissumam] Vulgo *exquisitissimam*.

quom] Ex Cod. cum Maio alii hic et mox *cum*: alii *quum*.

atque] Ex Cod. Maius *adque*.

civium] Cod. *coivium*, quod non est archaismus, ut Maius putat, sed vitium, nisi potius vestigium antiquae scripturae *ceivium*: v. Comm. de pron. *is* p. 66 sqq.

volnere] Ex Cod. Maius cum ceteris *vulnere*.

dixsisset] Vulgo *dixisset*.

Tarquinei] Vulgo *Tarquinii*.

riatam tulit. Et primum Etruscorum iniurias bello est ultus; ex quo quom ma***

(Desiderantur paginae duae.)

XXII. 39. ***duodevigintei censu maxsumo. Deinde, p. 107
equitum magno numero exs omnei populei summa separato, reliquom populum distribuit in quinque classeis, senioresque a iunioribus divisit; eosque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent; curavitque, quod semper in re publica tenendum est, ne plurumum valeant plurumei. Quae| p. 108
discriptio sei esset ignota, vobeis explicaretur a me.

Etruscorum] Cod. 1 manu *rusticorum*; 2 *Etruscorum*, recte. Conf. Dionysium IV, 12, 27 et Victorem cap. VII. Maivs.

quom] Ex Cod. Maius *cum* ut supra, et sic vel *quum* reliqui. Lacunam sequentem Maius nunc sic supplevit, a priore loci descriptione nonnihil discedens: *maximum agrum Caeretanis, Tarquiniensibus Veientibusque ademtum naetus esset, eum inter cives novissime adscriptos divisit.* His idem nunc subiunxit sequentia haec, quibus capitis sequentis initium mutilum scilicet restitueret: *Censum deinde instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Ex iis qui centum milium aeris, aut maiorem, censum haberent, octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum. His addidit centurias equitum*, nectenda continuo Codicis verbis *duodeviginti* etc. Olim Maius tantum scripserat: *scripsit centurias equitum duodeviginti*, quod suum fecerunt Steinack., Moserus, Nobbius, probavitque Rud. de Raumer de censu Servii Tullii p. 53. Alia supplendi lacunam pericula enarravit Orellius, haud certiora. Huschkius Verf. des S. Tullius p. 344 et 689 proposuit: *Et primo quidem aucto equitatu, ut Tarquinius fecerat, de suo ordine scriptis sex novis centuriis, omnino fecit equitum centurias duodeviginti censu maximo.* Ceterum quod Cicero omnes pariter equitum centurias censu maximo scriptas tradere videtur, id errori tribuit Goettlingius Gesch. d. Röm. Staatsv. p. 255.

maxsumo] Vulgo *maximo*.

Deinde] Duce Orellio virgulam addidimus; *deinde* enim cum *distribuit* iungendum videtur.

exs] Vulgo *ex*.

reliquom] Ex Cod. Maius *relicuum*, quod unus Steinack. probavit; ceteri *reliquum*. De scriptura a nobis restituta v. ad I, 21.

classeis] Ex Cod. Maius *classis*, quod expressit Steinack. Ceteri *classes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

eosque] Franckius *easque*, monente Mosero.

locupletium] De hac genitivi forma Tulliana v. Comm. de pron. *is* p. 70.

curavit — valeant] De attractione temporum *valeant* vide supra ad I, 17, 26, ubi inversa ratio est. Exempla vide apud Dietrich l. c. §. 40. Otto.

plurumum] Vulgo *plurimum* et mox *plurimi*.

discriptio] Servavi cum Maio et Schützio Codicis scripturam, satis, credo, munitam not. ad I, 46. Ceteri *descriptio*.

Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragieis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabreis tignarieis est data, LXXXVIII centurias habeat: quibus ex centum quattuor centurieis, (tot enim reliquae sunt) octo solae sei accesserunt, confecta est vis populei universa; reliquaque multo maior multitudo sexs et nonaginta cen-
p. 93 **turiarum | neque excluderetur suffragieis, ne superbum**

equitum centuriae cum sex suffragieis] Ita cod. 2 manu; at 1 *equitum certamine et suffragiis.* MAIVS.

fabreis tignarieis] Horum etiam in XII Tabulis mentionem factam esse, haud improbabiliter coniicias ex eo, quod Gaius in Comm. ad XII Tab. L. 235 de verb. sign. (50, 16) commemoravit eos illustravitque, quod adhuc non video notatum: atque eo, ut videtur, Tabularum loco, quo de sodalibus sermo fuit, quorum idem Gaius meminit, L. 4 de colleg. et corp. (47, 22). De fabris tignariis, qui et *tignuarii*, praeter Goettlingium, qui passim de iis disseruit l. l., cf. Cardinali Iscriz. Velit. p. 167. Labus de inscriptione Lat. Venetiis reperta, Venetiis 1830 (Férussac Bull. des sciences historiques 1830. T. XVI. p. 307 sq.) Mommsen Römische Tribus p. 75.

LXXXVIII etc.] V. Excursum XIX.

centum quattuor] Cod. *cent. quattor.* MAIVS ed. alt. Hoc, quod olim Maius vulgarat, unus Heinr. expressit. De forma *quattor* v. ad III, 8. Steinack. *cent. quatuor.* Ceteri quod nunc exhibetur.

centurieis] Ita [*centuriis*] cod. 2 manu; at 1 desunt verba *habeat quibus ex cent. quattor centuriis.* MAIVS ed. alt. Quae verborum omissio ab oscitantia librarii repetenda est, quippe cuius oculi a v. *centurias* statim ad v. *centuriis* aberrarint. Item sensit Rud. de Raumer De censu Servii Tullii p. 20.

confecta est] Hanc vocis vim illustravit Mommsen Römische Tribus p. 64, allatis quum aliis eius phraseos exemplis, tum Or. pro Murena 20, 42: *multae tribus municipiis Umbriae conficiuntur.*

sexs] Vulgo *sex.*

sexs et nonaginta centuriarum] Quo pacto 96? Videtur Cicero dare secundae classi centurias 20; tertiae rursus 20; quartae item 20; quintae 30; quarum summa 90: quibus addit 6, nempe accensorum, velatorum, liticinum, cornicinum, proletariorum, et ni quis scivit; de qua postrema locum Festi mox proferemus. Apud Dionysium lib. IV, 16 — 18 sic:

II.	classis	cent. 20
	fabrum	cent. 2
III.	classis	cent. 20
IV.	classis	cent. 20
	tubicinum et cornicinum	cent. 2
V.	classis	cent. 30
VI.	classis	cent. 1
		95
I.	classis	cent. 80
	equitum	cent. 18
		193

esset; nec valeret nimis, ne esset periculosum. 40. In quo etiam verbeis ac nominibus ipseis fuit diligens, quei quom locupletes assiduos appellasset ab asse dando,

Igitur quinque priorum classium centuriae fuerant 192, quarum dimidia pars 96: quamobrem ad obtinenda comitia opus erat centuriis 97. Itaque si prima classis centuriarum 98 (secundum Dionysium) conspirasset, res erat confecta: alioquin oportebat e sequentibrs classibus tantum sumere, donec centuriae 97 conspirarent. Quod si forte utrimque par numerus, nempe 96 consisterent: addebatur alterutri parti classis ultima sive sexta, quae lancem inclinabat. En autem ut Cicero conspirat in summa adamussim cum Dionysio.

Cent. equit. cum sex suffrag. et I. class. et tign.	89
Accedentes (ex 104)	8
Reliquae (ex 104, detractis 8)	96
	193

Maivs ed. alt.

verbeis ac nominibus] Non opus *in verbis* etc. Vide c. 20, 36 *equis assignandis diligens.* Otto. Scilicet quaesierat Moserus, annon *in* Ciceronis de more dicendi addendum sit, quippe qui *diligentem aliqua re esse* dicere non solitus sit. Defendit tamen ablativum nudum ipse eo, quod habeat vim *quod attinet ad,* allato de hac constructione adiectivorum Ruddimanno Inst. Gr. II. p. 109—112.

quom] Cum Maio ex Cod. alii *cum*: alii *quum.*

assiduos] Ita [*adsiduos*] cod. Charisius autem p. 53: *adsiduus quidam per d scribunt, quasi sit a sedendo figuratum, sed errant* etc. Tum Vindex p. 2318 diserto iubet scribere per duo *ss assiduus.* Tum idem Charisius: *qui asses dabant assidui dicti sunt.* Confer et Paulum in hac voce. Maivs. His Moserus adscripsit: „V. Gell. N. A. 16, 10. vel *assiduus* est ab *assidendo* in conciliabulis, idque verius. Dousa ad Plaut. Trin. 203. in Plautin. Explanatt. p. 395", in quibus diligentiam Moseri desidero. Manifestum vitium, quod in Codicis scriptura *adsiduos* inest (v. Freund. ad Milon. p. 27), superiorum editorum, a quibus cum Maio unus Steinackerus discedit, exemplum imitatus sustuli, lectionem nunc receptam tum re ipsa, tum grammaticorum, quos Maius laudavit, auctoritate commendantibus. Praeterea fidem faciunt quae apud Charisium continuo sequuntur verba, a Maio omissa, licet in his inepta quaedam admixta sint, a veris facile distinguenda: *Nam cum a Servio Tullio populus in quinque classes esset divisus, ut tributum prout quique possideret, inferret: ditiores qui asses dabant, assidui dicti sunt; et quoniam soli in negotiis publicis frequentes aderant, eos qui frequentes assunt, assiduos ab assibus dixerunt.* Similia postremis Glossator Vindobonensis a Cramero editus (Seebodii Krit. Bibl. 1822. No. 12. p. 1151): *Assiduus dicebatur apud antiquos, qui assibus ad aerarium expensum conferendis erat, et in negociis quoque publicis frequens, unde et per s non per d scribendus est.* Grammaticus ap. Gothofredum p. 1371: *Assiduus dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. Alii assiduum locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alii eum, qui sumptu proprio militabat, ab asse dando vocatum existimarunt.* Agmen claudat, incredibiliter licet is rem perturbet, Placidus Glossis in Maii Auct. class. T. III. p. 434: *Assiduos, capite censos, qui nihil dare poterant nisi prolem: unde et proletarii dicti sunt, et adsidui milites ab assiduitate officii.* Quae in his perverso modo traduntur, ea maximam partem ex communi illo errore

eos, quei aut non plus mille quingentum aeris, aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, proletarios nominavit, ut exs eis quasei proles, id est

grammaticorum repetenda sunt, voces duas specie quidem similes, sed origine et potestate prorsus diversas inter se confundentium, *assiduus*, quod ab asse dando, et *adsiduus* quod ab adsedendo dictum est: quae utriusque vocis eo facilior confusio esse debuit, quo antiqui concursum consonantium *d* et *s* vitaturi pro *adsiduus* lubentius scribere malebant *assiduus*, ita ut specie utraque vox plerumque non distingueretur: quod et scribam Vaticanum adeo induxit, ut quod nunquam usus probasset, hoc loco scriberet *adsiduos*. Neque vero erorem illum soli magistri veteres errarunt: non caverunt ab eo sibi etiam recentioris aetatis doctores. Plaut. Amph. I, 1, 14:

noctesque diesque adsiduo satis superque est
quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis,

ubi plerique de divite vel opulento intellexerunt, interpretando: satis superque affluit dives. Immo *adsiduo* adverbium est, ad vim verborum *noctesque diesque* augendam appositum: quo modo Bothius quoque locum accepisse videtur. Item apud Plautum Trin. I, 2, 162:

Nihil est profecto stultius, neque stolidius
— — — — — — — — — —
quam urbani adsidui cives, quos scurras vocant.

Dousa vocem interpretatur de civibus locupletibus, quod quo modo de scurris, qui utplurimum ex classe pauperum sunt, accipi possit, ego non assequor; aut de iis, qui semper adsideant in conciliabulis et garriendo et alios criminando tempus perdant. Immo intelligenda vox est de quotidiana et continua consuetudine vel assiduitate, qua fautorem divitem scurrae, tanquam patronum clientes, assectantur, quasi obsident, numquam a latere eorum discedunt. Hinc apud Cic. de petit. consul. 9: *assidua assectatio* aliaque similia, ut pro Murena 34. Cf. Graev. ad II Verr. I, 39, 125. Hinc *assiduum* in I Verr. 12, 36 Pseudo-Asconius haud male molestum interpretatur. Talem scurrarum assiduitatem praeclare pinxerunt Plautus Most. I, 1, 14 et Lucilius apud Festum v. *scurra*. His expositis vix quisquam, credo, erit qui Huschkio Verf. des S. Tullius p. 204 sq. adstipulari malit, in hoc Ciceronis loco lectionem *adsiduos* defendenti atque vocis significationem ab adsidendo repetenti.

asse] Cod. *aere*, quod editores valde miror ad unum omnes, quos novi, patienter tulisse, commutandum cum ea lectione, quam res ipsa flagitat. Absurdus enim fuisset Tullius, si *assiduus* ab *aere* dando hic derivasset, in Topicis autem c. 2, 10 scripsisset: *assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse dando*. Neque aliter ceteri, qui rem attigerunt, scriptores veteres in not. praecedenti laudati. Nam quod exstat apud Boethium ad Top. *aere* in simili phrasi, id quum iam propter ceteram vocis explicationem a Boethio exhibitam in vitii suspicionem cadere mihi dudum videretur, nunc ope codicis Monacensis ab Orellio T. V, 1. p. 414 notati, qui *asse* praebet, de medio tollitur. Neque latet corruptae hic et ap. Ciceronem vocis caussa, quandoquidem probabiliter sumere licet, vocem *asse* per compendium aliquod olim exarari solitam esse.

quingentum] Cod. 1 manu *centum*; mox videtur superaddita *D*, id est factum *quingentum*. Maivs. Huschkium, quum *centum* servandum statueret, perperam id pro lectione variante accepisse, admonuit Goettlingius p. 250.

proletarios] Egregie eorum de conditione Mommsen l. l. p. 114 sq.

quasei progenies civitatis, | exspectarei videretur. Illa- p. 94

ut exs eis quasei proles — videretur] Verba *id est quasi progenies* spuria videntur Franckio. Delenda *ut ex iis — videretur*, vel legendum *ut ex iis nil nisi proles exspectari videretur*, Moserus suspicatur. Certe *quasi* ante *progenies* delendum videtur. Orellivs. Hoc loco vereor, ne viri docti non satis intellexerint, quid Cicero voluerit. Ego enim nulla emendatione locum egere existimo, modo recte explicetur. Offenderunt in duplici comparatione, quae contra est aptissima. Vocabulum *proles* est antiquum et poeticum, quo quamquam Cicero ipse de Or. III, 38, 153 se non fugere uti profitetur, non tamen vulgo id usurpavit, sed loco posito, quo grandior atque antiquior oratio videretur, quae ipsius fere sunt verba, dicturum se fatetur, id quod fecit. Nam legitur 1, in poetico illo Somnio Scipionis c. 7, 23 (de rep. VI, 21, 20): *Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum laudes uniuscuiusque nostrum a patribus acceptas posteris tradere.* 2, in versu de N. D. II, 63, 159:

ferrea tum vero proles exorta repente est.

3, exstat in XII tabulis Legg. III, 3, 7 *equitum peditumque prolem describunto.* Praeter hos locos apud Cic. non reperitur. Recte autem Doederlin. Syn. Vol. V. p. 309 dicit Ciceronem de rep. II, 22 hoc vocabulo usitatiore usum esse ad explicandum nomen *proletariorum*, quod non dubium est quin a *prole* sit dictum; quo nomine liberi quasi *fructus* significarentur, quasi recentior proventus, qui propagaretur cum natu maioribus; *suboles* autem esse quasi natos ad genus propagandum morientium, *Nachwuchs*. Primum igitur id spectavit Cicero, ut nominis proletariorum originem doceret veriloquio; sed altero loco rem ipsam explicare studuit, quo sordida ista proletariorum destinatio obscuraretur, in eiusque explicationis locum, nomine ipso explicato, rei explicatio sequeretur, qua dixit proletarios a prole dictos exstare ad progeniem civitatis curandam, i. e. ne interiret civitas; ipsum autem vocabulum *progenies* nondum satis respondisse videtur ei rei significandae, quippe quod non minus nobile atque electum verbum esset, id quod idem Doederlin. l. l. p. 308 verbo „*progenies* ein edler Ausdruck“ expressit, quod ipsum verbum fere poeticum est et a Cicerone eadem conditione tantum usurpatur, quo se de Or. l. c. vocabulo *prolis* usurum professus est. Nam reperitur 1, Tusc. I, 12, 26: *antiquitas — quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.* 2, Tusc. I, 35, 85: *Priamum tanta progenie orbatum.* 3, Phil. IX, 2, 5: *Reddita est ei tum a maioribus statua pro vita, quae multos per annos progeniem eius honestaret; nunc ad tantae familiae memoriam sola restaret.* 4, Ep. ad Brut. II, 8 extr. *Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies eius a regibus liberavit, pro turpi stupro datum in servitutem.* 5, in poetico illo Timaeo c. 11: *Credendum nimirum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant.* 6, denique in fragm., ut videtur, ap. Lactant. (Orell. Fragm. p. 490. 5): *Si Cadmi progenies aut Amphitryonis aut Tyndari in coelum tollenda fama fuit.* 7, de rep. I, 24, 38: *ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar.* In his omnibus autem locis grandidatem orationis facile, credo, senties, non humilia sectantem, unde hoc verbum quasi amplius erat, quam quo ad proletariorum liberis operam dandi negotium, natura vilissimum, pro civitate conservanda gravissimum, significandum uteretur. Extremum verbum, ultra quod caret lingua Latina vocabulo ad *posteritatem* significandam, quam nos dicimus Nachkommenschaft, Geschlechtsfortsetzung, *prosapia* ipsum quoque poeticum est, vide Doederlin. l. c. p. 305. Hinc mihi factum videtur, ut Cicero, quum aliud verbum huic rei significan-

rum autem sexs et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur, quam paene in prima classe tota. Ita nec prohibebatur quisquam iure suffragei: et is valebat in suffragio plurumum, quoius plurumum intererat esse in optumo statu civitatem. Quein etiam accenseis velateis, liticinibus, cornicinibus, proletarieis***

dae non haberet, ad metaphorae significandae particulam confugeret, necessitateque extrema adductus bis eadem honoris praefandi formula uteretur, quum et verbi et rei originem vellet docere. Otto. De hac particulae *quasi* potestate v. monita ad c. 9. V. *progenies* potestatem illustrat Placidus Glossis in Maii Auct. class. T. VI. p. 570: *„Progenies. Pronepos est qui ex nepote nascitur. Ex hoc quoque gradu incipit vocari progenies, quasi post geniti: nam filii et nepotes non sunt progenies, quia non est in eis longa posteritas. Sicut autem inferius longe editi progenies dicuntur, ita superius proavi, qui et progenitores appellantur, quasi porro generantes.*

exs eis] Vulgo *ex iis*, et mox *sex*.

in una] Hoc corruptum. *In una ultima* Reisigius suspicatus est, ad sensum recte. Sed melius ac vere, opinor, Goettlingii coniectum: *in ima*. Orellivs. Mox ex Cod. vulgatum *suffragii*.

plurumum] Vulgo *plurimum*, ut etiam mox.

quoius] Vulgo *cuius*.

optumo] Vulgo *optimo*.

accenseis velateis] Comma interpositum, quod Maius cum aliis, Niebuhrii maxime nisus auctoritate, cui obsequendum esse etiam Orellius sententia sua retractata, monet Anal. T. IV, 1. p. 574, etiam nunc retinuit, invitis plerisque, ut Steinackero (v. Moserum), delendum esse, post ea quae ea de re Huschkius l. l. p. 183 et Goettlingius l. l. p. 251 monuerunt, nemo amplius dubitabit. De accensis velatis conf. etiam Mommsen l. l. p. 75 et 135.

liticinibus, cornicinibus] Cod. *liticinibus*; tum *litiei* videtur deletum, et certe superpositum est *corniei*. Mihi utrumque vocabulum retinendum videbatur. De liticinibus Gell. XX, 2. Maivs. Recte. V. Goettling. p. 249. Mommsen. l. l. p. 75. Librarius *liticinibus* in *cornicinibus* transmutaturus, neglexit, quod facere debebat, *cornicinibus* expungere: eius enim ex mente solis cornicinibus locus dandus. Aliter sensit Huschkius l. l. p. 159, qui reponit *cornicinibus, liticinibus*. V. eundem p. 690.

proletarieis ...] In lacuna periit reliqua census descriptio: tum aliae fortasse res a Servio gestae, et apud historicos celebratae; nempe quod urbis moenia pomoeriumque protulerit; aggerem fossamque fecerit; Quirinalem, Viminalem et Esquilinum incluserit; Dianae aedem celebrem in Aventino struxerit; (aedem item Fortunae Liv. X, 46); aes primus romanorum regum signaverit; mensuras et pondera constituerit. Quibus narratis, videtur Cicero instituisse comparationem romanae reip. cum laconica et cum carthaginiensi. Maivs. Goettlingio p. 252 verba Tullii mutila ita suppleri posse videntur: *proletariis ita prospexit, ut eorum suffragia pro rei militaris ratione plus valerent quam capite censorum*, reprobanti simul Huschkii commentum: *proletariis suas quibusque centurias dedit*. Zachariae Animadv. de numero centuriaeum a S.

(Desiderantur paginae quatuor.)

XXIII. 41. Statu esse optume constitutam rem publicam, quae ex tribus generibus illeis, regalei et optumatei et popularei confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum. (Nonius v. *modicum* p. 342.)

42. *** ***quinque et*** **sexsaginta anneis antiquior, quod** p. 45 **erat xxxvm ante primam Olympiadem condita. Et antiquissumus ille Lycurgus eadem vidit fere. Itaque ista aequabilitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihei commune nobeis cum illeis populeis fuisse. Sed quod propriumst in nostra re publica, quo nihil possit esse praeclarius, id persequar, sei po-**

Tullio institutarum: ***Quin etiam accensis velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis et capite censis quatuor attributae sint centuriae.***

Statu etc.] Locum a Nonio sumo, qui voc. *modicum* citat eum ex II de rep. Videtur autem ad hanc sedem quadrare, in qua sermo est de triplici politiae genere. Quamquam et alibi non absurde poni posse videtur. Maivs. Omiserunt hic Nonii locum Steinack. Heinrich. Schütz. et Zellius, quorum hic: „In lacuna quatuor paginarum periit reliqua census descriptio, tum aliae fortasse res a Servio gestae. Quibus narratis Scipio, ut sequens caput declarat, comparationem Romanae rei publicae cum Lacedaemonia instituit et cum Carthaginiensi."

optume] Ita nunc Nonii editores pro *optimo*, quod susceperunt Ciceronis editores omnes, nisi quod Maius nunc *optumo*.

optumatei] Ita Maius. Ceteri *optimati*.

puniendo] Ex Codd. in Nonio nunc vulgatum *punienda*.

immanem etc.] Moserus susp. *immanemque ac ferum reddat*.

quinque] De huius supplementi ratione diserte Maius olim exposuit, de Ciceronis loco ex orat. pro Flacco c. 26, quem ultimum affert, nunc haec addens: „Peccat ibi tamen Cicero, si vera narrat de Rep. II, 10: dicendum est enim DCCCXXX. Immo Isocratis aetate (panath. ed. Steph. p. 275) Lacedaemonii septingentis iam annis in Peloponneso fuerant." Idem praeterea verbis *quinque* etc. nunc praeposuit *Karthago urbe Roma*.

sexsaginta] Vulgo *sexaginta*.

XXXVIIII] Ita olim Maius ex Cod. At nunc idem *XXXVIII*, nimirum ut Cicero cum Timaei chronologia constet. Priores editores nil mutarunt.

antiquissumus] Vulgo *antiquissimus*.

propriumst] Eadem venia, qua usus Madvigius est in rescribendo Fin. III, 17, 58 *quod autem ratione actum st* (vulgo *actum sit*), *id officium appellamus*, quo loco tutari vulgatam nostri loci *proprium sit* Creuzerus olim studebat, eadem etiam hic usus sum scribendo *propriumst*, in quod Otto quoque se incidisse me admonet. Etenim ut coniunctivus stare possit, *quod* in *quid* mutetur necesse videtur. Neque coniunctivus *possit* aptus ex constructione suspensa, quia nulla est, sed vindicatur ex modestiae sensu, quo auctor quod ipsi certum est id tamen cum aliqua dubitatione pronuntiare mavult.

p. 45 tero, subtilius, quod erit eius|modei, nihil ut tale ulla in re publica reperiatur. Haec enim, quae adhuc exposuei, ita mixta fuerunt et in hac civitate et in Lacedaemoniorum et in Karthaginiensium, ut temperata nullo fuerint modo. 43. Nam in qua re publica est unus aliquis perpetua potestate, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus, ut tum fuit Romae, quom erant reges, ut Spartae Lycurgei legibus; et ut sit aliquod
Q. XVIII. etiam populei|ius, ut fuit apud nostros reges: tamen
p. 145 illud excellit regium nomen; neque potest eiusmodei res publica non regnum et esse et vocarei. Ea autem forma civitatis mutabilis maxsume est hanc ob caussam,

reperiatur] Ex Cod. Maius solus *repp.*, uti etiam mox *Lacaedemoniorum.*

fuit] Cod. *fuit et;* sed *et* postea ibidem expunctum. MAIVS.

quom] Maius *cum* ex Cod.; ceteri vel hoc, vel *quum.*

et ut] Unus hoc loco haesit Steinackerus, qui quum inducendum ut proposuisset, sententiam suam adversus Moserum, re iterum considerata in Animadv. in Cic. de rep. Suppl. I. p. 13, nunc his defendere studet: „Sic dedi, delendo *ut*, quod in C. V. est, ibi enim prima manu *ut et*, altera *et ut*, id quod Maius et reliqui interpretes tenuerunt. Ac Moserus quidem de notione coniunctionis *ut* ea afferens, quae ne tirones quidem latent, oblitus est iis removendis operam dare, quae lectioni, quam ipse probat, manifesto adversantur. Primum enim quae, inquam, loquendi ratio: *quamvis sit senatus, et ut sit aliquod etiam populi ius!* missam enim tantisper facio copulam ante *senatus*, de qua post. Scilicet ne *quamvis* bis legeretur, quod sane cavendum erat Ciceroni, multo inficetius fecit variando et substituendo *ut*. Tum vero alterum hoc occurrit, quod *et* ante *senatus* a Mosero et Orellio retentum his paullo post sequentibus *et ut sit*, ferri omnino non potest. Est enim haec non plana quaedam et simplex et usitata verborum inversio, qualem habes in verbis a me editis, sed contorta et insolentiae plena. Itaque, quod ante hos XVII et quod excurrit annos scripsi, cur hodie non peraeque sequendum sit, nullam rationem invenio.“ Si propter variatam constructionis rationem, quae sane inest in compositione particularum sese excipientium *quamvis* et *ut* (vi concessiva), insolenter Cicero descripsisse recte arguatur, quod ego quidem non dixerim, etiam insolentius mihi videtur scripsisse, si ad Steinackeri modum scripsit, qui *sit* iteratum in altero membro quam languidum atque adeo ineptum sit non cogitavit. Neque quod *et* ante *senatus* in vulgato contextu ferri posse negavit, verum, quum id cum copula *et*, qua alterum orationis membrum inchoatur, nihil habeat omnino commune, quippe eadem vi positum, qua mox in altero membro *etiam*. Ut vero Cicero orationem variaret, *ut* inserendo, commotus esse potuit membris interpositis *ut tum fuit* etc. et *ut Spartae* etc.

apud] Ex Cod. Maius solus *aput*, ut et mox *illut.*

maxsume est] Vulgo *maxime*, ut mox *perniciosissime* et *facillime.*

caussam] Ita cum uno Nobbio scripsi pro *causam*, quod Cod. offert.

quod unius vitio praecipitata in perniciosissumam partem facillume decidit. Nam ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haud scio an reliqueis | simplicibus longe anteponendum (sei p. 146
ullum probarem simplex reei publicae genus), sed ita, quoad statum suum retinet; is est autem status, ut unius perpetua potestate et iustitia omnique sapientia regatur salus et aequabilitas et otium civium. Desunt omnino ei populo multa, quei sub rege est, in primisque libertas; quae non in eo est, ut iusto utamur domino, sed ut nul*lo****

(Desiderantur paginae duae.)

XXIV. 44. ***ferebant. Etenim illei iniusto do- p. 15
mino atque acerbo aliquandiu in rebus gerundeis prospere fortuna comitata est. Nam et omne Latium bello devicit, et Suessam Pometiam, urbem opulentam refertamque, cepit; et maxsuma aurei argentique praeda locupletatus, votum patris Capitolei aedificatione persolvit, et colonias deduxsit, et instituteis eorum, a quibus ortus erat, | dona magnifica, quasei libamenta prae- p. 16
darum, Delphos ad Apollinem misit.

sed ita] Intolerabili modo, iam prioribus editoribus notato, ut olim, ita nunc quoque Maius ita locum interpunxit, ut ab illis verbis novam periodum inchoet.

is est] Cod. 1 manu *isset;* tum 2 manu expuncta prior *s*, addita alia *s* ante *t*. Atqui nullum erat erratum praeter metathesim. MAIVS.

omnique] Ita 2 manu; at 1 *omneque*. MAIVS. Ex prioris m. scriptura Moserus legendum *omnino* suspicatur: qua mutatione haudquaquam opus. Otto conferri iubet pro Ligar. 2, 6: *O elementiam admirabilem atque omni laude, praedicatione . . . decorandam.*

quei] *Qui* additur 2 manu. MAIVS.

sed] Ita [*set*] cod., etsi paulo ante *sed*. MAIVS.

domino] Cod. *dominato;* tum expunctae litterae *at*. MAIVS.

aliquandiu] Vulgo ex Cod. *aliquamdiu*. V. ad I, 44 *tamquam*.

gerundeis] Nobb. *gerendis*. V. ad c. 14.

prospere] *Prospera* Moserus suspicatur. Sane *prospere* iungendum cum v. *in rebus gerundis*, non cum v. *comitata est*. ORELLIVS.

comitata est] Locum hunc aemulatur Livius I, 53. MAIVS ed. alt.

maxsuma] Vulgo *maxima*, ut mox *deduxit*.

Capitolei] Vulgo *Capitolii*.

XXV. 45. Hic ille iam vertetur orbis, quoius naturalem motum atque circuitum a primo discite adgnoscere. Id enim est caput civilis prudentiae, in qua omnis haec nostra versatur oratio, videre itinera flexusque rerum publicarum, ut quom sciatis, quo quae-
p. 255 que res inclinet, retinere aut ante possitis | occurrere. Nam rexs ille, de quo loquor, primum optumei regis caede maculatus, integra mente non erat; et quom metueret ipse poenam sceleris suei summam, metuei se

quoius] Vulgo *cuius*.

atque] Ita [*adque*] cod., etsi paulo ante *atque*. Maivs.

circuitum] Naturalem quandam esse rerum publicarum conversionem atque periodum contendit Plato reip. VIII, p. 546, a quo se hanc sententiam mutuari fatetur Tullius de divin. II, 2: *a Platone philosophiaque didiceram naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis.* (Sed legesis Orosium hist. II, 1 sqq. de regnorum mutatione providente Deo facta.) Verumtamen sententia Platonis minime placet Aristoteli reip. V, 12, qui et universam Platonis remp. graviter accusat reip. II, 1, 2; nec non politicus graecus vaticanus a me nuper editus. Defenditur autem Plato ab Eubulo a me item nuper edito. Sed enim Ciceronis quoque resp. vituperata fuit a Didymo, contra quem scripsit pro Cicerone Suetonius, ut dixi in praefatione. Maivs ed. alt. De adversariis Platonicae Politiae eorumque scriptis v. quae attuli Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 599.

adgnoscere] Ita [*agnoscere*] cod. 2 manu; at 1 *adque cognoscere*. Quamquam reapse non *ad* sed *que* et *co* litterae tantum videntur deletae. Addita est tamen *a* ante *agnoscere*. Sed scribendum videtur *atque cognoscite*. Maivs. Moserus susp. *a principio discite et noscite*, Heinrichius *circuitum operae pretium est discere atque cognoscere*, Wolffius *a primo adeo licet cognoscere*. Mihi locus sanus videtur, *a primo* plane est Tullianum; cfr. de Finn. III, 9, 32 [ubi plura Madvigius p. 401]. Somn. Scip. 8. Tusc. I, §. 54. Orellivs. Totum locum Franckius, referente Orellio simulque improbante in Anal. Cic. T. IV, 2. p. 595, ita refingebat: *Hic ille iam vertebatur orbis, cuius nat. motum atque circuitum apprime decet agnoscere.* Si quid mutandum, malim equidem *cognoscere*; sed confer c. 29: *facite ut agnoscatis*, quamvis sensu non plane eodem. Genuina lectio *adgnoscere*, nunc a me reposita, de qua v. ad III, 35, sponte prodit ex scriptura m. 2 recte explicita.

flexusque] Vulgo *flexusque*, ut mox *rex* et *uxori*.

quom] Cod. *cum*, quod cum Maio alii: alii *quum*. Item etiam mox bis.

occurrere] Sic omnino loquitur Aristoteles reip. V, 9. De rerump. commutationibus accurate agit idem Aristoteles praedicto libro cap. 1 sqq.; deque iisdem peculiare opus conscripserat Theophrastus; nuperius autem sapienter de his disseruit Theodorus metochita in capp. politicis. Maivs ed. alt.

optumei] Vulgo *optimi*.

metueret] Vocabula a *metueret* ad *metui* posteriore manu supplentur. Maivs.

volebat. Deinde victorieis divitiisque subnixsus exsultabat insolentia, neque suos mores regere poterat, neque suorum lubidines. 46. Itaque quom maior eius filius Lucretiae, Tricipitinei filiae, Conlatinei uxsorei, vim attulisset, mulierque pudens et no|bilis ob illam iniu- p. 256
riam sese ipsa morte multavisset: tum vir ingenio et virtute praestans L. Brutus depulit a civibus sueis iniustum illud durae servitutis iugum: quei quom privatus esset, totam rem publicam sustinuit, primusque in hac civitate docuit, in conservanda civium libertate esse privatum neminem. „Quo auctore et principe „concitata civitas“ et hac recentei que|rela Lucretiae p. 245
patris ac propinquorum, et recordatione superbiae Tarquinei multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exsulem et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit.

XXVI. 47. Videtisne igitur, ut de rege dominus exstiterit, uniusque vitio genus reei publicae ex bono in deterrumum conversum sit? Hic est enim dominus

subnixsus] Vulgo *subnixus*; item mox *libidines*.
exsultabat] Ita etiam Nobb. et Orell. pro vulg. *exultabat*.
maior] Post *maior* ponitur in codice punctum crassum recurvum supra versum, scilicet ne legatur *maiore ius*. Maivs.
Conlatinei] Heinrichio duce Nobb. Orell. et Zell. *Coll.*
uxsorei, vim] Ita [*uxori*] cod. 2 manu; at 1 *uxorium*. Confirmat lectionem suam Cicero fin. II, 20: *stuprata per vim Lucretia a regis filio*. Maivs.
sese] Cod. *esse*, vitiosa metathesi, quae correcta deinde fuit, expuncta priore *s*, aliaque superaddita. Maivs.
multavisset] Villem. et Nobb. *muletavisset*, invitis lapidibus, notante Mosero. V. ad c. 9.
illud] Ex Cod. Maius solus *illut*.
quom] Cod. *eum*, quod cum plerisque Maius: alii *quum*.
Quo auctore — civitas] Locum citat Nonius voc. *urbs a civitate* [ex libro secundo]. Maivs.
querela] Ex Cod. Maius *querella*, quam scripturam a Ciceronis aequaliumque consuetudine alienam esse, demonstrabo ad Caprum de orthogr. 51.
Tarquinei] Vulgo *Tarquinii*.
exsulem] Cum Maio ex Cod. *exulem* Steinack. Heinr. et Moser. V. ad I, 3.
et ipsius] Omisit Schütz. *et*.
exstiterit] Ex Cod. Maius *extiterit*, quod tenent Steinack. Heinr. et Zell.
deterrumum] Ita Cod. 1 manu; at 2 *deterrimum*. Edd. praeter Maium *deterrimum*. Mox vulgo *optima*.

p. 246 populei, quem Graecei tyran|num vocant: nam regem illum volunt esse, quei consulit ut parens populo, conservatque eos, quibus est praepositus, quam optuma in condicione vivendei. Sane bonum, ut dixsei, reei publicae genus, sed tamen inclinatum et|quasei pronum ad perniciosissumum statum. 48. Simulatque enim se inflexsit hic rexs in dominatum iniustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque taetrius, neque foedius, nec deis p. 29 hominibus|que invisius animal ullum cogitarei potest: quei quamquam figura est hominis, morum tamen inmanitate et feritate vastissumas vincit beluas. Quis

condicione] Ceteri *conditione*.

Sane bonum] Mosero praestare videbatur *bonum sane*, aut *est sane bonum*. Neutro opus.

dixsei] Vulgo *dixi*.

reei] Cod. *re*. Edd. *rei*.

ad] Ita cod. 2 manu; sed 1 *at*, quod et supra vidimus, I, 13. Mars.

perniciosissumum] Vulgo *perniciosissimum*.

inflexsit] Vulgo *inflexit*, ut mox *rex*.

iniustiorem] Expilat Tullius Polybium VI, 7 sqq. Maivs ed. alt.

taetrius] Alii male, notante Mosero, *tetrius*. Eandem illam formam Codex III, 33. Cf. Wagner Orthogr. Vergil. p. 475.

deis] Ceteri omnes praeter Steinackerum *diis*. Hic cum Maio ex Cod. *dis*.

invisius] Vox *invisius* repetitur in margine codicis tamquam notabilis. Maivs.

figura] Melius fortasse *in figura*. Cfr. Off. I, 6. Otto. Neque melius istud, neque aptus locus, mox a Maio allatus.

tamen inmanitate et feritate] Cod. *tamen initate;* tum plures litterae, quae legi nequeunt, suprascriptae fuerunt; quae tamen additio et litura videtur mihi potius ad augustinianum superimpositum opus pertinere. Verbum correxi ex ipso Tullio de off. III, 6, ubi de tyranno sic loquitur: *ista in figura hominis feritas et inmanitas beluae, a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est*. Sed quoniam litura (si forte ad Tullium pertinet) longior est spatio litterarum *man*; et quoniam non in loco solum de off. a me laudato, verum etiam, ut observat Moserus, divin. I, 29 et N. D. II, 64 et acad. II, 34 feritatem cum inmanitate copulat Cicero, idcirco addidi cum cl. Heinrichio *et feritate*. Porro locutionem imitatur Lactantius inst. V, 11. Maivs ed. alt. Maio, qui in ed. pr. solum *immanitate* dederat, ceteris omnibus praeter Heinr. probatum, nunc eo magis obtemperandum fuit, quo eo de restituendo hoc loco, ex sola Codicis conditione apto, certius nemo iudicium ferre potuit. Igitur nunc si quid a nobis vulgetur, quod a scriptura Codicis abhorreat, id non nobis, sed Maio vitio vertatur. Edd. *imm*. In mentem hic venit alius Ciceronis locus pro Mil. 11, ab editoribus male tractatus: *sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit*, ubi quod a palimpsesto Taur.

enim hunc hominem rite dixserit, quei sibei cum sueis civibus, quei denique cum omnei hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis societatem velit? Sed erit hoc de genere nobeis alius aptior dicendei locus, quom res ipsa admonu|erit, ut p. 30
in eos dicamus, quei etiam liberata iam civitate dominationes adpetiverunt.

XXVII. 49. Habetis igitur primum ortum tyrannei: nam hoc nomen Graecei regis iniustei esse voluerunt; nostrei quidem omneis reges vocitaverunt, quei solei in populos perpetuam potestatem haberent. Itaque et Spurius Cassius et M. Manlius et Spurius Maelius

offertur *et feris etiam beluis natura* tantum abest ut cum Peyrono, a quo Orellius dissentire non videtur, pro glossa habeamus, ut eo additamento nihil aptius hic esse videatur, ubi feritate beluarum praecipue notata etiam magis vis legis illius extollitur, quam beluis aeque ac hominibus praescriptam Cicero docere vult. Quid vero fiat de conditione veterum scriptorum, ut aiunt, diplomatica, si talium testium, qualis codex ille Taurinensis est, quo luculentiorem antiquioremque illius orationis non habemus, fidem aspernemur et auctoritatem, quum praesertim iuncturam vocum *belua* et *fera* ipsius auctoris consuetudini dicendi convenire illa ipsa exempla ostendant, quae Maio Moserus suppeditavit?

vastissumas] Vulgo *vastissimas*.

beluas] Nobb. et Zell. *belluas*. V. ad I, 18.

dixserit] Vulgo *dixerit*.

sibei] Cod. *sinbi*; sed deinde *n* videtur fuisse expuncta. Maivs.

nullam iuris] Unus Moserus, qui hic offendit, quippe negans ferri posse locutionem *sibi aliquid velle cum aliquo*, interposuit *esse*, quo nihil excogitari potuit alienius. *Velle sibi* est expetere sibi, plane ut apud Terent. Hec. IV, 4, 33: *si ex me illa liberos vellet sibi*, quem locum cum nostro bene contendit Madvig. ad Fin. III, 20. p. 465.

quom] Ex Cod. cum Maio alii *cum*: alii *quum*.

adpetiverunt] Ceteri praeter Steinack. *app*.

tyrannei] Vocis originem et historiam copiose Ebertus Diss. Sic. I. exposuit. De discrimine vv. *τύραννος* et *βασιλεύς* v. Aristot. Pol. I, 8. Suid. v. *βασιλεύς*. Nep. Miltiad. 8, 3.

omneis] Vulgo *omnes*. V. ad I, 34.

Spurius] Ita 2 manu; at 1 *est Perius*. Maivs. Huius viri, de quo v. Moserum, infra c. 35 iterum mentio fit.

Manlius] Ita 1 manu; at 2 male *Manilius*. Confer de rep. I, 12. Maivs. V. Moserum.

Maelius] Ita 2 manu; at 1 *Maecius*. Maivs. Plura de hoc Maelio Moserus, quibus adde locum or. pro Mil. 27, inprimis cum nostro contendendum: *Occidi, non Sp. Maelium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti populum videbatur, in suspicionem incidit regni appetendi; non Ti. Graechum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit.* II Philipp. 44: *Spurii Cassius, Maelius, M.*

regnum occupare voluisse dictei sunt et modo *Ti. Gracchus* ***

(Desiderantur paginae duae.)

p. 135 **XXVIII. 50.** *** *Lycurgus γέροντας Lacedaemone* appellavit, nimis is quidem paucos xxviii, quos penes summam consilei voluit esse, quom imperei summam

Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. De senect. 16: *C. Servilius Ahala Sp. Maelium regnum appetentem interemit.* Ad domum Maelii interempti complanatam soloque aequatam spectant verba Dionysii Epit. Antiq. Rom. ed. Maii p. 3 Frcf. *τὸ ἰσόπεδον Αἰκυμήλιον Ῥωμαῖοι καλοῦσιν· αἶκον γὰρ τὸ μηδεμίαν ἔχον ἐξοχὴν λέγουσι· τόπον οὖν τινα Μήλιον ἐξ ἀρχῆς κληθέντα, ὕστερον, συμφθαρέντων ἀλλήλοις κατὰ τὴν μίαν ἐκφορὰν τῶν ὀνομάτων Αἰκυμήλιον ἐκάλεσαν.* De Maelio eiusque caedis caussa inprimis consulendus Liv. IV, 13 collato Plin. N. H. XVIII, 4.

modo] Significatione temporis paulo ante praeteriti. Locus classicus instar omnium est II Verr. IV, 3, 6: *quid dico nuper? immo vero modo, ac plane paullo ante vidimus.*

Ti. Gracchus ...] Sine dubio sermo auctoris deflectebat ad Ti. Gracchum, qui turbulenta potentia regnare visus est, et cui obiectum tyrannidis affectatae crimen ait Plutarchus in Gracch. cap. XIV. XVII. XIX; et Cic. de am. XII ore Laelii [adde pr. Mil. l. l.]; denique Patercul. II, 4. Atque in hac lacuna, non minus quam apud Velleium loc. cit. dixit, ut puto, Scipio Ti. Gracchum, si is occupandae reip. animum habuisset, iure caesum. Post Gracchi commemorationem videtur auctor in reliqua lacuna persecutus coeptum iam argumentum, dialogistae scilicet non praeceptoris more; nempe quod libertas seu populi ius in regno sit adeo intutum, ut nullum perpetua potestate magistratum fieri expediat; siquidem nec senatus praesidium contra vim regiam satis validum esse videatur. Confer Livium II, 1. Maivs ed. alt. Sermone ita aperte ad Ti. Gracchum eiusque fatalia pergente, eius ipsius nomen quamvis inclinatis litteris scriptum, ut in priore ed. Maius fecerat, apponere, ex lectorum certe commodo visum est, id quod et ceteri praeter Heinrichium fecerunt. Contra non impetravi a me ut adiicerem, quae Maius in Add. ed. pr. ad lacunam aliquatenus explendam commentus, nunc in ipsa contexta suscepit: *Ti. Gracchus regnavit paucos menses, aut certe opprimendae rei publicae animum habuit; quare et iure caesus videtur* ... Eandem ob causam initio cap. seq. admisi interim Maii supplementum *Lycurgus γέροντας Lacedaemone*, reiectis his, quae iam olim in Add. exprompta nunc contextui verborum inseruit: ... *Concede consilium delectis viris, ut Lycurgus illis, quos γέροντας Lacedaemone* etc. Non digniora quae admitterentur visa sunt ista Lehneriana: *Delige viros, quos γέροντας Lycurgus Lacedaemone* etc.

γέροντας] Scribendum esse graecam vocem *γέροντας*, patebit mox, cum fiet eiusdem interpretatio. Sic autem dicuntur Lycurgi senatores a graecis passim auctoribus. Maivs. De supplementis initio huius cap. dictum sub calcem praecedentis.

Lacedaemone] Ex Cod. Maius *Lacaedemone.*

appellavit] Ita 2 manu; at 1 *appellabit.* Maivs.

consilei] Ex Cod. vulgatum *consilii.*

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum.* Item etiam mox.

rex teneret: ex quo nostrei idem illud secutei atque interpretatei, quos senes ille appellavit, nominaverunt senatum; ut etiam Romulum patribus lecteis fecisse dixsimus; tamen excellit atque eminet vis potestas nomenque regium. Inpertei etiam populo potestatis | aliquid, ut et Lycurgus et Romulus: non satiaris eum libertate, sed incenderis cupiditate libertatis, quom tantummodo potestatem gustandei feceris. Ille quidem semper inpendebit timor, ne rex, quod plerumque evenit, exsistat iniustus. Est igitur fragilis ea fortuna populei, quae positast in unius, ut dixsei antea, voluntate vel moribus. p. 136

XXIX. 51. Quare prima sit haec forma et species et origo ty|rannei, inventa nobeis in ea re publica, quam auspicato Romulus condiderit, non in illa, quam, ut perscripsit Plato, sibei ipse Socrates Peripatetico illo in sermone depinxserit; ut, quemadmodum Tarquinius, non novam potestatem nactus, sed, quam habe- Q. XVIII p. 189

imperei] Vulgatum *imperii*: at Cod. *imperis*, tum expuncta *s*.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

interpretatei] Cod. *interpraetati* cum diphthongo, quam passim habet hoc verbum in antiquis codicibus. Heic tamen expuncta fuit *a*. MAIVS.

dixsimus] Vulgo *diximus*, ut mox *dixi*.

Inpertei] Cod. *inpertit* [non *imp.*, ut in ed. pr. scriptum]; tum expuncta posterior *i* mendose, erat enim expungenda potius *t* finalis. MAIVS. Ceteri *imperti*.

incenderis] Ita 2 manu; at 1 *incendires*, vitiosa metathesi. MAIVS.

inpendebit] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *imp*.

exsistat] Ita cod. interposita *s*, quae alias omittitur. MAIVS.

positast] Ita ex cod. Maius, quem nullus editorum secutus est.

ut dixsei antea] Cap. XXIII, ut arbitror [et lib. I, 41. 42. Mr.] vel in lacunis. MAIVS ed. alt.

auspicato] Cod. 1 manu *auspicatu*; mox factum *auspicato*; haec quidem melior, sed et illa haud prorsus absurda. MAIVS. Sed iudice Mosero plane contra Ciceronis, et aliorum fortasse scriptorum omnium morem.

perscripsit] Ita cod. 2 manu; at 1 *praescripsit*.

sibei] Ita [*sibi*] cod. 2 manu; at prima *sive*, videlicet fortasse pro *sibe* archaismo. MAIVS. Immo pro *sibei*. De isto archaismo, ut falso appellant, v. Comm. de pron. *is* p. 87.

Peripatetico] Ita cod. 2 manu; at 1. *peripeateto*. MAIVS.

depinxserit] Vulgo *depinxerit*.

bat, usus iniuste, totum genus hoc regiae civitatis
p. 190 everterit: sit huic oppositus alter, bonus et | sapiens et peritus utilitatis dignitatisque civilis, quasei tutor et procurator reei publicae; seic enim appelletur, quiquomque erit rector et gubernator civitatis. Quem virum facite, ut adgnoscatis: est enim, quei consilio et opera civitatem tuerei potest. Quod quoniam nomen minus est adhuc tritum sermone nostro, saepiusque genus eius hominis erit in reliqua nobeis oratione tractandum ***

(Desiderantur paginae duodecim.)

p. 187 **XXX. 52.** *** ***Plato regionem sedesque civium ae-***

usus] Cave ex hoc loco concludas, verbo *uti* Ciceronem casum quartum iunxisse, id quod contendit Maius Indice Latinitatis, repetiitque in Collect. Vatic. nov. T. III. ad fragm. sermon. Arrian. p. 235, ubi legitur: *naturalem utens intellectum*. Cf. etiam ibid. p. 285. Ac recte obiocutus est Moserus, quem vide. Ex relativo *quam* enim colligendus *ea*, quicum iam *usus* coniungas. Ille verbi usus est aut scriptorum antiquiorum, ut Plauti (v. Asin. I, 3, 47. Trin. III, 2, 56), aut recentiorum: v. Fragm. iuris anteiust. p. 23 ed. Rom. cf. Salmas. ad Tertull. de pallio p. 368. Staver. ad Mythogr. Lat.

everterit] Ita cod. 2 manu; at 1 *everteret* et *everterit*; nam repetuntur in Cod. duo versus. Maivs. Mox vulgo *quicumque*.

adgnoscatis] In codice post *s* punctum appingitur, sive pausae gratia, sive admonendi, ne legatur *agnoscat is est enim*. Maivs. Vulgo *agnoscatis*: v. ad III, 35.

sermone] Cod. *sermonem*; mox *m* expuncta. Maivs.

trac*tandum*] Certe cap. XL et XLII de hoc liberae reip. tutore ac rectore seu custode sermo erit; libro autem quinto potissimum. Magistratuum quidem romanae reip. praecipuorum descriptionem his libris exhibuerat Cicero, ut ipse ait leg. III, 5 hac de re loquens: *atqui pleraque sunt dicta in illis libris, cum de optima re publica quaereretur*. Nunc ea descriptio in mutilo codice Vaticano, paucis exceptis vestigiis, desideratur; supplendaque est ope praedicti libri tertii de legibus. Maivs ed. alt. Ita contraxit Maius, quae olim prolixius posuerat.

Plato etc.] Plato libro legum quinto civitatem vel novam constituens, vel veterem et corruptam reparans, primum purgat eam civibus improbis; deinde agrum et sedes inter cives aequo iure et humaniter dividit; tum definit civium numerum. Horum ego memor locum Tullii hiantem sarcire aliquatenus ausus sum. In codicis ergo hiatu post expressam tutoris reip. formam, videtur auctor perrexisse ad novum romanae civitatis iam a regibus liberae genus effingendum. Revera hinc alius rerum nascitur ordo. Ad platonicam purgationem quod attinet, etsi in Tullio vestigia rei nulla supersunt, vix tamen dubito quin eius meminerit, propter nuper purgatam tyranno Tarquinio Romam. Sic enim is fere loquitur de Caesare interfecto ad fam. XII, 1: *odium illud hominis impuri et servitutis dolor depulsus est*. Maivs. Supplementa ista Maii omiserunt Steinack. Heinr. Schütz. et Zell. Retinui cum aliis non ut Tulliana, sed ad sensum in lacuna omissorum fere declarandum.

*quis apprime partibus divis*as requisivit; civitatemque optandam magis, quam sperandam, quam minumam posuit, non quae posset esse, sed in qua ratio rerum civilium perspicei posset, effecit. Ego autem, sei quo modo consequei potuero, rationibus eisdem, quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissuma re publica enitar, ut quoiusque et bonei publicei et malei caussam tamquam virgula videar attingere. |Eis enim regieis quadraginta anneis et ducenteis paulo p. 188
cum interregneis fere amplius praeteriteis, expulsoque Tarquinio, tantum odium populum Romanum regalis nominis tenuit, quantum tenuerat post obitum, vel potius excessum Romulei, desiderium. Itaque ut tum carere rege, seic pulso Tarquinio nomen regis audire non poterat. Hic facultatem cum*** Q. XX

sperandam] Cod. *spernendam* manifesto mendo pro *sperandam*. Maivs. Vere monet Lehn. ne ipsum quidem Platonem sperasse, talem rem publicam aliquando constitutum iri. Moserus.

quam minumam posuit] Notae ed. pr. Maius nunc adiicit: „Iulius quoque Valerius de reb. Alex. I, 21 moderatum urbis statum praeoptat.“ Post *posuit* vulgo semicolon ponebatur. Vulgo *minimam*.

posset esse] Vulgo ex Cod. *possit esse*, qui modus verbi iuxta sequens *posset* quo pacto defendi explicarique possit, non intelligo.

amplissuma] Vulgo *amplissima*.

quoiusque] Vulgo *cuiusque*.

caussam] Ex Cod. Maius *causam*, quod praeter Nobbium omnes expresserunt.

Eis] Ita [*hiis*] cod pro *his* vel *iis*; cuiusmodi alia exempla in antiquis codd. sunt. *Hiis* legitur etiam in papyro apud Marinium XLV. p. 72. v. 21. Maivs. *Eis* cur scripserim pro *his*, quod cum Maio omnes editores amplexi sunt, dictum Comm. de pronomine *is* p. 46. Quae ibi notata sunt de *hiisdem* pro *iisdem* scripto augeri exemplo possunt ex V, 1. ubi in Augustini loco illam scripturam offert Henricus de Hassia.

paulo] Ita Cod.; alii *paullo*.

cum interregneis] Delenda sine iusta caussa censuit Moserus.

desiderium] Respicit ad Ennianum locum, supra I, 41 positum.

poterat] Num incipit auctor partim dicere de causis mutationum reip. ceu paulo ante innuit se facturum promiseratque iam diu Lib. I, 42? De monarchiarum interitu copiose, more suo, disputat Aristoteles reip. libro quinto, quo abs fonte omnia fere recentiorum super hac re praecepta manavisse videntur. In hoc igitur ingenti sexdecim paginarum hiatu videtur Cicero causas aperuisse altius ob quas Romae politia mutata est. Exin Bruti laudes et Collatini, et cetera quae ad exordium libertatis pertinent subiunxisse Tullium puto Maivs.

(Desiderantur paginae sedecim.)

XXXI. 53. *** Itaque illa praeclara constitutio Romulei quom ducentos annos et quadraginta fere firma mansisset — (Nonius cap. de doct. indag. p. 526.)

Romanei regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque imperatores sibei fecerunt, quei consules appellatei sunt a consulendo, non reges aut dominei a regnando atque dominando. (Augustin. de civ. dei V, 12.)

p. 35 *** lexs illa tota sublatast. Hac mente tum nostrei maiores et Conlatinum innocentem suspicione cognationis expulerunt, et reliquos Tarquinios offensione nominis. Eademque mente P. Valerius et fasceis primus

illa praeclara] Edd. vett. Ciceronis *praeclara illa*, quod praestare videtur Mosero.

quom] Vulgo *cum* vel *quum*.

quadraginta] Nonii editio paris. habet *XX*, plantin. autem et gotofr. *triginta*. Omnes Nonii codd. vat. habent *viginti*, ut et plantin. ed. in marg. Sed scribendum *quadraginta*. Maivs. In lectione *XX* conspirant etiam codd. Nonii a novissimis editoribus inspecti. Vitium fortasse natum ex male lecto *XL*.

mansisset] Frusti huius, quod Nonius profert, ex II, de rep., videtur sedes haec; quamquam et prioribus lacunis haud fortasse immerito insereretur. Maivs. Quae mea sententia est, ut inter c. 29 et 30 inseratur, eo ducente ipsa lectione a me restituta *eis enim regieis* c. 30, ubi vide. Ceterum hoc fragmentum, Mosero notante, ab Heinr. ad calcem libri positum, a Villem. sub contexta reiectum, a Steinack. plane abiectum est. Aliter Orellius, qui *viginti* servavit: „Sermo est, inquit, de regibus ante Tarquinium Superbum, cum cuius iniusta dominatione desiit praeclara Romuli constitutio. Sunt autem anni CCXIX... Erat autem fragmentum collocandum ante c. 24."

Romanei etc.] Augustinus C. D. V, 12; quae verba credibiliter ex hoc Tullii hiatu fuere deprompta, ut iis certe videbitur qui de his rebus iudicare possunt. Neque spernendum indicium est, quod Cicero ante lacunam nomen ipsum regale ait evasisse invisum. Sic fere Cicero etiam pro Sextio LXV. Et ea quae ibidem praecedunt, cum Nonii loco conspirant. Maivs ed. alt. Eadem quidem verba in pr. ed. legebantur, sed Augustini locum in notas reiectum comitantia, quamquam illum eam quam nunc occupat sedem mereri Maius iam in Em. monuerat, sed frustra.

a consulendo] Varias v. *consul* etymologias pervestigat interque se contendit Henning in Iahnii Jahrb. Suppl. VII p. 278 sq.

lexs] Vulgo *lex*.

sublatast] An loquitur Cicero de rebus Graecorum, et quidem de ostracismi lege, quae Athenis post eiectum Hyperbolum sublata est? An potius (quod vix puto) de Romanis? et quidem de illa liberi populi lege, ut bona redderentur Tarquiniis, quae sublata est postea quam regem moliri reditum in urbem apparuit? Dionys. V, 6, 13. Liv. II, 5. Maivs. Pro *st*, quod ex Cod. Maius edidit, ceteri omnes *est*.

Conlatinum] Ita ex Cod. Maius: ceteri *Coll*. Eadem illa scriptura c. 25.

Eademque mente etc.] Rem illustrat Dio Cassius in Excerpt. Vatic. p. 141

demittei iussit, quom dicere in contione coepisset, et aedeis suas detulit sub Veliam, postea quam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, ubei rex | Tullus habitaverat, suspicionem populei sensit p. 36 moverei. Eidemque, in quo fuit Publicola maxsume, legem ad populum tulit eam, quae centuriateis comitieis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. 54. „Provocationem autem etiam a regibus fuisse „declarant pontificiei librei," significant nostrei etiam

ed. Maii: *Ὅτι Οὐαλέριον τὸν συνάρχοντα Βρούτου, καίπερ δημοτικώτατον ἀνδρῶν γενόμενον, ὅμως αὐτοεντίᾳ μικροῦ ὁ ὅμιλος κατεχρήσατο· ἐπιθυμεῖν γὰρ αὐτὸν μοναρχίας ὑπετόπησαν· καὶ ἐφόνευσαν ἂν εἰ μὴ σφᾶς διὰ ταχέων φθάσας ἐθώπευσεν· εἰσελθὼν γὰρ ἐς τὴν ἐκκλησίαν, τάς τε ῥάβδους εἴλινεν, ὀρθαῖς πρότερον ταύτας χρώμενος· καὶ τοὺς πελέκεις τοὺς συνδεδεμένους σφισὶ περιεῖλε· σχηματίσας δὲ ἐπὶ τούτοις ἑαυτὸν ἐς τὸ ταπεινότατον, ἐπὶ πολὺ μὲν ἐσκυθρώπασε καὶ κατεδάκρυσεν· ἐπεὶ δὲ καὶ ἐφθέγξατό ποτε, σμικρᾷ καὶ δεδυϋᾷ τῇ φωνῇ ὑποτρέμων εἶπεν.* Mox vulgo *fasces.*

quom] Ex Cod. Maius *cum*: ceteri aut hoc, aut *quum.*

contione] Ita ex Cod. Maius, cuius loco ceteri omnes *concione.* V. ad I, 4.

aedeis] Ita [*aedis*] cod. 2 manu; at 1 *edes.* Maivs. Edd. *aedes.*

Eidemque] Vulgo *idemque.*

Publicola] Ita codex, et ita locutum esse Tullium arbitror. Scribitur tamen hoc nomen etiam *Poplicola,* cuiusmodi fuisse pronunciationem aevo Valerii mihi persuadeo: namque in monumentis *poplicum* legimus pro *publicum;* itemque *popli, poplo.* Maivs. *Poplicus* exstat in Tab. Bantina, in qua tamen etiam POPOLVM legitur, et SC. ap. Grut. p. 499, 12; *poplus* in Col. Duillia; *poplicus* Inscr. Orell. 3315. *poplicus* in SC. de Bacch. et titulo antiquo in Bartels Briefe über Kalabrien T. I. p. 210. Promiscue Plautus et *poplus* et *populus* dixit, Terentius illud nusquam: unde in diversas istarum formarum aetates coniecturam facere licet. Primus qui diducta illa forma uteretur, Ennius fuit, si bene memini. Ipsam nominis formam POPLICOLA exhibent tres illi tituli, antiquissimam aetatem, cuius speciem prae se ferunt, mentientes quidem, nec tamen novitii, quos post alios repetiit Borghesius Nuovi frammenti dei fasti consol. p. 46. Sensum, quo Tullius hic eo nomine utitur, illustrat Livius II, 8: *Latae deinde leges, non solum quae regni suspicione consulem absolverent, sed quae adeo in contrarium verterent, ut popularem etiam facerent: inde cognomen factum Publicolae est.*

maxsume] Vulgo *maxime.*

provocationem] De ea nunc consulenda, quae et acute et diligenter perscripsit Reinius Quaest. Tull. p. 8 sq. et De iudiciis populi Romani provocatione non interposita habitis, Isenaci 1841. De provocationis iure adversus magistratus v. Zumptium De legibus iudiciisque repetundar. p. 5.

pontificiei] Ita [*pontifici*] pro *pontificii.* Locum autem hunc legebat Seneca ep. CVIII. Maivs. Edd. *pontificii.*

p. 119 **augurales: | itemque ab omnei iudicio poenaque provocarei licere, indicant XII tabulae conpluribus legibus: ut, quod proditum memoriaest, X-viros, quei leges scripserint, sine provocatione creatos, satis ostenderit, reliquos sine provocatione magistratus non fuisse; L.que Valerei Potitei et M. Horatei Barbatei, hominum concordiae caussa sapienter popularium, consularis lex**

conpluribus] Ita ex Cod. Maius: reliqui *compl.*

ut, quod] Madvigius Opusc. Acad. II. p. 110: „Apud Ciceronem in libro II de rep. §. 54 futurum dubitativum subiectum videtur particulae *ut* in effectu significando (*ut, quod* etc.) Sed ipsi illi particulae nullus ibi locus est, quum hoc, quod dicitur, nullo modo ex superioribus efficiatur. Ipsa orationis forma et argumentorum continuatio declarat, scribendum esse *et* (*itemque — et — Luciique*)." Qua ego orationis forma, in qua tot enunciata solo copularum adminiculo fulta sese excipiunt, nihil vidi umquam languidius, neque in Cicerone intolerabilius, quum praesertim is *itemque* in extremo enunciationis membro ponere amet, ut Off. I, 12, 2. 30, 9.

memoriaest] Ita cod. *proditum memoria est* casu ablativo, uti ipse Cicero de or. I, 40. Caesar B. G. V, 12 et Columella I, 4. Supra tamen cap. XV *memoriae proditum*. Immo hic fortasse dividendum *memoriae st.* Maivs ed. alt. Niebuhrius in Ind. Lat. coniicit scribendum esse *memoriae*, quod non esse faciendum recte monet censor Ienensis C. Z. (1823. 34 [p. 271]): confirmari enim hoc loco, quod monuerunt Oudendorp. ad Caesar. de B. G. V, 12. p. 383 ed. Stuttg. et Drakenborch. ad Livium passim, *memoria proditum est* optimae esse Latinitatis; additque apud Cic. in Verr. I, 18 legendum videri *proditum memoria ac litteris*, ut *litteris* sit, quod esse debet, ablativus. De hac constructione v. Herzog. ad Caes. de B. G. V, 12. p. 254, qui nostrum quoque laudat locum, Moservs. Adiice O. M. Muellerum De vi et usu verborum quorundam Latinorum, Coeslini 1828. p. 12. Largiendum sane viris doctis, qui *memoria est* defenderunt, quibuscum faciunt h. l. ceteri editores, scribere illud Ciceroni licuisse, neque opus videri correctione Niebuhrii: sed Codice ipso ob continuam litterarum seriem, qua scriptus est, optionem nobis dante, utro modo singula elementa litterarum dividere vellemus, praeferendum id fuit quod alias ob caussas Ciceroni magis convenire visum. Hac enim in verborum forma Ciceronem magis optasse *st*, de quo v. ad c. 10, quam *est*, mihi quidem in comperto est; neque dubium esse potest, quin aeque bene *memoriae prodi* dictum sit, recte monente Zumptio ad Verr. l. l. p. 129.

scripserint] Solus Maius ex Cod. *scribserint.*

ostenderit] Cod. *ostenderint;* sed *n* videtur expuncta. Maivs.

L.que] Cod. L. Q, unde Maio duce editores *Luciique.* Scripsi id quod Ciceronem scripsisse ipsum suspicor, quoniam non memini, in tribus hominis nominibus afferendis praenomen plenis litteris exaratum legere. Ceterum adverte *que* voci, qua comma inchoatur, appositum, ut Off. I, 26.

Valerei] Ita [*Valeri*] ex Cod. Maius: ceteri *Valerii.* Item etiam mox in nomine *Horatii.*

caussa] Cod. *causa*, quod Maius tenet cum plurimis. Illud Nobb.

consularis] Cod. *conlularis.*

sanxsit,| ne quei magistratus sine provocatione crea- p. 120
retur. Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem attulerunt novei. 55. Itaque Publicola lege illa de provocatione sua perlata, statim secureis de fascibus demei ius|sit, postridieque sibei collegam Sp. Lucretium sub- p. 185
rogavit, suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit; instituitque primus, ut singuleis consulibus alterneis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent inperei in libero populo, quam in regno fuissent. Haud mediocris hic, ut ego quidem intelligo, vir fuit, quei modica libertate populo data, facilius tenuit auctoritatem principum. Neque ego haec nunc sine caussa tam vetera vobeis et tam opsoleta de-

sanxsit] Ita [*sanxit*] 2 manu; at 1 *lex anxit*, ut supra II, 21 *ex erva*. Maivs. Haec et similia merito in vitiis librariorum referenda censet Wagnerus Orthogr. Vergil. p. 436. Eiusdem generis est quod in Iustino XI, 11, 3 Cod. Gissensis ceteroquin optimae notae circa saec. X scriptus suppeditat *exerpente* pro *ex serpente*, vel quod ipsi excitavimus Adn. cr. in Quintil. X. Part. II. p. 31 *ex terili* pro *ex sterili*.

magistratus] Cod. *mag.* quae est nota vocabuli *magistratus*.

quicquam] Nobb. *quidquam*.

sua perlata] Cod. *sublataperta*. Sed error manifestus in ipso codice emendatus videtur: tulit enim potius legem de provocatione Publicola. Dionys. V, 19. Liv. II, 8. Illud certe *perta* expunctum est. Ego itaque in principe editione edidi tantum *lata*. Sed ecce cl. Oriolius ceterarum quoque litterarum rationem habens, scribebat *per tabulas lata*; quod ut iure optimo fiat, nonnisi *la* deest. Porro metatheses plurimas iam alibi in codice vidimus. Moserus tamen scribit tantum *perlata*. Maivs ed. alt. Phrasin a Maio nunc ex coni. Oriolii textui illatam haud habeo aliis munire exemplis. Proba quidem, si per se spectatur, prior lectio a Maio vulgata *lata*, quam subsequentes editores susceperunt, donec Moserus, quod litterarum elementis melius conveniret, *perlata* dedit, ab Orellio, Nobbio, Zellio in ordinem receptum. Sed omnium optimum quod nos edidimus, de coniectura Krarupii p. 16, Orellio quoque probata in Anal. Cic. T. IV, 2. p. 595, dudum a nobis commendatum in Krarupii censura in Seebodii Krit. Bibl. 1829. No. 73. p. 581.

statim secureis etc.] Eadem Dionysius l. l.

secureis] Ex Cod. Maius *securis*. Edd. *secures*. V. ad I, 34 *civitatium*.

inperei] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imperii*.

hic] Ita 2 manu; at 1 *hoc*. Maivs.

intelligo] Ex Cod. Maius *intellego*.

caussa] Cum Maio ex Cod. plurimi *causa*. Nobbius, ut nos.

opsoleta] Vulgo *obsoleta*.

p. 186 canto; | sed inlustribus in personeis temporibusque exsempla hominum rerumque definio, ad quae reliqua oratio derigatur mea.

XXXII. 56. Tenuit igitur hoc in statu senatus rem publicam temporibus illeis: ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate, et instituto ac more gererentur; atque utei consules po-
p. 5 testatem haberent tempore dumtaxsat annuam, | genere

inlustribus] Ita Maius ex Cod.: ceteri *ill.* Mox vulgo *exempla.*

derigatur] Licet summo editorum ad unum omnium, qui *dirigatur* dederunt, dissensu, Codicis scripturam cum Maio interim retinui, Agroetii illa p. 2267 afferente: *Derectum, in rectum vadens; directum, in latera rectum.* Ut enim verum sit, quod ducibus Oudendorpio ad Caes. de B. G. IV, 17 et Oberlinio Ind. Caes. Moserus de discrimine verborum *dirigere* et *derigere* statuit, etsi vix sperari posse credam, ut ad illam normam omnia utriusque vocis exempla vi non adhibita exigi possint: tamen non probo, quod hinc nostrum locum concludunt corrigendum esse, qui ita comparatus est, ut vel adhibito illo discrimine mihi potius *derigatur*, quam *dirigatur* scribendum videatur: inest enim in loci sententia descensus notio, qua auctor ab ipsius tempore egressus ait se reliquam orationem ad exempla hominum rerumque illustribus in personis temporibusque vetera et obsoleta deflexurum, sive quod ad idem redit, derecturum esse.

senatus] Cod. 2 m. *saenatus.*

dumtaxsat] Ambiguum est utrum in codice sit *dumtaxat*, an *duntaxat.* Maivs, qui illud praetulit, quem plerique secuti sunt, dum Heinr. Stein. Moser. Zellius *duntaxat* exhibuerunt. Receptam formam scribendi satis firmant lapides. V. Grut. p. 237, 5. Muenteri Nachrichten von Neapel und Sicilien T. I. p. 73. Ephem. litt. Hal. 1831. No. 55. p. 438. His adde titulum Nervae aetate inscriptum, in Mem. dell' inst. archeol. I. p. 43; alium M. Aurelii imp. ap. Grut. p. 199, 6 (Syllog. inscr. p. 512), alium Diocletiani temporibus incisum, ap. Romanellium Viaggio a Pompei T. II. p. 185. Exemplorum cumulum adiicit solemnis illa formula in Tabulis honestae missionis collectis a Platzmanno in Hauboldi Opusc. T. II, quibus et alia quaedam eiusdem generis nuper accesserunt, veluti quod vulgatum in Wiener Jahrb. 1829. No. XLV. Anzeigebl. p. 66 et hinc Allg. Schulzeit. 1830. No. 69. p. 553. Et sic sane vox ista scribenda, si originem eius spectamus, quandoquidem ea ex verbo et adverbio, ut ait Priscianus XV. p. 627 Krehl., h. e. ex *dum* et *taxat*, indubie conposita est: quod tametsi ab aliis dudum intellectum est, ut non satis mirari Doederleinium Syn. Lat. T. VI. p. 108 possis, cum vernaculo *doch*, vel gothico *thauh*, quam significationem *dumtaxat* numquam habuit, comparantem, tamen in eius compositionis rationem ellipticam non satis adhuc adtendisse videntur, quippe ex plena formula iuris solemni, qua *dum* et *taxat* seorsim posita sententiam unam includerent, repetenda. In rogatione Silia ap. Festum v. *pondera* legitur: *eum quis volet magistratus multaretur, dum minore parti* (vel *parte* ut pro *patris* cum Ursino legendum ostendit Klenze Rhein. Mus. T. II. p. 42) *familias taxat, liceto*, hoc sensu, ei quis volet magistratus pecuniae multam dicat, modo minor rei bonis taxetur. Aliud eiusdem formulae exemplum

ipso ac iure regiam. Quodque erat ad optinendam potentiam nobilium vel maxsumum, vehementer id retinebatur, populei comitia ne essent rata, nisei ea patrum adprobavisset auctoritas. Atque heis ipseis temporibus dictator etiam est institutus decem fere anneis post primos consules T. Larcius; novomque id genus imperei visum est et proxsumum similitudinei regiae. Sed | tamen omnia summa cum auctoritate a principi- p. 6
bus, cedente populo, tenebantur: magnaeque res temporibus illeis a fortissumeis vireis summo imperio praediteis, dictatoribus atque consulibus bellei gerebantur.

exhibet Tabula Bantina apud Klenze l. l. Inservit igitur rei alicui restringendae vel accurate definiendae, quo sensu utraque vox progrediente tempore in unam contracta in particulam cessit, quae uni vocabulo saepe, ut in nostro fit Ciceronis loco, quo idem est ac *quidem*, explicandi gratia subponeretur, vel in coniunctione substantivi cum adiectivo interponeretur, ut apud Curtium IX, 9, 18: *tumulis duntaxat eminentibus*. In qua vocis ratione illud valde mirum, quod usu progrediente non hinc evaserit scriptura *duntaxat*, quemadmodum *m* ante *t* plerumque in *n* mutatum observavimus ad I, 44; quod quum in nullo monumento inscripto adhuc repertum sit, statuamus oportet, veteres in retinenda hac antiqua vocis scriptura originis eius memoriam servare voluisse.

annuam] Cod. *anni annuam*; sed *anni* videtur expunctum. Maivs.

Quodque] Ita cod. 1 manu; at 2 *quod qui*, aut *quod quia*. Maivs.

optinendam] Vox *optinendam* superaddita fuit, et paulo aegrius legitur. Maivs. Atque omittendum censuerunt Biondius et Bettius. Ceteri omnes *obt.*, de cuius scripturae discrepantia dixi ad c. 41.

maxsumum] Vulgo *maximum*, ut mox *proximum*.

nisei ea patrum etc.] De re v. Goettling. Gesch. der Röm. Staatsverf. p. 261.

adprobavisset] Alii *appr.*

novomque] Vulgo *novumque*.

imperei] Ita [*imperii*] cod. quum alibi sit *inperii* vel *inperi*. Maivs.

similitudinei regiae] Ne scribas *similitudine regio* [quod proposuerat Moserus]. Similiter est enim dictum, ut *Gallicus adventus* de rep. II, 6, 11. *annus decemviralis* II, 37, 62. *mucro tribunicius* de legg. III, 9, 21. *mortes imperatoriae* de fin. II, §. 94. *Tiberina descensio* de fin. V, §. 70. *annus regius* de rep. II, 15, 19. *utilitates maritimae* II, 5, 10. *odium regium* I, 40, 62. *interitus paternus* Ep. ad fam. XV, 2, 5. *popularis admiratio* VII, 1, 2. *provincialis molestia* II, 7, 4. Cfr. II, 8, 3. *casus Hispaniensis* II, 16, 6. *metus Parthicus* II, 17, 1. *casus gladiatorii* V, 13, 3. *dies Tusculanenses* IX, 6, 4 etc. Cf. Hand Lehrb. des Stils p. 280. Iacob in Iahnii Jahrb. XXXII, 2. p. 188 sq. Otto.

magnaeque] Cod. *magnaeqe*, sed *u* fortasse superaddita. Maivs. Ad sententiam Otto conferri iubet I, 24, 38.

fortissumeis] Vulgo *fortissimis*.

bellei] Excidisse hic aliquid videri, stellulis appositis Heinr. Orellius et Nobbius significarunt. Atque Moserus quod excidisse sibi persuaserit

XXXIII. 57. Sed id, quod fierei natura rerum ipsa cogebat, ut plusculum sibei iuris populus adsciscere t, liberatus a regibus, non longo intervallo, sexto
p. 7 **decumo fere anno, Postumo Co|minio Sp. Cassio consulibus consecutus est: in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa rerum publicarum natura saepe rationem. Id enim tenetote, quod initio dixsei, nisei**

domique adeo in contextu exprimendum curavit. Quibus non obtemperavit neque Maius in ed. alt. neque Zellius: neque ego quidquam novarim. Ut enim quod Moserus vulgavit, Ciceronem scribere potuisse lubenter concedam, tamen religioni mihi duco Codicis scripturam oblitterare, in qua insolentioris quidem, sed a ratione Latini sermonis minime abhorrentis consuetudinis fortasse exemplum lateat, licet quantum ad usum Ciceronis, unicum, ut puto. Quod enim in phrasi *belli domique* licuit, quidni etiam extra eam *belli* dictum simpliciter largiamur, quum idem usus in aliis vocabulis obtinuerit, ut in *militiae, humi, domi*? Quid? quod certe Plautus et Terentius, quorum locos apposuit Ruddimannus T. II. p. 274, ea voce absque *domi* usi sunt. Atque Sallustius Iug. 63 disiunctim: *animus belli ingens, domi modicus.*

decumo] Vulgo *decimo*. De re v. ad Pompon. de orig. iuris §. 3.

Sp.] Cod. *S. P.*, puncto interposito. Maivs. Eadem scriptura in eodem nomine recurrit c. 35. init.

Postumo] *Posthumo* Villem.

consecutus] Ita cod.; quamquam aliquot critici mallent *consecutum*. Maivs. Ita [*consecutum*] correxi cum Heinr. lectionem codicis *consecutus est*, pro qua illam etiam Steinackerus. Multo autem elegantius dici: *id consecutum est, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, videlicet ut* etc. quam: *populus consecutus est id, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, videlicet ut* etc., nemo, opinor, est quin sentiat. Ita scripsit de Fato 5, 9 *is non videt, quae quamque rem res consequatur*. Sed quid opus est exemplis in re tam manifesta? Accedit, quod ad sequens *in quo* optime intelligitur: *quod consecutum est*. Moservs. Ego istiusmodi elegantiis non admodum delector, ubi non quid Cicero scribere potuerit, sed quid scripserit, quaeritur.

saepe] Cod. *saepa*.

rationem] Parem sententiam in hoc argumento versans scribit Dionysius V, 64: τὰς ἀνάγκας κρείττους εἶναι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως· καὶ τότε τὸ εὐπρεπὲς ἀξιοῦν ἅπαντας σκοπεῖν, ὅταν ἔχωσιν ἤδη τὸ ἀσφαλές. Confer Ciceronis de or. II, 48 insignem locum, ubi is narrat Antonium illum oratorem omnium seditionum genera, vitia, pericula oratione quadam collegisse, atque ex omni reip. romanae temporum varietate repetivisse; aliaque addit quae cum his politicis locis apprime congruunt. Novarum quidem rerum studium, quo multi mortales quasi morbo laborant, dicit causam naturalem pervulgatamque seditionum Polybius in vaticanis excerptis p. 449. Maivs ed. alt.

Id enim tenetote] Ita cod. 2 manu; at 1 *idem teneto*. Maivs. Eandem vocularum *idem* et *id enim* confusionem notavit Goerenzius ad legg. II, 2. p. 108.

dixsei] Confer I, 27 et 45. Maivs. Vulgo *dixi*.

aequabilis haec in civitate conpensatio sit et iuris et officei et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus, et auctoritatis in principum consilio, et libertatis in populo sit, non posse hunc incommu|tabilem reei p. 8
publicae conservarei statum. Nam quom esset exs aere alieno commota civitas, pleps montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. Ac ne Lycurgei quidem disciplina tenuit illos in hominibus Graeceis frenos: nam etiam Spartae, regnante Theopompo, sunt item quinque, quos illei ephoros appellant, in Creta autem decem, quei cosmoe vocantur, ut contra consulare imperium tribunei pl., seic illei contra vim | re- p. 191
giam, constitutei.

XXXIV. 59. Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostreis in illo aere alieno medendei, quae neque

conpensatio] Ita ex Cod. Maius: ceteri *comp.*

officei] Vulgo *officii.*

in populo sit] Sic Cicero de legg. III, 12. Maivs ed. alt.

incommutabilem] Hanc vocem ex Varrone et Augustino hactenus solis cognitam possumus etiam alio Ciceronis loco fortasse adstruere, quandoquidem eam censemus reddendam esse in Timaei 2, ubi quod in Cod. Rhedig. legitur *aeternitati incommutabili* (vulgo *immutabili aeternitati*), etiam in Moguntino, de quo alibi, exstat, non spernendum.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, cum aliis: alii *quum.*

exs] Vulgo *ex*, et mox *plebs.*

civitas] Seditiones commutationesque rerump. propter aeris alieni et foenoris magnitudinem recitat Plato reip. VIII. p. 555 sqq. De romano foenore legesis locum Taciti insignem annal. VI, 16. Maivs ed. alt.

occupavit] Repetitae prioris ed. notae Maius nunc subiungit: „Sed Cornelianae locum pertinere ad alterum secessum post Appii facinus et decemviros abrogatos, Liv. III, 52. 54, dicit Creuzerus." Cf. eiusdem Creuzeri Antiq. Rom. §. 151. p. 151 not.

cosmoe] Villem. *cosmoi*, recte improbante Mosero. Immo ex huius vocis scriptura comprobatur, quod dudum de hac antiqua forma Graecorum nominum in ōī desinentium Latina monui Anal. cr. p. 152. In Indice rerum Maius comparat *Heniochoe* ex Mela I, 2. Adde *canephoroe* Tullio nunc restitutum IV Verr. 2, 5. ubi v. Zumpt., qui, praeeunte Leop. Conr. Schneidero, cum Frotschero *Locroe* eodem iure vindicavit Quintiliano X, 1, 70.

cosmoe vocantur — constitutei] Cod. 1 manu *cosmoe vocantur ut contra consularem constituti.* Intermedia vero addita sunt posteriore manu, quae nos aegre quidem, sed tamen certissime legimus. Maivs ed. alt. In ed. pr. Maius *consularem vim* legendum proposuerat, obaudiente nullo editore.

medendei] Vides ex annotatione critica, laborasse A. Maium in hac

Solonem Atheniensem non longeis temporibus ante fugerat; neque post aliquanto nostrum senatum, quom sunt propter unius lubidinem omnia nexsa civium liberata, nectierque postea desitum: semperque huic ge-

constructione, quia nos vel notare iubet structuram *mederi in re aliqua*, vel corrigere *in illo aere alieno medendo*. Nos quidem neutrum volumus, neque etiam Schützii coniecturam amplectimur, corrigentis: *in illo consilio aeri alieno medendi*, certe non magis, quam eam, quam ad eundem sensum nobiscum communicavit vir quidam doctus: *in illo aeri alieno medendi modo*. Quaero enim ex utroque, quodnam fuerit *illud* consilium, vel *illa* modus medendi, quo respiciat Scipio dicens *illo*? Nihil plane mutandum, sed locus ita construendus: *In illo aere alieno* (ex quo commotam esse dixi civitatem) *fuerat* (i. e. fuisset) *fortasse maioribus nostris aliqua medendi ratio*: (iam interponuntur ea, quae sequuntur usque ad *medicina quaesita est*: tum pergit:) *quo tum consilio praetermisso causa populo nata est* etc. Simili vel potius eodem modo intellexisse video locum Steinackerum et Lehnerum. Moservs.

neque post aliquanto etc.] Ex hoc loco Livium paene dicas colorem duxisse, eadem de re ita loquentem VIII, 28: *Eo anno plebi Romanae velut aliud initium libertatis factum est, quod necti desierunt: mutatum autem ius ob unius foeneratoris simul libidinem* etc.

quom] Ex Cod. Maius *cum*; ceteri vel hoc vel *quum*. Item mox.

nexsa] Vulgo *nexa*, et paullo *ante libidinem*.

nectierque] De hoc loco miro modo Nobbe in Programmate quodam de versibus apud Tullium suspicatur, haec ipsa e versu esse composita, inductus poetica forma infinitivi, quae tamen et apud prosae scriptores antiquiores frequens et remansit in formis quibusdam usu receptis, ut in hac ipsa formula iuris, de qua nunc agitur. Non autem illam syllabam *er* esse paragogen, nunc quidem a viris Sanscritae linguae peritissimis omnibus pro certo habetur; est potius antiquior pleniorque forma infinitivi, vide Pott Etymol. Forsch. in Ind. v. infinitivus, et Bopp Vergl. Gramm. Fasc. III. Sed ratio, qua illi VV. DD. rem explicarunt, nunquam mihi probabitur; est enim nimis artificiosa, ut fit, quum antiquiores formae sunt explicandae, quarum origo est obscurata. Conabor tamen ego quoque hanc rem explicare, qua ratione explicanda mihi esse videtur. Proficiscamur inde, ut cum viris doctissimis statuamus, passivam verbi formam (a reflexiva, suffixo pronomine *se*; quod abiit postea, ut solet, in *re*, cfr. *arbos, arbosem* Fest. *ros*, gen. *roris*, *ara*, *asam* Fest. *campi rosei* i. e. *rorei*; *mensa-s-um*, mensarum etc., quae constantissima Romanorum lex ubique observatur, ubi litera *s* inter duas vocales interponitur sive in verborum compositione, sive in declinationis coniugationisque suffixis, quae dicuntur) ab activa esse ductam, quae deductio comparantem ubique formas activas et passivas non fugiet, ut amo, pass. amor i. e. amo–*se* vel amo*re*, plena forma, in qua litera *e* postea est abiecta, i. e. patior me amari, *ich lasse mich lieben*, i. e. amor, ich werde geliebt. amare, lieben, amari sich lieben lassen, geliebt werden, quae forma plenior esse debebat amare*re*, quae quoniam collideret cum tempore imperfecto coniunctivi amare*re*, multo illa quidem usitatiore, quam *amareris*, apocope facta est, ut sonaret amare*r*, quae quum non minus collideret cum temporis imperfecti 1 persona, litera *i* inserta est post primam literam *r*, ut facilior sonus oriretur amari*er*, quo simul differentia utriusque formae notaretur; quales vel elisiones vel immissiones interiectionesve, ut ita dicam, saepe sunt adscitae, ut formae quae-

nerei **quom plebes publica calamitate inpendieis de|bi-** p. 192

dam, quae propria sua ac nativa flexione inter se leni levique ratione disiungerentur. Hinc in tertia coniugatione vehementior mutatio facta est, ut pro tege*rere* diceretur teg*ier*, recentioreque forma detruncatius *tegi*, omissa vel characteristica nota passivi, qualis restitit in am*ari* pro am*arier*: quodsi ad tertiam coniugationem flecteretur, esse debebat am*ier*, a rad. *ama* vel *am*, *delier* pro *delerier*, *audier* pro *audirier*. Quae si quis diligentius secum reputet, suspicetur, non quod vulgo nunc in melioribus libris grammaticis docetur, tertiam coniugationem esse antiquissimam, sed vocales, quae dicuntur, ut *ama-o* (τιμα-ω), *doce-o* (φιλε-ω), *audi-o* (κλυ-ω, κλι-ω), *acu-o* (ἰκνου-ω), *no-o* (*novi*) (νο-ω), id quod Schneiderus in Scholis de Graeca lingua habitis non immerito velle videtur, unde pleniores formae harum coniugationum sunt explicandae, quum mutilatiores inveniantur in tertia, id quod etiam ad declinationes est transferendum, quam totam rem non optime exposuit Köne Sprache der Epiker. Sed revocabo disputationem — est enim longum persequi omnia — ad id, unde egressi sumus. Antiquior illa forma infinitivi in *ier* remansit et in quibusdam formulis vel Ciceroniano tempore et a quibusdam etiam extra eam conditionem est usurpata. Sequuntur exempla. *Dicier* est ap. Vatin. Ep. ad fam. V, 9, 1. *viderier* pr dom. §. 136. *rogarier* pro Caec. §. 95. *labefactarier* pro Sestio §. 49. *necarier* e Pacuv. ap. Cic. Fin. V, §. 62. Cfr. Ochsner Ecl. Cic. p. 13 et Cic. Orat. c. 47. Otto. Exempla Ciceroniana numerantem exiguus numerus in occasione eius usus quavis operum pagina data offendere merito debet, si quidem Ciceronem statuas utraque forma sine discrimine ullo usum esse. At quod ad h. l. Lehnerus monuit, antiquam illam vocem Ciceronem posuisse, ut aliquam legis antiquae similitudinem retineret, (unum exemplum ABDVCIER ex Legis fragm. ap. Grut. p. 508 advocabo) id verissimum mihi videtur, si modo de tota re ita censeas, ut Cicero ubicunque eam posuerit, eo consilio eam scripsisse putetur, ut aliquo modo antiquitatis consuetudinem ipsa formae specie referat, quod sane vix alibi recte fieri potest, quam ubi antiquae legis, ut hic videlicet Poetiliae Papiriae, ni fallor, de qua nuper Heusde disquisitione peculiari disputavit, Trai. ad Rh. 1842) mentio fit, vel pro Caec., ubi vel ipsa legis formula refertur. Atque talem ipsam Ciceronis hic menti obversatam esse, insuper mihi docere videtur, quod antiquo mox nominativo *plebes* usus est, a quo alibi abstinuit, exceptis de legibus III, 3 locis quibusdam, quibus item in legis formula recurrit, et alio, quem attulit Otto, Brut. 14. 54, ubi res Romanorum vetustissimae attinguntur. Tertio denique loco Ep. ad Att. VII, 7, 6, quem idem mecum communicavit amicus, lectio ob codicum fluctuationem incerta est. Loci vero ex Sextiana non par conditio est, neque *labefactarier* vulgatae formae Orellius, codices suos secutus, praetulit. In or. pro domo sua, ubi lectio fluctuat, antiqua forma, auctor si quidem reapse exhibuit, ratione, quam modo exposui, defenditur. Denique si Vatinius l. l. *pro se causam dicier vult*, id eo sensu is dixit, ut causa more maiorum antiquo, quo clientium, qualem Vatinius sese hic exhibet, patroni causas agere solerent, diceretur. Igitur quamquam antiqua, ut vidimus, repetere licuit, tamen tantum abest ut Ciceronis aetate vulgari usu illam formam receptam existimemus, vel ut cum Mosero, sola Vatinii auctoritate niso, dicamus, etiam in sermone familiari ea uti solitos fuisse, ut ille dicendi modus solis istius atque sequentium temporum poetis relictus videatur, quorum locos congessit post Ruddimannum Inst. T. I. p. 284 Ladevigius in Z. f. d. A. 1844. p. 622., quibus adde epigramma iambicum de lapide descriptum in Ann. dell' inst. arch. 1834. p. 107, repetitumque in Z. f.

litata deficeret, salutis omnium caussa aliqua sublevatio et medicina quaesitast. Quo tum consilio praetermisso, caussa populo natast, duobus tribuneis plebis per seditionem createis, ut potentia senatus atque auctoritas minueretur: quae tamen gravis et magna remanebat, sapientissumeis et fortissumeis et armeis et consilio
p. 129 civitatem tuentibus; quorum aucto|ritas maxsume florebat, quod quom honore longe antecellerent cetereis, voluptatibus erant inferiores, nec pecunieis ferme superiores; eoque erat quoiusque gratior in re publica virtus, quod in rebus privateis diligentissume singulos civeis opera, consilio, re tuebantur.

XXXV. 60. Quo in statu reei publicae Sp. Cassium de occupando regno molientem, summa apud po-
p. 130 pulum gratia florentem, quaestor | accussavit, eumque,

d. A. 1846. p. 304. De eius formae usu in dramaticis poetis et metrica quidem ratione vide quae ad retractandam illam legem, quam olim constituerat Hermannus ad Plauti Trin. p. XVI, idem nuper attulit in Iahnii Jahrb. 1842. Vol. XXXV. p. 194 sq. assentiente Ladevigio l. l. Recte Bosscha in Plauti Capt. I, 2, 72 *vocari* pro *vocarier*, a me monitus, revocavit.

generei] Moserus suspicabatur *oneri*.

quom] Ex Cod. Maius *cum* et sic plerique: alii *quum*. Item etiam mox.

inpendieis] Ita ex Cod. Maius: ceteri *imp*.

caussa] Ex Cod. Maius cum ceteris praeter Nobb. *causa*. Item mox.

quaesitast] Ita 1 manu; at 2 heic et inferius videtur addidisse *e*. MAIVS. Ceteri *quaesita est*, ut etiam mox *nata est*.

sapientissumeis] Vulgo *sapientissimis*, ut mox *fortissimis* et *diligentissime*.

armeis] Schütz. *annis*.

maxsume] Vulgo *maxime*.

superiores] Sanissima haec sunt. Sensus est: „eo maxime patrum auctoritas florebat, quod quum honore longe antecellerent ceteris, minus tamen quam vulgus ipsum vitae quotidianae voluptatibus indulgebant contentioresque erant, iidemque ne pecuniis quidem superiores, ita ut omnibus constaret, non lucri causa ab illis appeti honores. *Nec ceteris facultatibus erant inferiores, et pecuniis ferme superiores* Bakii mira susp. ORELLIVS.

quoiusque] Vulgo *cuiusque*.

civeis] Vulgo *cives*. V. ad I, 34 *civitatium*.

Sp.] Cod. *S·P* interposito puncto. MAIVS. V. ad c. 32.

apud] Ex Cod. Maius *aput*, nemine obtemperante.

accussavit] Cod. *accusabit* et mox *mactabit*. MAIVS. Vulgo *accussavit*. V. ad I, 3.

ut audistis, quom pater in ea culpa esse conperisse se dixsisset, cedente populo, morte mactavit. Gratamque etiam illam rem quarto circiter et quinquagensumo anno post primos consules de multae sacramento Sp. Tarpeius et A. Aternius consules comitieis centuriateis tulerunt. Anneis post ea xx exs eo, quod L. Papirius, P. Pinarius censo|res multeis dicendeis vim p. 41
armentorum a privateis in publicum averterant, levis

quom] Plerique cum Maio ex cod. *cum*: alii *quum*.

conperisse] Ita ex Cod. Maius: ceteri *comp*.

dixsisset] Vulgo *dixisset*.

mactavit] Mediam quandam sententiam sequitur Cicero, dum ait Cassium a quaestore quidem accusatum, verum a patre iudicatum atque interfectum: quidam enim scripserunt accusatum quoque fuisse a patre. Rem suo more ventilat Dionysius VIII, 79; atque ita concludit, ut ei Cassii pater nihil in filii iudicio egisse videatur. Neque abhorret a Dionysii sententia Livius II, 41. Sed contradicunt Valerius M. V, 8, 2 et Florus I, 26. Immo Dio Cassius in excerptis novis vaticanis a me editis p. 150 hunc gentilem suum Cassium omni prorsus crimine liberat, oppressamque invidia innocentiam eius adfirmat. Maivs ed. alt. Falli Maium, quum Cassium a patre ipsius interfectum quoque esse contendat, demonstravit Moserus. Iungendum enim: *quaestor accusavit eumque — morte mactavit.*

rem] Ita cod. evidenter *rem*; sed malim *legem*. Maivs. Scripserat idem olim „scribe *legem*“, cui imperativo, cui obaudierunt et Heinrich. et Schützius cum Lehnero, Moserus et Steinack. cum Nobbio et Zellio restiterunt, quorum ille ex Livii II, 56 *rem ferre* recte dici ostendere studuit. Neque ego quidquam mutaverim, quamquam *res* illo in contextu mihi quidem insolentius dictum videtur.

quinquagensumo] Vulgo *quinquagesimo*.

de multae sacramento] De hac et sequente lege ad multam dicendam lata praeter ea, quae ex Dirksenio Moserus affert, adi Schultz Staatswissensch. der Römer p. 214. Platneri Quaest. hist. de iure criminum antiquo Romanorum, Marburgi 1836. p. 51 et Boeckhii Metrologie p. 420. Maius Ind. rerum p. 379 ed. alt.: „Lex de multae sacramento ita dici videtur, quia, eodem modo, quo sacramentum, multa aerario cedebat. Nam quis credere sustinebit licuisse, sacramento interposito, de multa adversus magistratus certare?“ Nobb. et Villem. *mulctae*, ut etiam mox *muletis* et *mulcta*. V. ad c. 25.

Aternius] Notae suae ex ed. pr. repetitae Maius, postquam quod optaverat, ut capitolinorum fastorum adhuc in urbe latentium fragmenta diligenter investigarentur, id fieri nunc coeptum esse a. 1828 iussu ac beneficio Leonis pontificis maximi admonuit, sub calcem haec nunc subiecit: „In editione maurina S. Augustini tom. 3. part. 1. in append. p. 152. F. dicuntur etiam XII tabulae decemvirorum sepultae in Capitolio. Gerrae!“

exs] Vulgo *ex*.

aestumatio pecudum in multa lege C. Iulei, P. Papirei consulum constitutast.

XXXVI. 61. Sed aliquot ante annĕis, quom summa esset auctoritas in senatu, populo patiente atque parente, inita ratiost, ut et consules et tribunei pl. magistratu se abdicarent, atque ut x virei maxsuma po-
p. 42 **testate sine provocatio|ne crearentur, quei et summum imperium haberent, et leges scriberent. Quei quom x tabulas summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides nec iustitia laudata. Quo tamen ex collegio laus est illa exsimia C. Iulei, quei hominem nobilem L. Sextium, quoius in**

aestumatio] Vulgo *aestimatio.*

Iulei] Ex Cod. Maius *Iuli*: ceteri *Iulii* et mox cum Maio Papirii, praeter Steinack.

constitutast] Praeter Maium omnes *constituta est*, uti et cap. seq. invito Cod. *ratio est.*

Sed] *Set* ex Cod. Maius: ceteri *sed.*

aliquot] Cod. *aliquod*, ut passim.

anneis] Schütz. *annos.*

quom] Ex Cod. Maius *cum*, quod plurimi expresserunt: alii *quum*. Item mox.

consules et] Cod. *consul esset.*

maxsuma] Vulgo *maxima.*

quom x — aequitate] Anonymus quidam ap. Moserum non probantem coniiciebat: *cum decem legum tabulas summa cum aequitate.*

fides] *Est* addidi ex Steinackeri coniectura, qui recte monet, in tali sermone non omittere solere Ciceronem verbum substantivum, et facile id potuisse excidere finitimarum litterarum similitudine. Omittitur *est* in proverbiis, sententiis et epiphonematis: non omittitur a nostro in narrationibus. Vid. Ruddimanni Inst. Gr. Lat. T. II. p. 7. Omittitur item *est*, ut monet Goerenz. ad Acad. I, 7, 25, si est praecipientis et si res quasi per locum communem effertur. Moservs. Haec etiam maiorem inquisitionis diligentiam requirunt, anteaquam hac doctrina confisi quoque loco verbum utrum recte ponatur, an omittatur, decernere audeamus. Tam varia enim sunt narrationis genera, sententiis ita saepe mista, ut singulas sermonis partes difficilius discernas: uti v. c. cap. seq. *est* omittitur in verbis: *Nota scilicet illa res* etc. quae quidem sententiam constituunt, sed in narratione positam. Qui locus nostri est simillimus, ut si illo *est* desideraveris, idem etiam hic reponatur oporteat. Quare interim cum ceteris locum verbo *est* carere passus sum.

ex] Vulgo *e* et mox *eximia.*

Iulei] Ita [*Iuli*] ex Cod. Maius, quem solus Steinack. secutus est. Reliqui *Iulii.* Maius adnotavit in nova ed.: „Hic primus in decemviris creandis nominatus fuerat, teste Livio III, 33. Lehn."

Sextium] Ita [*Sestium*] scribitur saepius *Sestius* pro *Sextius* etiam

cu|biculo exfossum esse, se praesente, mortuum diceret, quom ipse potestatem summam haberet, quod decemvir sine provocatione esset, vades tamen poposcit: quod se legem illam praeclaram neglecturum negaret, quae de capite civis Romanei, nisei comitieis centuriateis, statuei vetaret. Q. XXII. p. 137

apud interpretem pervetustum vaticanum orationis pro P. Sextio. MAIVS ed. alt. Ego cum Orellio et Nobbio *Sextium* revocavi, de qua scriptura dictum ad I, 37.

quoius] Vulgo *cuius*.

exfossum] Ita [*eefossum*] cod., uti supra *eeferre*, *eefrenati*. MAIVS. Huius a scriptura merito editores ceteri sibi caverunt, exhibentes *eff*. De reposita v. ad I, 1 *restinxsissent* et passim. Huius scripturae multo plura quam putaveris attente legenti exempla sese offerunt, quale est quod modo in manus venit adverbium *eradicitus* Plautinum Most. V, 1, 63, cuius loco ex Frontone ad M. Antonin. p. 239 ed. Rom., ubi ex Plauto excitatur, reponendum *exradicitus*.

diceret] Nota attractionem, quam optime exposuit Beier ad Lael. p. 59. OTTO.

quom] Ex Cod. Maius *cum*. Ceteri vel hoc, vel *quum*.

decemvir] Cod. *decemvirum*, nisi forte aliqua ibi litura est. MAIVS. Ex codicis scriptura Steinackerus sagacissime suspicatur scribendum esse *decemvirum unus*, quae coniectura quamquam per se ipsa est aptissima, tamen vide ne non opus quidem sit, quum Romani in hac quidem formula nudo genitivo partitivo usi esse videntur, cuius structurae insigne exemplum est ap. Tacit. Ann. VI, 12: *Relatum de libro Sibyllae, quem Caninius Gallus quindecimvirum recipi iusserat*, et apud Catonem teste Festo v. *spatiatorem* p. 264 ed. Lindem. *In coloniam mehercules scribi nolim, si triumvirum sis, spatiatorem atque Fescennium*, ubi item Ursinus *triumvir* scribi voluit. Similiter itaque ego nostro loco legam *quod decemvirum sine provocatione esset*, i. e. unus e decemviris. Apud Plaut. est in Mil. IV, 2, 5: *Cedo signum, si harunc Baccharum es*. Analogia est in his *esse secundarum*, ut Cic. Brut. 69, 242. Div. in Caec. 15, 48. OTTO. Idem posthac etiam haec Ciceronis me conferre iussit, Ep. ad Att. II, 6, 1: *ubi* (Antii) *quidem ego mallem duumvirum, quam Romae me fuisse*. Ego neutram locum vindicandi rationem probo. Steinackeri lectio ideo displicet, quod quum Ciceroni licuisset simpliciter *decemvir* scribere, non intelligitur, cur periphrastica dictione usus sit, qua nihil momenti, neque coloris quidquam loco adiicitur. Ottonis ratio eam ob caussam improbanda est, quod etsi recte aliquis dicatur *esse aliquorum*, ut unus ex aliquibus esse significetur, id tamen in nostrum locum non cadit, quo *sine provocatione* cum *esset* iungendum est; quo fit ut partitioni ex verbo *esset* aptae nullus locus sit. Ego hic cum ceteris acquiesco in lenissima codicis mutatione, si modo est mutatio, *decemvir*: aut si quid tentandum, *decemvirum* crediderim male a librario descriptum pro *decemviratus*, per compendium, ut coniicere fas est, in Cod. exaratum.

legem illam etc.] De re et lege illa v. Reinii Quaest. Tull. 1841. p. 11 et Häckermanni Diss. de legislatione decemvirali, Gryphiswald. 1843. p. 27 sq.

vetaret] Rem habes apud Livium III, 33. MAIVS. Ibi Sextii praenomen *P* vulgatum ex hoc Ciceronis testimonio nunc certo certius cor-

XXXVII. 62. Tertius est annus x-viralis consecutus, quom eidem essent, nec alios subrogare voluis-
p. 138 **sent.** | **In hoc statu reei publicae, quem dixsei iam saepe non posse esse diuturnum, quod non esset in omneis ordines civitatis aequabilis, erat penes principes tota res publica, praepositeis x-vireis nobilissumeis, non oppositeis tribuneis pl., nulleis alieis adiuncteis magistratibus, non provocatione ad populum contra necem et verbera relicta. 63. Ergo horum exs**
p. 183 **iniustitia subito exsorta est maxsuma pertur**|**batio et totius commutatio reei publicae: quei duabus tabuleis ini-**

rigitur, quandoquidem illud *P* ab optimo Flor. plane omittitur, et in Rhenani codice, qui omnium optimus a peritis iudicatur, lacunula relicta est, ita ut credibile admodum sit, praenomen refictum esse ex superiore eiusdem cap. loco, quo *Publii Sextii* decemviri, qui homo a nostro plane diversus est, mentio fit.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, et sic vel *quum* ceteri.

eidem] Ita [*idem*] ex Cod. Maius. Ceteri omnes *iidem*.

dixsei] Vulgo *dixi*.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*. Ceteri *omnes*.

civitatis] Cod. *civitas*; sed ibidem videtur emendatum *civitatis*. Maivs. Mirum *civitas* et Lehnero et Biondio placere potuisse.

res] Cod. *re*.

x vireis] Cod. xx *viros*. Mihi vero videbatur prorsus emendandum x: namque decemviros primi anni alios decem sibi subrogavisse, non addidisse, ait ipse Cicero superius; secundi vero anni decemviros continuasse magistratum in tertio, mox dictum est. Igitur XX viri dici nequeunt, nisi omne simul tempus eius dominationis Cicero complectitur. Maivs.

nobilissumeis] Vulgo *nobilissimis*.

exs] Vulgo *ex*, ut mox *exorta*.

maxsuma] Vulgo *maxima*.

quei duabus tabuleis etc.] Non immerito his impegerunt Lehnerus et Moserus, cuius libet verba apponere quamvis longiora: „Posses quidem *qui* referre ad finem periodi *praefuerunt*, si abiiceres *que* post *libidinose*: sed tum fieret oratio, nescio quomodo, dura et contorta. Malo igitur cum Lehnero hanc negligentiam vel hoc ἀναχόλουθον Ciceroni tribuere, idque intactum relinquere. Voluit sine dubio iungere *qui — legi sanxerunt*; sed cum ad *tabulis — additis* explicatio eorum, quae continerentur his tabulis, propositione relativâ addenda esset, scripsit *quibus*, iunxitque verbum, quod priori relativo debebatur, posteriori. Quae nisi valde mihi viderentur veri similia, delerem facillima medela ipsum illud *qui*, quod verbo suo orbatum non habet, quo nitatur.“ Turbatae constructionis ratio nunc mihi quoque videtur a longioris periodi implicatione excusanda esse: non potest enim dubium esse quin *qui* et *praefuerunt* iungenda sint. Putaram olim locum integrum esse, quippe ab auctore ad eam dicendi formam compositum, qua in constructione *et* —

quarum legum additeis, quibus, etiam quae diiuncteis populeis tribuei solent, conubia, haec illei ut ne plebei cum patribus essent, inhumanissuma lege sanxse-

et, tria si membra sunt, primo *que* ex abundantia adiicitur: quemadmodum in tribus *que* — *et* nonnumquam poni solet. Livius XXIX, 25: *Ut omnes iam in navibus erant, scaphas circummisit, ut ex navibus gubernatoresque et magistri navium et bini milites in forum convenirent* etc. Tacitus Ann. I, 4: *dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit.* Sic etiam *que — et — ac* in Liv. XXXV, 41. Sed desidero exemplum Tullianum.

diiuncteis] Ita cod. et recte, pro *disiunctis.* Maivs. An rectius illud sit, ignoro: religiose interim Codicis scriptura repetenda videtur, quam in vulgarem transformarunt praeter Steinack. ceteri omnes.

conubia] Ita cod. Sed ait Moserus, invito me, a se scribi *connubia.* Tum ipse mox profert verba antiquae legis, in qua scribitur *conubia.* Est ergo id ἀναπόλουθον Moseri. Maivs ed. alt. Invitis ad unum omnibus editoribus *conubia* servavi, titulorum auctoritate fretus. Constans eius formae usus in Tabulis honestae missionis, a Platzmanno congestis in App. Hauboldi Opusculorum T. II, quibus alia accedit a nobis edita Allgem. Schulzeit. 1830. No. 69. p. 553. Adde inscriptionem in Ferussaci Bull. des sciences hist. 1829. No. 8. p. 460: aliam Nervae imp. aetate incisam in Memorie dell' instit. di corr. archeol. T. I. p. 43. Neque aliam scripturam commendant libri MSS. meliores. Adi Wagneri Orthogr. Vergilianam p. 455, ubi idem docetur; Otto meus haec adnotavit lectoribus non invidenda: „*Conubium* ex optimo cod. Florent. recipiendum ap. Liv. IV, 3, 4. Alschefsk. ad Liv. I, 9 notat in Paris. et Flor. cod. semper scriptum esse *conubium*, quae orthographia eadem est in praestantissimo cod. Einsiedl. fragm., cuius integras varietates scripturae habeo. Cf. Liv. IV, 1. 5. 6. VIII, 14." Adde Goezium ad Martianum Capell. de nuptiis philol. p. 4, ubi vulgatam scribendi formam Koppius p. 6 insulse defendit. Iam in hoc monumentorum consensu quum de genuina vocis scriptura nullum relinquatur dubium, permirum id videri debet, quod in ea originis ratio posthabita est. Quid causae enim fuit, quod quum proprie *connubium* scribendum fuisset, veteres *conubium*, et producta prima, ut quidem par erat, exarare maluerunt? Gravissimam eos oportet habuisse caussam, ut in scribenda ea voce et a ratione et consuetudine desciverint, nisi hoc casu factum arbitrere, quod absurdum videtur. Atqui habuerunt ii me iudice gravem sane, a sensu honesti repetendam, quo ducti, illam vocem quum per duplicem litt. *n* scriptam enuntiarent, ne obscenae rei recordati viderentur, *conubium* praetulerunt: quemadmodum enim Tullius ipse auctor est, noluisse veteres *cum nobis* dicere, ne in enuntianda hac phrasi audientes de cunno admonerentur, quare iidem etiam a iungendo *cum notis*, teste Quintiliano, abstinuerunt (v. nobis monita Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 7. p. 56): eandem ob caussam *connubium* repudiarunt, quippe quae forma, quum praesertim memineris *connus* antique pro *cunnus* scribi solitum esse, pudicas aures laedere videretur. Quae observatio quum in v. *connubium* propter ipsam eius significationem apprime cadit, tum etiam ad alias similiter compositas pertinuisse videtur, qualis est *conexus* pro *connexus*, de quo v. infra notata ad Augustini argumentum libri III.

plebei cum patribus] Ita cod. 2 manu; at 1 *plebi et patribus.* Maivs. Restituenda mihi visa est primae manus lectio cum Heinrichio,

runt; quae postea plebei scito Canuleio abrogatast: lubidinoseque omnei imperio et acerbe et avare populo praefuerunt. Nota scilicet illa res et celebrata monu-

quae ideo praestare videtur scriptioni *cum*, quia vicissim vetitum erat utrisque connubium, et quia *verba* legis (ut quidem plerumque scribuntur) non vetabant, ne *plebeii* inirent cum patriciis connubia, sed dicitur, ut scripserunt Ursinus et Merula: *Patrebos cum plebed conubia nei sunto.* Moservs. Fallitur. Non enim hoc agit Cicero, ut legis formulam exhibeat, sed ut rationem eius et consilium aperiat, eo scilicet tendentis, ut ne inito inter utrosque conubio plebeiis aliqua cum patriciis communio concederetur. Itaque lege quum recte patriciis vetitum esset, ne cum plebe conubia inirent, Cicero inhumanam eam legem recte ideo dixit, quod ea plebeii prohiberentur, quo minus cum patriciis conubia inirent: quod eo inhumanius videri debebat, quod antea matrimonia patricios inter et plebeios licita fuerant. V. Schultzii Staatsw. d. Römer p. 326. Cicero enim, quum de iniquitate legum illarum verba facit, non ex mente patriciorum, quibus nulla caussa conquerendi erat, sed plebeiorum loquitur, plane ut eadem de re loquitur Florus I, 25: *Tertiam seditionem excitavit matrimoniorum dignitas, ut plebes cum patriciis iungerentur*: sic enim ex melioribus codd. Salmasius pro *plebeii* reponendum esse pervidit. De verbi plurali v. Cic. Fin. II, 17.

inhumanissuma] Vulgo *inhumanissima.*

sanxserunt] Vulgo *sanxerunt.*

plebei] Heinr. Mos. Orell. Zell. *plebi.* Iidem praeter Orellium mox *plebiscito*, quod 2 m. exhibet, quae scriptura duobus vitiis laborat, primum quod genuina vocalis *i* scriptura oblitterata est, deinde quod iunctim una voce *plebiscito* scriptum est, quod seiungendum esse docet Lex de scribis etc. a Goettlingio nuper edita, in qua tribus locis exstat PLEBEIVE·SCITO, Col. II, 7. 11. 17. Ac supra I, 27 exstat *populi scitis ac decretis.*

Canuleio abrogata] Ita cod. 1 manu; at 1 statim subiunxerat *b τῷ o τοῦ Canuleio*, quasi auctor uteretur verbo *obrogata*, cuius *o* elideretur a praecedente. Maivs. Miror nemínem adhuc offendisse in *Canuleio*, quod neque pro dativo haberi, neque cum *plebeiscito* iungi potest. Quemadmodum enim non dicitur SC. *Velleium*, sed *Velleianum* et alia eius generis permulta, ita dici oportuit *Canuleianum*, quemadmodum *Hermogenianus* vel *Gregorianus* codex non ab Hermogeniano vel Gregoriano, ut plurimis videtur, sed ab Hermogene et Gregorio non potest non appellatus esse. Ut hoc obiter adiiciam, quod haud scio an ab alio quoquam animadversum est: dum leges de nomine gentis, cuius qui tulerat esset, appellabantur, ut lex *Velleia*, senatus consulta vocabantur ex adiectivo a nomine eius ducto, qui ad senatum retulisset, quale est *Velleianum* et reliqua quotquot senatusconsultorum novimus nomina. V. quae de Dasumiani SC. auctore diximus Allgem. Schulzeit. 1833. No. 89. p. 659. Gravius est quod plebiscita a nomine rogantis non appellabantur, neque quoniam nemo nisi tribunus ad plebem ferre solebat, appellari poterant. Quae quum ita sint, vitiosa videtur Codicis scriptura, inserendo *a* ante *Canuleio* facile sananda. Similiter Fin. II, 17: *quo plebiscito decreta a senatu est consuli quaestio.*

abrogatast] Editores praeter Maium ad unum omnes *abr. est.*

lubidinoseque] Vulgo *libidinoseque.*

plurumeis] Vulgo *plurimis.*

men|teis plurumeis litterarum, quom Decumus quidam p. 184
Verginius virginem filiam propter unius exs illeis x-vireis intemperiem in foro sua manu interemisset, ac maerens ad exsercitum, quei tum erat in Algido, confugisset: milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquisse, et primum montem sacrum, sicut erat in similei caussa antea factum, deinde Aventinum *armatos insedisse* ***

(Desiderantur paginae octo.)

Dictatore L. Quinctio dicto. (Philargyrius ad Virgil. Georg. III, 125.)

quom] Ex Cod. Maius *cum*: ita reliqui quoque nisi qui *quum* scripserunt.

Decumus] Ita cod. *Decimus* litteris explicatis sine ulla emendatione. Verumtamen huius viri praenomen *Lucius* scribitur a Cicerone de fin. II, 20. Dionys. XI, 28. Liv. III, 44. Ascon. ad corneliannm; ne alios auctores otiose consulam. *Decimi* quoque Bruti Gallaeci praenomen versum fuit in *Aulum* ab iis qui Velleium II, 5 exscripserant. Reapse apud Livium III, 54 eidem Verginio datur praenomen *Aulus*, ubi interpretes iubent (rectene an secus?) revocari lectionem *Lucius*. Quod si codicis nostri de rep. scripturae confidere licet, *Decimus* praenomen tenendum est; locus autem ille de fin. corruptus existimandus. Maivs. Rectissime. Huius discrepantiae nominis Madvigius ne mentionem quidem fecit. Neque ego magnopere laboraverim de Livio corrigendo, in quo unus tantum cod. *Aulium*, ceteri omnes *A*, corruptum scilicet ex *D*. Ceterum Cod. *Decimus*, de qua scriptura v. Exc. IV.

Verginius] Praeter Steinack. reliqui omnes *Virg.*, ne memorata quidem Codicis lectione, eo tutius defendenda, quo eandem scripturam nominis certius et Livii codices et alii auctores sustentant: quod non fugit Madvigium l. l., qui ex Erlang. Ciceroni *Verginius* restituit.

exs] Vulgo *ex*, et mox *exercitum*.

intemperiem] Semel praeter h. l. hoc vocabulum ap. Cic. reperitur, ad Att. IV, 6, 3, quod est poeticum. V. nos ad I, 1. Otto.

maerens] De discrepantia scripturae *maerens* et *moerens* dixit Moserus. Adiice MAEROR in lapide ap. Ritter Elem. gramm. Lat. p. 97 et quae notavimus ad Apuleium Gramm. p. 139. Atque *maeror* optimus Vaticanus orationis pro Sextio, teste Halmio in ed. sua eius orat. p. 322.

illud] Ex Cod. Maius *illut*.

caussa] Ita cum Nobb. scripsi.

armatos insedisse] Ita suppleo verba duo ex Livio III, 50; quamquam Tullius cap. XXXIII utitur verbo *occupare*, in corneliana autem verbo *considere*. Ipse Livius praedicto loco semel dicit *insidere*, semel *obsidere*. Maivs.

Dictatore etc.] Hac in sede coniecturaliter colloco fragmentum, quod Philargyrius ex opere de rep. sed tacito libri numero profert. Ista enim L. Quinctii dictatura paucis annis post sublatum decemviratum gesta fuit. Servius non secus ac Philargyrius, incerto indicio, hanc Tullii auctoritatem laudat, verum ridicule ab indoctis amanuensibus dis-

p. 193 *** *maiores* nostros et probavisse maxsume et retinuisse sapientissume iudico.

XXXVIII. 64. Quom ea Scipio dixsisset, silentioque omnium reliqua eius exspectaretur oratio: tum Tubero: Quoniam nihil ex te, Africane, hei maiores natu requirunt, ex me audies, quid in oratione tua desiderem. Sane, inquit Scipio, et lubenter quidem. Tum ille: Laudavisse mihei videris nostram rem publi-
p. 194 cam, quom ex te non de|nostra, sed de omnei re publica quaesisset Laelius. Nec tamen didicei exs oratione tua, istam ipsam rem publicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus.

XXXIX. 65. Heic Africanus: Puto nobeis mox de instituendeis et conservandeis civitatibus aptiorem, Tubero, fore disserundei locum. De optumo autem statu
p. 143 equidem arbitrabar me satis respon|disse ad id, quod quaesierat Laelius. Primum enim numero definieram genera civitatium tria probabilia; perniciosa autem tribus illeis totidem contraria: nullumque exs eis unum esse optumum, sed id praestare singuleis, quod ex tri-
p. 144 bus primeis esset modice temperatum. **66.** Quod | autem

tortam: *sic de accusatore lege quinta dicta.* Maivs. Qui ita scriberent, in mente eos habuisse legem quintam Digestorum de iure accusandi, monet Nobbius De fragmentis librorum Ciceronis incertorum, 1827, p. 7.

probavisse] Ita cod. 2 manu; at 1 *probabisse.* Maivs.

maxsume] Vulgo *maxime* et mox *sapientissime.*

Quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum.* Item mox.

exspectaretur] Ex Cod. Maius *expectaretur.*

lubenter] Vulgo *libenter.*

Laudavisse] Ita 2 manu; at 1 *laudabisse.* Maivs.

exs] Vulgo *ex.*

disserundei] Ita cod. 1 manu; at 1 *disserendi.* Maivs. Illud unus Heinr.

optumo] Vulgo *optimo*, ut mox *optimum*, bis.

civitatium] Ex Cod. Maius *civitatum*, quod expresserunt editores universi. V. ad I, 34.

exs] Vulgo *ex*, et mox *e.*

eis] Nonnulli *iis.*

temperatum] Ista omnia in primo libro sunt. Quod sicui haec pagina paulo brevior ceteris esse videtur, is sciat amanuensem verba aliquot oscitanter repetivisse, quod et alibi accidit. Porro mixtum hoc

exsemplo nostrae civitatis usus sum, non ad definiendum optumum statum valuit; nam id fierei potuit sine exsemplo: sed ut civitate maxsuma reapse cerneretur, quale esset id, quod ratio oratioque describeret. Sein autem sine ullius populei exsemplo genus ipsum exquiris optumei status, naturae imagine utendum est nobeis; quoniam tu hanc imaginem urbis et populei *nimis circumscriptam esse iudicas**** Q. XXIII

reip. genus admiratur valde in Romanis Aristides orat. in Rom. ed. Steph. p. 121. Sed mire Tacitus annal. IV, 33 huic Ciceronis loco et superiori libri I cap. 43 contradicit: *cunctas nationes et urbes, populus aut primores aut singuli regunt. Delecta ex his et constituta reip. forma, laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest.* MAIVS ed. alt.

exsemplo] Vulgo *exemplo*, ut etiam mox.

civitate] Quod duce 2 manu Maius scripsit *a civitate*, id merito respuerunt Heinrichius et Moserus, hic collato Topic. 21, 80: *causa certis personis, locis, temporibus — cernitur.* Sensus: ut civitatis exemplo cerneretur quale esset etc. Otto: „De hoc loco copiose disputavit Dietrich Quaest. gramm. p. 67. Adde Cic. Fin. III, §. 28: *si beata vita honestate cernitur.*" *Cerni* aliqua re aliquid etiam Quintilianus VIII, 3, 18 dixit: *Clara illa atque sublimia plerumque materiae modo cernenda sunt*, si modo haec integra sunt: nam haud mala lectio Ambrosiani *discernenda*, etiam a Zumptio commendata. Utram vero probaveris certum deleta voce *modo*, quam aut nullus, aut peiores codd. agnoscunt, *materia* scribendum esse.

maxsuma] Vulgo *maxima*.

reapse] Ex Cod. Maius *reabse*, vitiose.

describeret] Sic fere loquitur in prohoemio Livius. Dionysius autem V, 75 pressius adhuc Ciceronis sententiae et verbis adhaeret. Cicero off. II, 21 ait: *neque tantum de nostra, sed de omni rep. disputo.* MAIVS ed. alt.

exsemplo] Vulgo *exemplo*.

optumei] Vulgo *optimi*.

nimis circumscriptam esse iudicas] Incidimus in ingentem lacunam. Sine dubio autem nunc adgreditur Cicero ad commovendum illum de iustitia sermonem, quem Augustinus C. D. II, 21 ait secundo libro coeptum totoque tertio protractum. MAIVS. Abscissi sermonis supplementum est ex altera Maii editione. Ceterum de lacunae illius ambitu audiamus Maium ita loquentem: „Exin ad usque libri II finem supersunt in codice paginae tantum sex. Quaeret aliquis quot vel quaterniones vel paginae in his postremis secundi libri lacunis post quaternionem XXIII amissae sint? Primi quidem libri quaterniones fuerunt XIII, quorum quatuor prohoemium occupavit. Igitur si libro secundo parem molem attribuere licet, is quidem ultra quaternionem XXVI non processit. Verum idem liber paulo infra potius constitisse videtur: tum quia prohoemio caruit; tum quia tertius liber, qui novum prohoemium prae se fert, in quaternione XXVIII iam dialogum instaurat. Ergo mihi secundus liber ante dimidium fere quaternionem XXVI desivisse videtur. Id si vere coniicio, folium quidem pp. 19. 20. 25. 26 erit secundum, vel tertium qua-

(Multo desiderantur.)

p. 19 **XL. 67.** *** *s. quem* **iamdudum quaero et ad quem cupio pervenire.** *L.* **Prudentem fortasse quaeris? Tum ille: Istum ipsum.** *L.* **Est tibei exs eis ipseis, quei adsunt, bella copia, vel ut a te ipso ordiare. Tum Scipio: Atque utinam exs omnei senatu pro rata parte esset! Sed tamen est ille prudens, quei, ut saepe in Africa vidimus, immanei et vastae insidens beluae, coercet et regit quoquomque volt; levei admonitu, non**

ternionis XXIV aut XXV. Folium autem pp. 9. 10. 3. 4 erit item secundum vel tertium quaternionis XXVI. Tum folium pp. 207. 208. 201. 202 erit medium quaternionis XXVII. Denique folium pp. 23. 24. 21. 22 notam habet inscriptam quaternionis XXVIII. Sed haec, ut dixi, coniecturis partim nituntur, neque satis exploratum est quotam omnino partem foliorum aut quaternionum utrique libro attribuere oporteat. Sed certe a quaternione XXIII ad libri finem sermo fuit de natura, quae moderationem iustitiamque suadet et servat, de imperii ac libertatis naturali temperatione, de politici hominis prudentia ac dexteritate, quem quidem a se ipso docendo instituendoque initium facere decet. Exin dicta sunt illa aliquanto latius atque uberius, ut ait Augustinus, de iustitiae necessitate; libroque imposita coronis fuit."

iamdudum] Ex Cod. Maius *iandudum*. Eadem scriptura, fortasse non mala, exstat in Frontone p. 95. ed. Rom. V. ad I, 44: *tamquam*.

ad] Cod. *at*.

quaeris] Ita distinguitur in codice post *quaeris*, puncto scilicet adiecto. MAIVS.

exs] Vulgo *ex*.

eis] Nempe *eis* pro *his*. MAIVS. Atque *his* ediderunt Mos. Nobb. Orellius. Illud nos cur retinuerimus, dictum in Excursu IX.

bella] Ita cod. 1 manu; at 2 mendose *belli*. MAIVS.

vel ut] Maio legendum videtur *velut*, vel fortasse *ut vel*, quod unus Steinack. probavit: illud expressit Nobbius. Codicis scripturam ceteri merito retinuerunt, a Creuzero recte ita explicatam, ut *vel ut* sit pro *adeo* positum, quod et Lehnerus voluisse videtur, qui *vel* i. q. exempli gratia esse dixit, non dissentiente Mosero, quem nollem insuper monuisset etiam legi posse *vel tu*, quod prorsus alienum est. Cf. Klotzii Quaest. Tull. p. 34. Ut accuratius rem eloquar: *vel* saepius ponitur, ubi posita re quae pluribus communis est, ex his unus exempli loco designatur: quale est illud Terentii Hec. I, 1. init. a Klotzio allatum. *Per pol quam paucis reperias meretricibus fideles evenire amatores, Syra: vel hic Pamphilus* etc.

exs] Vulgo *ex*.

Sed] Ex Cod. Maius *set*.

coercet et regit] Ex Codice totus locus sic vulgatur: *coercet et regit beluam; quocunque vult* etc., nemine offendente nisi Steinackero, qui verba *coercet et regit beluam* uncis ut glossam inclusit: qui si elegantiarum stili arbitrum se praestitit, non item, quum de delendis illis verbis cogitaret, criticum. Non quidem eo offendendum, quod aliqua vox (hic *belua*) repetitur, quod si in enunciatis duobus iuxta positis vel sese

ac|tu, inflectit illam feram. *L.* Novei, et, tibei quom p. 20
essem legatus, saepe videi. *S.* Ergo ille Indus aut Poenus unam coercet beluam, et eam docilem et humaneis moribus adsuetam: at vero ea, quae latet in animeis hominum, quaeque pars animei mens vocatur,

excipientibus fit, excusatione non eget, cuius generis ea sunt exempla, quibus Moserus vulgatam defendere studet, sed quod ea vocis repetitio in eodem commate fit (*insidens beluae coercet et regit beluam*) atque quod insuper res eadem tertium iam verbis *illam feram* apponitur. Talia in Cicerone concoquat qui poterit. Leniorem ego Steinackero rationem inii delendo *beluam*, quod quo modo ex margine inferri contextui potuerit non est dubium, dein mutando interpunctionem: quo evadit sententiae forma, qua neque rotundior neque elegantior fingi poterit. Ceterum Nobbius hic et mox citra codicis scripturam *bellua* duabus *l*, de qua vocis scriptura supra dictum est.

volt] Ex Cod. vulgatum *vult*.

levei] Doederleinius, monentibus Orellio et Zellio, *leni*, in quod etiam Moserus inciderat, nihil tamen hoc loco se movere subiiciens. Utriusque vocis in MSS. saepissime, ut constat, confusae discrimen Weichertus Comm. de Medea oestro percita p. 4 omnium, qui rem tractarunt, verissime in universum his comprehendisse mihi videtur, „ut *lenis* semper ad internum animi sensum, sine ulla gravitatis ac ponderis notione, sit referendum, *levis* autem ubique significationem ponderis quo quis premitur vel levatur, habeat adiunctam", probante Iacobo libello peculiari Numburgi 1836 edito, quo de usu vocab. *levis* et *lenis* apud poetas latinos disputavit, p. 15. Mihi Codicis scriptura servanda visa est, quod *levi* admonitioni *gravis* opponitur, id quod recte dici testantur phrases *graviter dicere*, vel *agere* in aliquem, dum *leni* ex adverso ponitur *asperum*, ut ap. Liv. XXI, 18, quod ab hoc loco alienum. V. nunc etiam eundem Iacobum Quaest. epic. p. 41 idem de hoc loco statuentem.

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum*.

Indus] Proprium rectoris elephanti nomen, in appellationes adeo militares receptum. V. Syllog. inscr. p. 379.

unam] Prae ceteris beluae nomine dignam, vere beluam. De qua v. *unus* potestate adi Handium Spec. obs. crit. in Catull. p. 77. Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 129. Adde Plaut. Aul. III, 6, 35: *cadum unum vini veteris*. Amph. III, 2, 65 *dum edormiscat unum somnum*. Iuvenal. III, 3 *unum civem*. Cic. Ep. ad fam. XIII, 45: *L. Egnatio uno equite Romano familiarissime utor*, ubi v. Cortium, ne alios, qui de hoc usu egerunt, laudem. Quo sensu etiam superlativis apponi, adnotavit Cramerus ad or. ined. pro Scauro p. 18. Adde Plaut. Amph. II, 2, 45. Asin. III, 1, 18. Eodemque sensu componitur in plurali numero numeralibus ad significandam rei integritatem, ut apud Plautum Trin. I, 1, 129 *unos sex dies* h. e. integros. A quo usu Romanorum non abludit quod dixit Sophocles Oed. Tyr. 375 de Tiresia:

μιᾶς τρέφει πρὸς νυκτός, ὥστε μήτ' ἐμέ,
μήτ' ἄλλον, ὅστις φῶς ὁρᾷ, βλάψαι ποτ' ἄν,

ubi *μια νυξ* ea est, quae nunquam remittit: in Tiresia caecitas. De quo Graecorum usu vocis εἷς adi Erfurdtium ad Soph. Aiac. 1328. p. 650.

adsuetam] Nobb. et Orell. *ass*.

non unam aut facilem ad subigendum frenat et domat, sei quando id efficit, quod perraro potest. Namque, et illa tenenda est ferox***

(Desiderantur paginae neque plus octo neque minus quatuor. Est enim hoc vel secundum vel tertium quaternionis incerti folium. MAIVS.)

XLI. 68. Quae sanguine alitur, quae in omnei crudelitate seic exsultat, ut vixs hominum acerbeis funeribus satietur. (Nonius v. *Exsultare* p. 300. ex Cic. l. II. de Rep.)

Hercules, qui ob virtutem clarissimus, et quasi Africanus inter deos habetur etc. Quid enim tam magnificum (fecit), si leonem aprumque superavit? si aves sagittis de-

efficit] Ita 2 manu; at 1 *effecit*. MAIVS.

ferox***] Coeperat hoc loco dicere Scipio de animi perturbationibus, quibus mens politici viri debet invicte imperare. Videtur autem initium fecisse ab iracundia, tum perrexisse ad anxitudinem, ad avaritiam, ad cupiditatem, ad libidinem etc. quibus qui apte moderari nequit, is videlicet tamquam auriga indoctus e curru trahitur et male mulcatur. His ego coniecturis utens locos Nonii quinque e secundo libro de rep. ab eo citatos hac in sede collocandos esse putavi. Paulo tamen aegrius mihi persuasi, tot auctoritates e paucis Tullii paginis a grammatico fuisse depromptas. MAIVS ed. alt. Hanc secutus coniecturam, Maius in ed. alt. post *ferox* nunc de se orationem continuaturus adiecit *et in nobis inclusa, tamquam fera, iracundia*, continuo his subiecto fragmento Nonii *quae sanguine alitur* etc. Haud male. Similiter iam Villemainius, qui verbo *ferox* continuo subiunxerat eadem illa *quae sanguine alitur* etc.

sanguine alitur] Sic Lactantius de op. D. cap. II. *bestiae, quae sanguine aluntur*. Item inst. VII, 24. Iracundiam, Tullium imitans, describit Lactantius etiam de ira D. cap. V; item epitom. cap. LXI. Denique etiam Augustinus comm. in psalm. XCVI, 6. Iracundiam a politico viro abesse vult Cicero Off. I, 25 et IV, 22; profertque exemplum Scipionis nostri, quem inflammatum fuisse iracundia ne tum quidem credit quum hostem manu sua interimeret. Addit et proprium exemplum Cicero, quae fortiter in re publica fecisset, numquam se iratum fecisse. Sed enim nusquam vehementius Cicero iracundiam a magistratu removet, quam in illa prolixa ad fratrem Asiae praetorem epistula (I, 1), quae politici tractatus instar est. Adversus iram copiose disputat etiam Philo allegor. lib. III ed. Mang. tom. I. p. 112 sq. praecipue quia proprium iratorum sit mentiri. MAIVS ed. alt.

vixs] Vulgo *vix*.

Hercules — inter deos habetur] Haec esse Ciceronis verba in libris de rep. quis dubitet? nuspiam enim nisi in his dici poterant, v. gr. a Laelio, dum Scipioni blandiretur, *Hercules quasi Africanus inter deos*. Sequentia igitur Lactantii ad hunc locum de rep. coniecturaliter traxi. MAIVS ed. alt. Haud mala profecto coniectura, qua adductus sum ut locum hunc Lactantii, quem Maius admovit, talem hic inserendum curarem, qualem ille in ed. alt. exhibuit. Certum enim mihi *quidem cum* Maio videtur, eum ad Ciceronis verba et ex hac quidem operis parte desumpta adumbratum esse. Idem statuo de loco item ex Lactantio sumpto, quem pariter Maius nunc primus continuo subsequi iussit.

iecit? si regium stabulum egessit? si viraginem vicit, cingulumque detraxit? si equos feroces cum domino interemit? etc. Non enim fortior iudicandus est, qui leonem, quam qui violentiam, et in seipso inclusam feram superat iracundiam: aut qui rapacissimas volucres deiicit, quam qui cupiditates avidissimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famae debellatricem: aut qui fimum de stabulo, quam qui vitia de corde suo egerit; quae magis sunt perniciosa, quia domestica et propria mala sunt, quam illa quae et vitari poterant et caveri. Ex quo fit, ut ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperans est et moderatus et iustus. (Lactantius Inst. I, 9.)

Homo qui habet imperium ac potestatem, late nocet per iram, sanguinem fundit, urbes subvertit, populos delet, provincias ad solitudinem redigit. (Idem de ira Dei cap. V.)

Cupido autem et expetentei et lubidinoso et volutabundo in voluptatibus. (Nonius v. *Volutabundus* p. 491. ex Cic. l. II. de Rep.)

Tres sunt affectus, qui hominés in omnia facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido. Ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. (Lact. Inst. VI, 19.)

Quartaque anxsitudo prona ad luctum et maerens, semperque ipsa se sollicitans. (Nonius v. *anxitudo* p. 72. ex Cic. l. II. de Rep.)

Esse autem angores, sei miseria afflictas atque abiectas

Cupido etc.] Hoc fragmentum Maius ed. alt. post septimum collocavit.

lubidinoso] Nonnulli *lib.* V. ad I, 9. p. 36.

voluptatibus] Edd. Bas. *voluntatibus*, insulse.

Tres sunt etc.] Hunc locum ex Cicerone probabiliter, quamvis non ad verba fortasse expressum, ex nota, qua Maius posuerat atque etiamnunc ponit, cum Orellio et Nobbio corpori contextus immisi. Conferendus cum hoc alius, qui ex eodem fonte promanasse videtur, locus Lactantii Epitom. c. 61, a Maio in ed. alt. adiectus atque in contextum post fragmentum nonum susceptus: *Tres affectus vel, ut ita dicam, tres furiae sunt, quae in animis hominum tantas perturbationes cient; et interdum cogunt ita delinquere, ut nec famae nec periculi sui respectum habere permittant: ira, quae vindictam cupit; avaritia, quae desiderat opes; libido, quae adpetit voluptates. His vitiis ante omnia resistendum est, ut virtutes inseri possint. Hos adfectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant.*

anxsitudo] Vulgo *anxitudo*.

Esse autem angores etc.] Ut integrum hunc locum censeam mihi non

timiditate et ignavia. (Idem v. *timor* p. 228. ex Cic. l. II. de Rep.)

Ut auriga indoctus ex curru trahitur, opteritur, elidi-

persuadeo. Nihil vero audacius quam ingenium in tali frusto redintegrando experiri: quae in causa fuisse videntur, quod editores intactum prorsus reliquerint. Audiamus interim Ottonem, acute ita disputantem „Lege *esse autem angores, esse miserias, esse afflictas atque abiectas timiditates et ignavias.* Saepe plurales numeri abstractorum quibusdam viris doctis offensioni fuerunt, ut Orellio, qui ad Parad. §. 18 haec scribit: „voc. *metus* vix alibi plurali numero apud Ciceronem reperitur.“ Tu vero cfr. Tusc. 4, 9, 22. 5, 6, 16. de har. resp. §. 55. Partit. or. §. 32. 67. Fin. I, §. 41. 59. de Div. 2, §. 150. ad Fam. 5, 15, 5. de off. III, §. 84. pr. Sest. 16, 36. de rep. IV fragm. 30. pr. Cael. 15, 36. Vides, quantum sit tribuendum talibus iudiciis, quae e Nizolio scilicet hausta sunt, qui multos locos vel sciens vel imprudens praetermisit. Pluralis *angores* legitur de Off. I, §. 73. II, §. 2. III, §. 84. Tusc, V, 1, 3. Fin, I, §. 67. II Phil. 15, 37. *timiditates* pr. Mil. 26, 69. *ignavias* non inveni, sed casus dominatur. *tarditates* inveniuntur Tim. c. 9. Off. I. §. 131.“ Moserus: „Edd. Frgmm. Cic. *esse miseria.* Lamb. dedit *angore* et *miseria.*“

afflictas] Edd. Bas. Nonii *adfictas*, sine sensu. Immo vero *adfectas.*

atque] *Atque* habent duae editiones et codd. mss; at parisiaca ed. *aut.* Maivs. Hoc edd. Bas. Mox vulgo *e* pro *ex.*

opteritur] Haec est elegans et verissima Laurentii Bindandi foroliviensis in Nonio emendatio, ut adnotavit Oriolius. Eandem excogitavit etiam cl. Heinrichius; quum vulgo scribatur *operitur.* Sic apud interpretem vaticanum ad or. pro Flacco I, 1 mendose *operantur* pro *opterantur.* Maivs ed. alt. Quod Heinrichii commentum, quo manus auctoris restituitur, mirum effugisse diligentiam Orellii, Nobbii, Moseri, qui cum Steinack. ex Codice *operitur.* Lamb. *deripitur*, alii *opprimitur*, monente Mosero. De verbi *obterendi* usu adi Forcellinium, ex quo unum exemplum, quo item cum *elidere* iungitur, excitabo, Liv. XLIV, 42: *Elephanti — exeuntes obterebant elidebantque.* Atque ea ipsa littera *p* a Cod. suppeditata eo magis de veritate huius lectionis nobis persuadet, quo certius est, ante litt. *t* antiquos *b* tam in composita quam in simplice voce in *p* mutare solitos esse, quemadmodum, ut unum afferam exemplum, a *nubendo* factum *nuptiae*, in quo verbo *p* ante *t* mitius esse quam *b* adnotavit Placidus Glossis in Maii Auct. cl. T. III. p. 487. Cuius litterae *p* mutatae exempla congessimus Syllog. inscr. p. 584 et Allg. Schulzeit. 1831. No. 22. p. 176. 1833. No. 84. p. 667. 1839. No. 8. p. 57. (No. 82). His adde OPTINEBIT ap. Grut. p. 203 et 503. OPTINENT So. anno Chr. 78 incisum ibid. p. 503. OPTINVIT in lapide ap. Pontanum de aspiratione II. p. 39. b. aliaque sat multa eius formae exempla in Lege de scribis etc. ed. Goettling. Eandem verbi *obtinendi* similiterque compositorum formam passim in Cod. librorum de rep. repertam (v. II, 32) iam Niebuhrius Consp. orthogr. sibi probari monuerat, ab editoribus posterioribus temere spretus. Revocavi igitur eam codicibus adiuvantibus VI, 2 et 17, ubi v. not., etiam aliis multis locis Ciceronis ab optimis libris suppeditatam, veluti a Vaticano saec. XII scripto, qui Philippicas complectitur, de quo nuper disseruit Deycks De Ciceronis Philippicarum cod. Vat., Monasterii 1844. p. 15. *Suptilis* Cod. Ciceronis ap. Peyron Cic. fragm. p. 130, iam notatum Heusingero ad Off. p. 12, nunc etiam allatum ex optimo cod. Paris. ab Halmio in Or. pro Sextio p. 321, ubi etiam exstat *optingit.* Item *suptilis* Codd. Vatic. or. pro Fonteio et pro Flacco, notante et probante Nie-

tur, eliditur. (Nonius v. *elidere* p. 292. ex Cic. l. II. de Rep.)

Concitationes animorum iuncto currui similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit: quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet: si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per praecipitia labetur, aut certe, quo non est opus, deferetur. (Lact. Inst. VI, 17.)

buhrio p. 110: iidem etiam *opseurus*. Ac melioris notae codices, ubi diligenter excutiuntur, non alias scripturas offerunt, veluti V. C. Plauti, v. c. in Stich. I, 2, 57 *opturent*. In Nepotis Themist. 10 Voss. 2 et Ax. *optinenda*, quod ipsum propter huius formae auctoritatem vulgato *opprimenda* praeferendum videtur Quid? quod etiam Quintiliano eandem scribendi rationem vindicare studuit Meyerus ed. suae T. I. p. 17. Cf. Alschefski ad Livii XXX. p. XCVIII. Grammatico inc. in Maii Auct. cl. T. VI. p. 581, qui *scribtura* exarandum praecipit, non irascendum, quippe scribendi consuetudinem sua ipsius aetate usu receptam barbaram defendenti, iam repertam in titulo a. 211 p. Chr. inciso ap. Reinesium p. 486. Addo denique, quod pro *ob* praepositione Osci *op* vel *up* dixerunt, teste Mommsen in Savigny Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. Vol. XIII. p. 117. Eadem litterae *b* commutatio ante *s* accidit. OPSIGNETVR Legis fragm. ap. Grut. p. 508. SVPSIGNET aliud ibid. p. 512. SVPSIGNATO, aliud ap. Mabillon de diplom. p. 345. APSOLVTVS, aliud ap. Grut. p. 509, et pluries quidem. SVPSTITVTA Inscr. in Ritteri Elem. gramm. Lat. p. 95. 96. OPSTRVENDORVM alia ap. Romanelli Viaggio a Pompei T. I. p. 163. OPSTRVITO Legis fragm. ap. Grut. p. 207. Plura id genus ex codd. collecta exempla suppeditat Maius ad Frontonem p. 411. Easdem formas Ciceroni passim vindicat Cod. Mediceus Ep. ad fam., ubi v. c. exstat VI, 26, 2 *opsignare*; II, 1, 2 *opsecrare optestarique*, ad quem locum Del Furia adnotavit: „sic semper in huiusmodi vocibus." Adiice *opscure*, *apsorbeo*, *aps*, *opsidiise* notata ex optimis codd. Halmio l. l.; adiice denique ex toto hoc genere quae in Gruteri Indice grammat. p. XCII notantur: *hiemps*, *apsens*, *apsolutum*, *apstinenti*, *apstulit*, *apsumptum*, *opsides*, *opstetrix*, *optinuit*, *pleps* (adde lapidem in Avellinii Bul. arch. Napol. I. p. 61), *supsicivom*, *supsignent*. Pertinet huc quoque *urps*, de quo dixi ... Quid igitur? Nonne etiam hae formae Ciceroni reddendae videbuntur cum tot aliis immerito adhuc spretis? — Ceterum ex hoc Ciceronis fragmento indubie colorem duxit locus hic Liberii papae in oratione apud Ambros. de off. III, 1, quem Maius ed. alt. admovit et statim post fragm 8. (*Ut auriga* etc.) contextui inseruit: *nam qui moderari nescit cupiditatibus, is sicut equis raptatus indomitis volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Quo collato simul de emendatione *opteritur* omnis tollitur dubitatio. Praeterea cum loci sententia Maius ed. alt. confert Isocratem ad Demonicum ff. 23 et illa Virgilii:

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

laniatur, eliditur] Ita ex Codd. Edd. Bas. Vulgo *eliditur, laniatur*. Receptam lectionem aliquantillum firmat comparatio loci ex Liberio papa modo adducti.

Concitationes etc.] Locum hunc a Lactantio vel sumi vel potius interpolari ex Tullio, docuit me praecedens Nonii auctoritas. Imitatur autem eundem locum Hieronymus adv. Iovian. cap. X. MAIVS ed. alt.

p. 25 **XLII. 69.** ***dicei possit. Tum Laelius: Video iam illum, quem exspectabam, virum quoi praeficias officio et munerei. Huic scilicet, Africanus, unei paene: nam in hoc fere uno sunt cetera, ut numquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat; ut ad imitationem suei vocet alios; ut sese splendore animei et vitae suae sicut speculum praebeat civibus. „Ut enim in p. 26 „fidibus aut | tibieis, atque ut in cantu ipso ac vocibus „concentus est quidam tenendus ex distincteis soneis, „quem inmutatum aut discrepantem aures eruditae ferre „non possunt; isque concentus ex dissimillumarum vo„cum moderatione concors tamen efficitur et congruens: „seic ex summeis et infumeis et medieis interiecteis

videor] Cod. *videor* bis; sed alterum deinde expunctum. Si retineretur, fieret quaedam emphasis. Maivs. Geminavit Heinr. Sed emphasi nullus hic locus: diversae rationis est *te te infelicem* I, 38.

exspectabam] Ex Cod. Maius *expectabam*.

quoi] Vulgo *cui*.

Africanus] Subintellige *inquit*. Maivs.

discedat] Cod. *discendant* sine ulla, ut videtur, emendatione. Maivs.

fidibus] Hunc locum reapse spectare ad secundi libri finem, praeclare testatur Augustinus C. D. II, 21 his verbis: *eum Scipio in secundi libri fine dixisset, ut in fidibus ac tibiis*, et reliqua prolixiora quam in mutilo codice servantur. Porro Tullii hunc locum aperte imitatur politicus graecus vaticanus in quinti libri fragmentis, coll. vat. T. II. p. 603. Eadem autem fidium similitudine utitur Lactantius de opif. D. cap. XVI. Maivs ed. alt.

aut] Augustin. *ac*. Maivs.

ut] Omittit Augustinus.

inmutatum] Cod. *inmutantum;* sed *n* posterior expuncta. Coeperat nimirum scribi *inmutantem*. Maivs. Ceteri omnes *immutatum*.

dissimillumarum] Vulgo *dissimillimarum* et mox *infimis*.

et infumeis et medieis] In Frobeniana Augustini ed. a. 1528 scribitur perperam *et mediis et infimis*.

medieis interiecteis] Maius ob Codicis auctoritatem *et* interponit, ita in alt. ed. scribens: „Augustinus sine *et*, etiam in codicibus, quos inspexi, vaticanis. Sed codex de rep. tullianus habet *et*." Recte vero deleverunt Steinack. Heinr. Orellius et Moserus, in primis hic de hoc loco consulendus, qui bene demonstravit medios hic et interiectos ordines distingui non posse compositionemque utriusque vocis sine copula exemplo insuper probavit ex Philipp. 5, 10. Ceterum totus hic locus valde eo memorabilis, quod hic equidem reperire mihi videor eius doctrinae musicae vestigium indubium, quae in harmonia per iustam sonorum dissimilium coniunctionem efficienda consistit, quaeque hodie ab artis musicae magistris Contrapunkt appellatur: quam quum nonnulli fuissent qui veteribus cognitam negarent, Ciceronis certe aetate, et quidni

„ordinibus, ut soneis, moderata ratione civitas con-“ sensu dissimillumorum concinit: et quae harmonia a musiceis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissumum atque optumum in omnei re publica vinculum incolumitatis; eaque sine iustitia nullo pacto esse potest. (Haec et sequentia refert ex Cic. l. II. de Rep. Augustin. C. D. II, 21. Tom. V. p. 131.)

XLIII. *Ac deinde quum aliquanto latius et uberius disseruisset (Scipio), quantum prodesset iustitia civitati, quantumque obesset, si afuisset: suscepit deinde Philus, unus eorum, qui disputationi aderant, et poposcit, ut haec ipsa quaestio diligentius tractaretur, ac de iustitia plura dicerentur, propter illud, quod iam vulgo ferebatur, rem publicam geri sine iniuria non posse.* (Idem ibid.)

Claret ergo quoniam et aequitas imperia confirmet, et iustitia dissolvat, quae ne unam quidem privatam potest regere familiam. (S. Ambrosius de Off. II, 19.)

etiam prius, in musica eam adhibitam fuisse, hic locus testari videtur. Atque idem memini docere ex Macrobio. Andream Mayer Della lingua commune d'Italia, Venetiis 1822: quem librum inspicere nunc non licet.

consensu] In media voce Codex Vat. desinit: cetera sunt ex Augustino.

dissimillumorum] Vulgo *dissimillimorum*, ut etiam mox *arctissimum* et *optimum*.

in omnei re publica] Frobeniana *omni in re publ.*

incolumitatis] Codd. *incolomitatis*.

eaque] Heinr. *quae*, de coniectura non mala, nec tamen necessaria.

deinde etc.] Vere monuit Steinackerus in Add. omnia haec Augustini potius esse, secundi de rep. libri ordinem enarrantis, quam ipsius Ciceronis.

afuisset] Ita Augustini codex quidam antiquissimus vat.; ast edd. et alii codices *abfuisset*. Maivs. Hoc expresserunt Nobb. Orell. et Zell. Illud vero tanto minus spernendum quanto certius est, Romanos litteram *b* ante aspiratam vitasse, ita ut vel in *f* vel in *u* (ut in *aufero* et *aufugio*) mutarent, vel plane abiicerent. Hinc AFVTVRVM lapis Domitiano imp. incisus in Bull. dell' inst. archeol. 1835. p. 153. Eandem scripturam *afui*, *afuturus* commendat Ciceronique vindicat Freundius ad Milon. p. 26. Item *afuisse* Cod. Frontonis p. 95 ed. Rom. De altero mutationis genere vide ipsum Cic. Or. 47, 158 et quae eo de loco disseruit idem Freundius Lexikal. Scholien p. LIX, quibus addendus Incert. gramm. in Eichenfeldii Anal. Gramm. p. 149.

Philus] Maius *Pilus*.

geri] Alia Augustini exemplaria heic et inferius habent *regi*; alia *geri*: quam eandem varietatem vidimus in nostro quoque codice de rep. II, 12. Legitur *geri* etiam lib. III. fin. et in eiusdem libri epitome, non tamen sine varietate. Maivs ed. alt.

Claret etc.] Quoniam in superiore fragmento adfirmat Augustinus Scipionem hoc loco paulo latius de utilitate iustitiae disputavisse, idcirco Ambrosii verba heic collocavi: quandoquidem ab Ambrosio lectum

p. 9 **XLIV. 70. ***plenam esse iustitiae. Tum Scipio: Adsentior vero, renuntioque vobeis, nihil esse, quod adhuc de re publica dictum putemus, aut quo possimus longius progredei, nisei erit confirmatum, non modo falsum illud esse, sine iniuria non posse, sed hoc verissumum esse, sine summa iustitia rem publicam ge-**
p. 10 **rei nullo modo posse. Sed, sei placet,| in hunc diem hactenus. Reliqua (satis enim multa restant) differamus in crastinum. Quom ita placuisset, finis disputandei in eum diem factus est.**

fuisse Ciceronis de rep. opus alibi demonstravi. Fortasse tamen aliquis malet frustum hoc in oratione Laelii pro iustitia ponere, quae recitatur lib. III. MAIVS ed. alt. Abest hoc fragmentum hoc in loco a superioribus edd.

adsentior] Ita ex Cod. Maius. Praeter Steinack. omnes *ass.*

putemus] Imitatur hunc Tullii locum politicus graecus coll. vat. tom. II. p. 596. MAIVS ed. alt.

aut] Augustinus C. D. II, 21 *et.*

illud] *Illud* superadditur in codice; et bene habet, confirmatur enim ab Augustino, qui tamen scribit *esse illud.* MAIVS.

sed] Ex Cod. Maius *set.* Item mox.

verissumum] Vulgo *verissimum.*

gerei nullo modo posse] Libere Augustinus *geri non posse.* MAIVS.

Quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum.*

factus est] Hanc secundi libri clausulam historice refert Augustinus loco superius citato C. D. II, 21: *hanc proinde quaestionem* (de iustitia) *discutiendam et enodandam esse assensus est Scipio, responditque nihil esse quod adhuc de re publica dictum putaret, et quo possent longius progredi, nisi esset confirmatum, non modo falsum esse illud, sine iniuria non posse; sed hoc verissimum esse, sine summa iustitia rem publicam geri non posse. Cuius quaestionis explicatio cum in diem consequentem dilata esset* etc. MAIVS. Subiiciuntur in Codice:

·M· TVLLI CICERONIS
DE RE PVBLICA
LIBER II EXPLICIT
INCIPIT LIBER III.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

LIBER III.

PRAEFATIO.

Principium deest in cod. Vat. cum ipso titulo libri tertii. Cui qui a Maio ob foliorum Vaticanorum cum extremo libro II. cohaerentiam accensetur praeclarus (cf. Cic. de Legg. I, 9.) de mente humana locus, disputationi de iustitia prooemii caussa praemissus, idem a Lactantio (de Opif. Dei c. 1.) ad quartum librum refertur. Maiorem autem in modum confirmat Maii sententiam libri III. summarium, quod adiunxi, ab Augustino de Civ. Dei II, 21. proditum. Nam si verum est, quod Vaticanus ille Tullianae dictionis investigator quum ex aliis Lactantii locis, tum maxime ex Inst. l. III. extr. conatus est ostendere, Cicero huic libro prooemium praemisit huiuscemodi: hominem ea lege natum esse, ut ratione, qua sola a ceteris animantibus differat, studiose exculta sapientiae beneficio fruatur et iustitiae. Ita Cicero, antequam de iustitia disputaret, de qua libro III. egisse apud Augustinum dicitur, facile potuit de mente humana disserere, ut quae sit una capax iustitiae. Nobbivs. *

ARGUMENTUM AUGUSTINI.

In tertio libro magna conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent sine iniustitia regi non posse rem publicam; purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedulo pro iniustitia contra iustitiam, ut hanc esse utilem rei publicae, illam vero inutilem, veri similibus rationibus et

*] Zachariae Staatswiss. Betracht. über Cicero's Werk vom Staate p. 209 contendit, hanc Maii sententiam, videlicet in prooemio sermonem fuisse de natura hominis, valde infringi locis ipsis, quos laudat Maius, Cic. de legg. I, 9 et Lactant. de opif. dei l. Moservs.

exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius, rogantibus omnibus, iustitiam defendere aggressus est, asseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam iniustitiam civitati, nec omnino, nisi magna iustitia, geri aut stare posse rem publicam. Qua quaestione, quantum satis visum est, pertractata, Scipio ad intermissa revertitur; recolitque suam atque commendat brevem rei publicae definitionem, qua dixerat eam esse rem populi: populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde, quanta sit in disputando definitionis utilitas: atque ex illis suis definitionibus colligit, tunc esse rem publicam, id est rem populi, quum bene ac iuste geritur, sive ab uno Rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Quum vero iniustus est Rex, quem tyrannum, more Graeco, appellavit; aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret; non iam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus conexa docuisset, omnino nullam esse rem publicam: quoniam non esset res populi, quum tyrannus eam factiove capesseret; nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniam non esset multitudo iuris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus.

I. 1. *In libro tertio de re publica Tullius hominem dicit non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in*

aggressus est, asseruitque] Ed. Froben. *aggressus asseruit.*

conexa] Ita antiquior cod. *n* pro *nn*; quae est bona scriptura, et aliis exemplis confirmata. Recole similem scripturam p. 216 [ed II, 37, ubi v. not. de *conubium*] Maivs ed. alt. Cf. Wagneri Orthogr. Vergil. p. 459. *Conexis* Cod. Festi p. 335 Müll. Vulgo *connexa*.

In libro etc.] Haec quae primum libri caput fecit fragmenta Maius omiserunt Heinr. et St. Sed Villem. ea infra contextum reiecit. Moservs. Ceterum hunc Augustini locum, quo Maius principium huius libri ornavit, pariter suum fecit Anonymus commentario in Boethium, quem nuper edidit Maius Auct. class. T. III. p. 342: cuius verba, licet potius ex Augustini, teste Maio, quam ex ipso Ciceronis opere transumpta videantur, quod ut concedamus haudquaquam necesse est, quum aliquas scripturae discrepantias offerant, hic describere iuvat. Commentator vero ille: „ut ait Cicero, ait, in libris de re publica: *videri sibi hominem a natura non ut a matre, sed ut a noverca generatum, corpore nudo, fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quibus esset velut obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis.*“ Unum adiicio, his confirmari aliquantulum mihi videri coniecturam meam iam olim factam, in Augustino vocem *natura*, cuius permolesta sedes est, glossae deberi.

vitam, corpore nudo, fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis. (Augustinus contra Iulianum Pelag. IV, 12. Tom. VII. p. 1048. ed. Basil.)

2. *Homo quum fragilis imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est; et ea omnia, quae firmiora nascuntur, etiamsi vim caeli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quam natura mutis; quoniam in illis nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimantur a nobis, aut nostrae subiecta sint potestati* etc. *Plato naturae gratias egit, quod homo natus esset* etc. (Lactant. de opificio Dei c. 3.)***

(Desiderantur paginae nec minus quatuor nec plus octo. Maivs.)

II. 3. *** et vehiculeis tarditatei: eademque quom p. 3
accepisset homines inconditeis vocibus incohatum quiddam et confusum sonanteis, incidit has et distinxsit in parteis, et ut signa quaedam, seic verba rebus inpres-

mentis.] Post hoc fragmentum inseruit Heinr. id, quod posuit Maius ad calcem libri primi ex Lactant. Inst. III, 16. Utrumque vero ad calcem libri huius reiecit post epitomen libri tertii ex Augustino C. D. II, 21, quae apud Maium excipit librum secundum. Moservs.

potestati] Sic Mamertinus in geneth. Maximiani cap. XIX: *illa quae videtur omnium rerum domina esse sapientia.* Ciceronem imitatur Dio Cassius in Curtii morituri adornanda oratione coll. vat. T. II. p. 533. Maivs ed. alt.

tarditatei] Locum sarcit Cicero N. D. II, 60: *efficimus domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis adfert vim et celeritatem.* Maivs. Hinc idem mutilum capitis initium nunc hunc in modum supplevit inque contextum suscepit: ... *quadrupedum vi mens seu ratio consuluit hominum debilitati, et vehiculis* etc.

eademque] Sapientia, de qua dicit prorsus similia huic loco Cicero leg. I, 7. 8. 9. Maivs ed. alt.

quom] Ex Cod. Maius aliique *cum*; alii *quum*.

incohatum] Ita videtur emendatus codex signis appositis 2 manu (vide lib. I, 35); at 1 manus scripserat *inchoatum*. Maivs. Edd. *inchoatum*. V. ad I, 34.

sonanteis] Ex Cod. Maius *sonantis*. Edd. *sonantes*. Eadem scripturae ratio mox in *parteis*.

incidit] Cod. 1 m. *incidid*.

distinxsit] Schütz. *distraxit*, pessime: neque illud improprie a Cicerone dictum, ut putabat Moserus, quum *distrahere in partes*, quod ex Cicerone *affert*, aliud quiddam sonet.

et] Cod. 1 manu *e*; 2 *ed*. Maivs.

sit, hominesque, antea dissociatos, iucundissumo inter se sermonis vinclo conligavit. A similei' etiam mente, vocis quei videbantur infinitei sonei, pauceis noteis in-
p. 4 venteis, | sunt omnes signatei et expressei, quibus et conloquia cum apsentibus et indicia voluntatum, et monumenta rerum praeteritarum tenerentur. Accessit eo numerus, res quom ad vitam necessaria, tum una inmutabilis et aeterna: quae prima inpulit etiam ut suspiceremus in caelum, nec frustra siderum motus intueremur, dinumerationibusque noctium ac die*rum****

(Desiderari videntur paginae nec minus octo nec plus decem. MAIVS.)

p. 207 **III. 4.** ***quorum animei altius se extulerunt, et

inpressit] Ita Maius ex Cod.; Edd. *impr.*

iucundissumo] Vulgo *iucundissimo.*

vinclo] Cod. 2 m. *vinculo*, quod expresserunt praeter Maium omnes. V. ad I, 26.

conligavit] Lege Diodorum siculum I, 8. MAIVS. ed. alt. Edd. *coll.*

inventeis] Litterarum inventores vulgo creduntur Phoenices; idque libenter, ut puto, sibi persuadent nuperi homines, qui quum demoticum Aegyptiorum alphabetum valde conspirare cum phoenicio videant, Phoenicas Aegyptiorum magistros scribendi dicunt. Sed en Taciti historici locum, ex quo contrariam sententiam eruere licet, annal. XI, 14: *primi per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant* (ergo hieroglyphica scriptura antiquior est quam demotica) *et antiquissima monimenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur, et LITTERARVM SEMET INVENTORES perhibent: inde Phoenicas, quia mari praepollebant, infulisse Graeciae, gloriamque adeptos, tamquam reppererint quae acceperant.* Videsis etiam Diodorum siculum I, 69. Ceteroquin Hieronymus ep. CVIII, 14 observat proximas Palaestinae *quinque Aegypti civitates fuisse quae loquebantur lingua Chananitide.* En cur saxum carpentoractense lingua phoenicia scriptum sit, quamquam figurae ritusque ibi expressi aegyptiaci sint. MAIVS ed. alt.

conloquia] Edd. *coll.*

apsentibus] Vulgo *absentibus.*

voluntatum] Ita cod. 2 manu; at 1 *voluntatum*, ut etiam alibi. MAIVS.

quom] Ex Cod. Maius *cum*: hoc alii, alii *quum.*

una] *Una* in codice superadditur. MAIVS.

inmutabilis] Ita ex Cod. Maius: Edd. *imm.*

inpulit] Edd. *imp.* Illud Maius ex Cod.

die*rum****] Cicero N. D. II, 61: *hominum ratio in caelum usque penetravit: nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus; ab hominum genere finitus est dies, mensis* etc. *quae contuens animus accedit ad cognitionem deorum; ex qua oritur pietas, cui coniuncta iustitia est.* Haec fere docent quid hoc codicis loco desideremus, et qua ratione Cicero ad dicendum de iustitia aditum sibi patefecerit. MAIVS.

se extulerunt] Locutione hac utitur Lactantius inst. V, 18 et 22.

aliquid dignum dono, ut ante dixsei, deorum aut efficere aut excogitare potuerunt. Quare sint nobeis istei, quei de ratione vivendei disserunt, magnei homines, ut sunt; sint eruditei; sint veritatis et virtutis magistrei: dummodo sit haec quaedam, sive a vireis in rerum publicarum varietate versateis inventa, sive etiam in istorum otio ac littereis tractata res, sicut est, minume | quidem contemnenda, ratio civilis et disciplina p. 208
populorum; quae perficit in boneis ingenieis, id quod iam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret. 5. Quod sei quis ad ea instrumenta animei, quae natura, quaeque civilibus institueis habuit, adiungendam sibei etiam doctrinam et uberiorem rerum cognitionem putavit, ut ei ipsei, quei in horum librorum disputatione versantur, nemo est, quein eos | anteferre omnibus debeat. Quid enim potest esse p. 201
praeclarius, quam quom rerum magnarum tractatio atque usus cum illarum artium studieis et cognitione coniungitur? Aut quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitarei potest? quei, ne quid praetermitterent, quod ad summam laudem clarorum virorum pertineret, ad domesticum maiorumque

Maivs. Plura dabit Enderleinius Comm. II de cod. Bambergensi Quintiliani p. 13.

ut ante dixsei] Periit id dictum; vel potius a Lactantio inst. III, 14 servatum est: *ille idem perfectus orator, idem summus philosophus* (Tullius) *ipsam sapientiam, quam alias donum, alias inventum deorum vocat, poetice figuratam laudat in faciem.* Maivs.

minume] Vulgo *minime.*

exsisteret] Cod. *exsisteteret.*

ei] Vox *ii* concluditur in cod. puncto utrimque ut separetur a reliquis. Maivs.

quom] Ex Cod. Maius *qum*, de qua forma vid. Excurs. VI. Edd. *quum*, vel *cum*. Item etiam mox.

Philo] Maius ex Cod. *Pilo*, ut semper.

potest] Idem Cicero de or. II, 37: *non tulit ullos haec civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio* (Pilo). Similiter de his triumviris loquitur pro Arch. VII et de inv. I, 3. Maivs ed. alt.

domesticum] Ex Cod. Maius *domesticorum*. Moserus: Quis h. l. *morem domesticorum* concoquat? Opponitur *adventicia doctrina* mori

p. 202 **morem etiam hanc a Socrate adventitiam doc|trinam adhibuerunt. 6. Quare quei utrumque voluit et potuit, id est, ut quom maiorum instituteis, tum doctrina se instrueret, ad laudem hunc omnia consecutum puto. Sein alterast utra via prudentiae deligenda, tamen etiam-**

maiorum et patrio i. e. domestico, neque vero eorum hominum mori, qui erant Scipioni, Laelio et Philo domestici, *ciuetos*, familiares. Laudat Maius Tusc. IV, 3, ubi est *sapientiae studium vetus id quidem* etc. eoque loco sibi consonare Tullium alt. Imo vero, ut re vera sibi consonet Tullius, scribe nostro loco: *ad domesticum maiorumque morem*. Ita dixit eodem sensu de Off. II, 8, 26. *Externa libentius in tali re, quam domestica, vecordor*: ubi *externa* opponuntur *domesticis*, ut nostro loco doctrina *adventicia* mori *domestico*. Quod h. l. dicit *morem domesticum*, Or. pro Rosc. Amer. 6, 15 similiter dixit *domesticus usus et consuetudo*. Nunc Heinrichium in eadem, qua ego, esse sententia, certe eodem, quo ego, modo correxisse locum video." Ceteri edd. praeter Zellium Codicem secuti sunt.

hanc] *Hanc* superadditur. MAIVS.

adventitiam] Ex Cod. Maius *adventiciam*. Cum Orell. et Nobb. *adventitiam* scripsi. Mihi quidem persuasum est, eius classis adiectivorum, quae a participio perfecti formata sunt, qualia sunt *subditicius*, *adventicius*, scripturam vulgo per c exhibitam non esse antiquam, sed recentiore demum aetate natam inque usum non ante receptam, quam *ti* sequente vocali sono litt. z. pronuntiari coeptum esset. Cf. Schneideri Gr. lat. I, 1. p. 247. 356, cui eius pronuntiandi moris certum testimonium ante saec. VII desiderari tradenti respondendum, eam consuetudinem iam multo ante, et quarto quidem iam saeculo, in usu fuisse, documentis idoneis demonstrari posse. V. Iahnii Jahrb. 1835. T. XIII, 2. p. 286. In lapide valde recenti atque in provincia inscripto ap. Grut. p. 87, 12 exstat RELICTICIVS. Abbo Floriacensis, qui vixit saec. X, Quaest. gramm. in Maii Auct. cl. T. V. p. 338, de litt. c loquens: „nunc autem cum quodam sibilo, ac si *s* illi haereat, ut *cuius* [l. *civis*, vel *cibus*], *coepit*: quod magis solet fieri, ubi *t* profertur sono *z* in principio syllabae, ut *laetitia*, *iustitia*." Cf. et p. 340 et nobis notata ad VI, 9 *potius*.

alterast utra] Num est tmesis pro *alterutra sit*? An simul est metathesis pro *alterutra st*? In codice fit pausa post *sin*. MAIVS. Quod est in Cod. *aliter sit utra* [hoc Maius exhibuit] neminem laturum esse existimabam, et ita statim legendum esse conieci, ut rescripsi [*sin alterutra sit*]; quod fecerunt item Heinr. et Stein. [nunc etiam Nobb. Orell. et Zell.]. Sed Lehn. mirae Maii notae hanc annexit non minus miram: „Equidem concisam hanc loquendi rationem sic explicaverim: *Sin vero aliter sit et utra* (i. e. alterutra) *via prudentiae deligenda sit* etc. Sic certe quorundam opinio confirmatur magis, *uter* pro *alteruter* poni posse." Ego vero Codicis lectionem a Cicerone esse profectam nunquam credam, neque eam loquendi rationem concisam, sed contortam et probo scriptore, nedum Cicerone, indignam censeo. Sch. propius ad Codicis scriptionem dedit *altera sit utra*, quod ipse iam in schedis conieceram, sed dubitans, utrum Ciceronianum sit *altera utra*, quamvis Priscianus p. 242 ed. Krehl. (p. 693 ed. Putsch.) dicat: „Inveniuntur tamen *altera utra* et *alterum utrum* protulisse veteres" laudetque ex Ciceronis Protagora *alterius utrius*. Servavit etiam Martiny-Laguna in Epp. ad fam. VI. 1 *si mihi alterutrum*, ubi Cortius dedit *alterum*

sei quoi videbitur illa in optumeis studieis et artibus quieta vitae ratio beatior, haec civilis laudabilior est certe et inlustrior: ex qua vita seic summei virei ornantur, ut vel M' Curius,

quem nemo ferro potuit superare nec auro;

vel * * *

utrum. Dubitabam item, utrum Cicero, etiamsi dixisset *altera utra*, interpositurus fuisset *sit.* Mosravs. Madvig. ad Fin. p. 448 recte legit *altera st utra.* Notandum etiam quod duplex declinatio usitatior est Ciceroni, quam elisio, ut declinetur *alter-uter*, G. *alterius utrius, altera utra* etc. Sic enim ubique, ubi ex optimis codd. notatur varietas. Sic est ad fam. IV, 4, 3. VI, 1, 5. 3, 2. Cael. VIII, 6, 2. 8, 9. IX, 6, 3. ad Att. IX, 7, 2. X, 1, 2. 10, 1. Fat. §. 21. 29. Fragm. p. 471. n. 2. *Altero utro* Brut. §. 143 e codd. Lagomars., de qua re egit Ellendt in cens. quadam Cic. librorum de Orat. Allg. Litt. 1840. Contra *alteruter* est Acad. II, §. 92. ad Q. Fr. III, 4, 3. *alterutri* de Or. II, §. 30. Analogia est *respublica, rosmarinum* etc. Otto. Adde Div. in Caec. 18, 58. Dedi quod pridem mihi legendum visum quodque a Madvigio confirmatum video: quod si recte factum est, quum iam pateat, pro duobus vocibus istam loquelam Ciceronem habuisse, simul etiam hoc patere videtur, Ciceronem vix aliter ea uti potuisse, quam utroque eius formulae membro legitimum in modum flexo; id quod etiam Priscianus l. l. suadere videtur, veteres eos, quos nos antiquos appellare solemus, appellans.

etiamsei quoi] Maius *etiam sioui*, sensu adversante. Plurimi *etiamsi cui.*

optumeis] Vulgo *optimis.*

inlustrior] Sic idem Cicero off. I, 6: *Virtutis laus omnis in actione consistit.* Tum cap. 7: *Non nobis solis nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat* etc. Sed contra fere ad Att. II, 5 vitae quies laudatur, actio civilis inanis dicitur. Maivs. Ex Cod. Maius *inl.*; ceteri omnes *ill.*

M'] Cod. mendose *·M·* id est *Mareus* pro *M'* id est *Manius.* Maivs. Cf. Gerhard ad Cic. de sen. 21. p. 79. Ceterum nomen *Manius* origine Etruscum fuisse, colligitur ex mentione Manii cuiusdam haruspicis apud Zonaram VIII, 1: constat enim haruspices quosque natione Etruscos fuisse. Sabinis oriundus Manius Curius dicitur Scholiastae Ciceronis pro Sylla 7 in Maii Auct. class. T. II. p. 258.

quem nemo etc.] Esse Ennii versum bene monuit Maius, nunc etiam Annalium libro VI insertum a Spangenbergio p. 87, conferendum cum iis, quae apud eundem poetam Fabricius dicit p. 83 Spang.

nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.

vel * * *] Sequentibus amissis paginis videtur Cicero persecutus, partim saltem, laudes romanorum bello togaque praestantium. Et quidem quum in suprascriptis fiat mentio Curii, et mox sine dubio in lacuna Fabricii atque Coruncanii, belli epirensis heroum, videbatur huius folii materia valde cohaerere cum illa, quae prima est in meo volumine, ubi scilicet laudantur viri primo bello punico illustres: bellum enim epirense consecuta est dimicatio cum Karthaginiensibus. Itaque his indiciis commotus, dixi p. 2 in notis, fore ut alio loco de ista lacuna loquerer. Illud etiam accedebat nexus indicium, quod Cicero persaepe heroas belli epirensis coniunctim celebrat cum illis punici, ut pro Plan-

(Desiderari videntur paginae sex.)

p. 23 IV. 7. ***fuisse sapientiam: tamen hoc in ratione utriusque generis interfuit, quod illei verbeis et artibus aluerunt naturae principia, hei autem instituteis et legibus. Plureis vero haec tulit una civitas, sei minus sapienteis, quoniam id nomen illei tam restricte tenent; at certe summa laude dignos, quoniam sapientium praecepta et inventa coluerunt. Atque etiam, quod
p. 24 et sunt laudandae civitates et fuerunt, quo|niam id est in rerum natura longe maxsumei consilei, constituere eam rem publicam, quae possit esse diuturna: sei singulos numeremus in singulas, quanta iam reperiatur virorum excellentium multitudo! Quod sei aut Italiae

cio XXV, tusc. I, 46, N. D. II, 66, parad. I, de sen. XIII. Sed tamen ne ibi hoc folium collocarem, id me in primis deterruit, quod inter mentionem Curii et illam Duelii maius iusto spatium intercederet: quippe illud folium est quaternionis tertii secundum, hoc autem necessario fuisset secundi intimum; ex quo consequebatur ut paginis octo abesset a Duelio Curius, quod prorsus improbabile est ob aetatis viciniam. Praeterea libri primi folia in superiore margine inscriptam habent libri ipsius notam, tertii contra libri folia omnia libri nota carent; hoc autem folium reapse nota libri destituitur. Adde, quod tertius liber videtur ex alio exemplari ab eodem amanuense descriptus; variat enim interdum orthographia ab illa librorum priorum, cuius rei exemplum hoc ipso in folio vidimus, nempe *qum* pro *cum*. Laus quoque illa Scipionis, Laelii et Pili scribitur rectius in tertii libri prohoemio, notis iam dialogi personis, quam in operis exordio, nondum cognitis. Et quidem hi tres praecipue tertio in libro disputant. Denique hoc folium haud absurde inseri poterat in id, quod heic mox sequitur, ita ut esset intimum quaternionis XXVIII: quominus tamen id facerem, obstabat, quod quatuor exiguae, quae fuissent reliquae, paginae minime sufficere videbantur ei sermoni, qui Pili orationem praecedere debebat: nam et explendum erat prohoemium, et dicendum de secundi diei initio, et Fannius cum probabili causa a conventu submovendus: tum sermo personarum redintegrandus, tum rogandus Philus ut contra iustitiam dissereret, qui reapse codicis p. 21 eam spartam ornandam suscipit. Haec omnia in tam exiguo spatio membranarum concludi vix poterant. Itaque hoc folium praevertendum esse videbatur, ut feci. Maivs. Ceterum quod in lacuna hic a Nobbio ex Lactantio Iust. III, 16 fragmentum inseritur, id Maio duce cum aliis collocavimus ad calcem libri I, ubi v. notata.

Plureis] Ex Cod. Maius *pluris*, ut etiam mox idem *sapientis*. Edd. *plures* et *sapientes*. De scriptura v. ad I, 34 *civitatium*.

maxsumei] Vulgo *maximi*.

consilei] Maius ex Cod. cum ceteris edd. *consilii*.

multitudo!] Maius cum plerisque signum interrogationis.

Quod] *Quod* superadditur. Maivs.

Italiae Latium] Nota genitivum partis pro *Latium in Italia*, quae

Latium, aut eiusdem Sabinam aut Volscam gentem, sei Samnium, sei Etruriam, sei magnam illam Graeciam conlustrare animo voluerimus; sei deinde Assurios, sei Persas, sei Poenos, sei haec ***

(Desiderantur paginae duodecim.)

V. 8. * *advo*catei. Et Philus: Praeclaram vero** p. 21 **caussam ad me defertis, quom me improbitatis patrocinium suscipere voltis. Atquei id tibei, inquit Laelius, verendumst, sei ea dixseris, quae contra iustitiam**

quasi quaedam attractio videtur verborum *eiusdem gentem Sabinam* etc. Nam alia apud Ciceronem huius Graecismi quem dicunt exempla, ut *Θετταλία τῆς Ἑλλάδος* vel *τῆς Ἑλλάδος Θετταλία*, non memini, sed frequentia sunt apud posteriores scriptores Latinos, ut *Cydnus Locridis* Liv. XXVIII, 12. *Demetrium Phthiotidis*, XXVIII, 6, 7. *Phocidis Elatia*, XXVIII, 7, 3. *Triphylia terrae Elimiotidis* XXXII, 13, 2. *Cenaeum Euboeae* XXXVI, 20, 5. *Lychnidum Dassaretiorum* XLIII, 9. *Patara Lyciae*, *Laconicae Taenarum* Plin. H. N. II, 108 (s. 112). *Tyrus Asiae* IX, 36, 60. *Laconica Europae* XXV, 4. *Macedoniae Pella* XXXI, 3 extr. (28). *Lydiae Sardis* Alexandri Itiner. c. 24 ed. Francof. *Pergae Pamphyliae* ibid. c. 25. *Thessalus Ciliciae* ib. c. 26. *Thracum Chersonesus* Dict. Cret. II, 18. *Cretae Oaxes* Virg. Ecl. I, 66. *Piraeeus Atticae orae* Tacit. Ann. V, 16. Male tamen huc referunt Hist. II, 15. *Albigaunum interioris Liguriae*, quoniam ex *municipium* repetendum est *oppidum*, nisi hoc artificiosum putas. Otto.

Volscam] Ita cod. 2 manu; at 1 *bolscam*. Maivs.

conlustrare] Ita ex Cod. Maius. Edd. *coll.*

voluerimus] Ex Maii coniectura; Cod. *vetuerimus*.

Assurios] Ita Maius ex Cod.; ceteri praeter Steinack. *Assyrios*.

*advo*catei] Ita Maius olim suppleverat: nunc maiora ausus scripsit *rogamus ut in causa iniustitiae fungaris munere advocati*.

Philus] Ex Cod. Maius *Pilus*.

caussam] Ex Cod. *causam* vulgatur. Mecum Nobb.

quom] Cod. *quam*, unde Maius effecit *qum*: ceteri *cum*, aut *quum*.

voltis] Invidiam in re simili deprecantur apud Platonem Glauco reip. II. p. 361, et Socrates V. p. 451. Hos autem tum Platonis, tum Ciceronis locos diserte nominatimque citat Ambrosius de off. I, 12; qui certe ex Augustino non haurit, quandoquidem ambrosianum opus augustiniano plus viginti annis antiquius est. En autem Ambrosii verba: *laudatur in Platone, quod in politia sua posuit, eum qui contra iustitiam disputandi partes recepisset, postulare veniam dictorum, quae non probaret, et veri inveniendi atque exanimandae disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eousque Tullius probavit, ut ipse in libris, quos scripsit de rep., in eam sententiam dicendum putaverit.* Maivs ed. alt. *Voltis* cum uno Maio retinui: ceteri *vultis*.

Atquei] Ita [*atqui*] 2 manu; at 1 *adqui*. Maivs.

dixseris] Vulgo *dixeris*.

verendumst] Ita cod. facta aphaeresi, tametsi interposita lit. *m*. Scilicet etiam in carmine elidi solet *m*, quia in pronunciando supprimebatur. Maivs. Edd. *est*. V. ad II, 10. Ceterum recte de hoc loco

dicei solent, ne seic etiam sentire videare, quom et ipse seis quasei unicum exsemplum antiquae probitatis et fideei; neque sit ignota consuetudo tua contrarias in parteis disserendei, quod ita facillume verum invenirei putes. Et Philus, Heia vero, inquit, geram
p. 22 |morem vobeis, et me oblinam sciens; quod quoniam quei aurum quaerunt, non putant sibei recusandum, nos quom iustitiam quaeramus, rem multo omnei auro cariorem, nullam profecto molestiam fugere debemus. Atque utinam quemadmodum oratione sum usurus aliena, seic mihei ore utei liceret alieno! Nunc ea dicenda sunt L. Furio Philo, quae Carneades, Graecus
Q.xxqII*homo et consuetus quod commodum esset verbeis***

Moserus: „Lehnerus coniicit legendum esse *verendum non est*: qua quidem ego coniectura nihil in eius editione vidi infelicius. Mirandum sane est, quod non viderit, cum Philus ironice dixerit: *Praeclaram vero causam ad me defertis*, a Laelio etiam ironice responderi: *Atqui id tibi verendum est*; ubi *atqui* ponitur pro *nempe scilicet*, quae saepissime in ista orationis figura poni notissimum est.“ Videtur noster locus is esse, quem negatione inserenda sanandum dixerat Madvigius Emend. in Cic. libros philos. p. 106.

quom] Ex Cod. Maius *qum*. Edd. vel *cum*, vel *quum*. V. ad c. 3.

exsemplum] Vulgo *exemplum*.

parteis] Ex Cod. Maius *partis*. Ceteri *partes*.

facillume] Ita ex Cod. Maius et Steinack.: ceteri *facillime*.

Philus] Maius ex Cod. *Pilus*.

Heia] Nobb. *eia*.

oblinam] More eorum, qui aurum in fluviis quaerunt, aut metalla tellure effodiunt. [ac luto se commaculant.] Confer Silium I, 231, Statium silvar. IV, 7, 15 [ad illum Moserus Heinsium, ad hunc Barthium conferendos iubet] et s. Nicetam aquileiensem a me nuper editum. Maivs ed. alt. Sensu hinc translato dixisse videtur Lucilius Nonii v. *voluter* p. 420: *Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar atque voluter.* Auri ex fluviis egerendi mentionem facit Latinus Pacatus Paneg. 28.

quom] Cod. 1 manu *quam*; tum deleta *a*. Maivs, hinc *qum* edens. Alii *quum*: alii *cum*.

auro cariorem] A Platone haec sunt reip. I. p. 336: *εἰ μὲν χρυσίον ἐζητοῦμεν... δικαιοσύνην δὲ ζητοῦντας, πρᾶγμα πολλῶν χρυσίων τιμιώτερον.* Maivs.

Philo] Ex Cod. Maius *Pilo*. Idem ed. alt. adnotavit: „Merito se excusat Philus; namque ut ait Victorinus ad rhet. ed. Caperohn. p. 153: *ne contra consuetudinem audientium loquaris; ut si apud Romanos narres contra iustitiam, et si apud Scythas mores barbaros reprehendas.*“

*] Utrum nota C significet V an VI, haud inepta lis fuit inter antiquarios, quorum recentiores significatum secundum iustissime tuentur. L[illegible] inscr. p. 540; Maffeium hist. dipl. p. 135; Ritterium ad [illegible] theod. p. 212 in notis; praesertim vero PP. Mau-

(Desiderari videntur paginae quattuor.)

9. *Neque ego hercle ex mea animi sententia loquar, sed* ut Carneadei respondeatis, quei saepe optumas caussas ingenei calumnia ludificarei solet. (Nonius v. *Calumnia* p. 263. cf. Lactant. Inst. VII, 7.)

VI. *Carneades, Academicae sectae philosophus,*

rinos nov. dipl. tom. III. p. 513 sq. Ego plane recentiori sententiae subscribo, ita ut hic sit quaternio XXVIII, non XXVII. Vidi enim insigni vetustate codicem quendam vaticanum, litteris maioribus exaratum, ubi in calce manu prisca scribitur *hic liber habet quaterniones* XXXC$_1$, tum eadem manu additur explicatis litteris *triginta et sex*: eademque prorsus scriptio fit iterum ibidem alia manu antiqua, simul notis illis numeralibus, simul litteris etiam explicatis. Eadem nota significat *sex* constanter in pervetusto codicis theodosiani vaticano exemplari, itemque in vercellensi legum langobardicarum pervetere item exemplari. Sed enim congerere huius rei exempla demonstrationesque nihil prope interest, quae in antiquis lapidibus aeque ac scripturis obviae sunt. Est autem id graecum ipsum *ἐπίσημον*, non gothica illa quinta decima littera, quae hac forma significat *sexaginta*. Ceterum quod ad hanc sententiam firmandam ait Fabrettus repetitque Ritterius, numquam quatuor IIII subdi post C$_1$, id quidem aliter interdum fit in alio saltem, quem item observavi, vaticano codice haud spernendae vetustatis; mendum id tamen sequioris aevi potius existimen, quam ut ab illa praeclara sententia, quae melioribus nititur fundamentis, discedam. Maivs ed. alt.

verbeis] Quibus orationem abruptam Maius continuandam existimavit, ea, olim in nota posita, nunc in ipsum contextum licet inclinatis litteris scripta suscepit, videlicet haec: *apte comprehendere, quum copiosissime dissereret, tamen nostris hominibus viris bonis, probare minime potuit. Meminisse enim vos credo, cum quum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, P. Cornelio M. Marcello coss., audiente Galba et Catone, vobis quoque mecum, Scipio et Laeli, praesentibus, disputare de iustitia* etc. Ceterum quae Philus in laudem iniustitiae hic Carneadis de sententia promsit, ea pluribus persecutus est Roulezius de Carneade in Ann. acad. Gandav. 1823—1825. p. 42 sq.

Neque ego etc.] Supplementum Maio debetur.

solet] Lactantius inst. VII, 7: *academicis ad omnia respondere propositum est, quod est potius calumniari et illudere.* Carneadem insuperabilem in quaestionibus fuisse dicit Laertius IV, 63 et Cic. de or. II, 58. Varietates in Nonii codicibus sunt *Carneadis respondentis* in quatuor; *respondeas* in uno; *calumpnia* in uno. Maivs ed. alt. *Solebat* Schütz. ex Cic. fr. edd. Ceterum ad Ciceronis consuetudinem scripsi *caussas* cum Nobb., et *ingenei*. Praeterea adnotat Maius: „Audacter hoc frustum tertio in libro collocavi, quamquam tres, quas inspexi, Nonii editiones id secundo libro dant; e novem vaticanis Nonii codicibus quinque idem secundo aeque libro dant; nam quatuor reliqui eo carent. Sed enim grammaticos, praesertim in numeralibus notis, esse corruptissimos et saepe docui, et mox de Nonio iterum ipso, et deinceps de Gellio confirmabo. Certe vix verisimile videtur Carneadis mentionem fieri ante tertium librum.“ Ed. Bas. Nonii secundum exhibet librum. Restat ut quae hic Carneadi calumnia tribuatur, eam in disputando propriam illi vindicari moneam de fato 14, 31.

Carneades etc.] Recte monet Bünemannus ad h. l. haec, quasi destituta, connectenda esse cum iis, quae infra sequuntur: *is, cum — mis-*

cuius in disserendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit, is ex praedicatione Ciceronis intelliget aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum orcus remittat. Is quum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de iustitia copiose, audiente Galba et Catone censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit, et iustitiam, quam pridie laudaverat, sustulit; non quidem philosophi gravitate, cuius firma et stabilis debet esse sententia; sed quasi oratorio exercitii genere, in utramque partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet asserentes posset refutare. Eam disputationem, qua iustitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur: credo, quoniam de re publica disserebat, ut defensionem laudationemque eius induceret, sine qua putabat regi non posse rem publicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret ac Platonem, iustitiae patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quae pro iustitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere. (Lactant. Inst. V, 14.)

VII. 10. *Plurimi quidem philosophorum, sed maxime*

sus esset, disputavit. Videlicet volebat nomini Carneadis subiungere *cum missus esset*, sed post longiorem quasi parenthesin vel *ἐπεξήγησιν* abrupta constructione lectores ad eum, de quo loqui instituerat, remittit, scribens *is*. Mosrvs. Varium est dicendi genus multisque speciebus distinguendum, quo nominativus subiecti absolutus iustae orationi quasi extra constructionem praeponitur: de quo v. Erfurdt. ad Soph. Oed. T. 159 ed. min. Peculiaris vero is usus est, quem in Lactantio hic habemus, quo antepositum subiectum constructione mutata per pronomen tertiae personae resumitur: de quo vide Heusing. ad Cic. Off. p. XLV. Cf. Matthiae Gr. Gr. §. 310. p. 428 ed. pr.

is] Ita cum Mos. Orell. Nobbio pro *ipsum* scripsi, quod Buenenemannum secutus Maius edidit.

intelliget] Ergo Cicero, in praecedente lacuna Carneadis eloquentiam laudaverat, ex sententia, ut dixi, Polybii et Rutilii; quibus adde Hieronymum prol. in Sophon. et Philostratum vit. sophist. I, 4. Carneadem *μεγαλοφωνότατον* dicit Laertius IV, 63, id est *maxima voce praeditum*. Maivs ed. alt. Maius *intelleget*.

firma] Abiecimus, assentiente etiam Maio [qui quidem in contextu retinuit], quod in multis Codd. et Edd. in contexta receptum est, *prudentia* ante *firma*, sed abest ab Edd. Parrh. Ald. Fasitelii, Gryph. Thomas. idque abesse etiam volebat Heumannus. Mosrvs. Abiecit etiam Orell.; retinuit cum Sch. Nobbius.

evertitur] Alia exemplaria *subvertitur*. Maivs.

Plato et Aristoteles, de iustitia multa dixerunt, asserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et quum ceterae virtutes quasi tacitae sint, et intus inclusae, solam esse iustitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota promineat, et ad bene faciendum prona sit, ut quamplurimis prosit; quasi vero in iudicibus solis, atque in potestate aliqua constitutis iustitia esse debeat, et non in omnibus. 11. *Atquin nullus est hominum, ne infimorum quidem ac mendicorum, in quem iustitia cadere non possit. Sed quia ignorabant, quid esset, unde proflueret, quid operis haberet, summam illam virtutem, id est commune omnium bonum, paucis tribuerunt, eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. Nec immerito exstitit Carneades, homo summo ingenio et acumine, qui refelleret istorum orationem, et iustitiam, quae fundamentum stabile non habebat, everteret, non quia vituperandam esse iustitiam sentiebat, sed ut illos defensores eius ostenderet nihil certi, nihil firmi de iustitia disputare.* Lactant. Epitom. c. 55.)

Iustitia foras spectat, et proiecta tota est atque eminet. (Nonius v. *proiectum* p. 373.)

Plato et Aristoteles] Horum aliorumque philosophorum de iustitia placitis quo modo usus Tullius sit, exponit Baumhauerus Diss. de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis p. 141 sq.

Atquin] Ita *atquin*, ut Horatii codices epist. I, 7, 2 apud cl. Feam. Ceterum in codice de rep. scribi solet *atqui*. Maivs. Orell. et Mos. *atqui*.

infimorum] Frustra aliquot critici malunt heic *infimorum* [ipse Maius edidit *infirmorum*]. Nonne enim Lactantius sic loquitur etiam de opif. D. cap. III: *homo inops et infirmus*? [Cic. II Verr. V, 33: *classis inops et infirma.*] De vera igitur lectione *infirmus* pro *infimus* non muto sententiam. Maivs ed. alt. Contra vero recte Moserus Davisium adduxerat, qui dixisset: *infirmus* habito ad corpus, non ad opes facultatesque respectu dicitur. Atque *infimorum* Buenemann. et Orell.

de iustitia disputare] Neque Tullium neque opus de rep. appellat Lactantius; sed tamen duo, quos subiungo, ex Nonio loci evidenter me admonuerunt, Tullium heic exscribi a Lactantio, et quidem copiosius quam a Nonio, cuius duae auctoritates in Lactantii oratione continentur. Iam ipsum Lactantium non e secundo, sed e tertio de rep. haurire quis dubitet, quum mentio fiat operum de iustitia tum Platonis tum etiam Aristotelis, quae scripta mox ipse Cicero cap. VIII appellat? Maivs.

spectat] Vulgatur in Nonio *exspectat*. Illud vero nunc duobus Codd. in ed. Basil. firmatum. Ceterum et hic et subsequens Nonii locus e secundo libro de rep. citatur, errore librariorum. V. Maium.

Quae virtus, praeter ceteras, tota se ad alienas porrigit utilitates atque explicat. (Idem v. *explicare* p. 299.)

p. 205 **VIII. 12. *** et reperiret et tueretur; alter autem de ipsa iustitia quattuor implevit sane grandeis libros.**

virtus] ita editiones [etiam Bas.] et duo Nonii codices; alii vero codices habent *virtutis* mendose. Maivs.

porrigit utilitates] Constans est in novem vaticanis codicibus ordo hic verborum, at in editionibus praeposteros est *utilitates porrigit*. Maivs. Hunc ordinem ed. Bas. ne notata quidem librorum Vaticanorum discrepantia.

utilitates] Codd. variant, teste Maio, inter hoc et *utilitatis*, quod exhibet ed. Bas.

explicat] Hic quoque locus, ut dixi, in editionibus citatur e secundo de rep. libro, sed mendose, uti demonstrat, praeter alia indicia, Lactantius. Codicum Nonii vaticanorum mira varietas est; namque in uno omnia desunt; in sex nomen Ciceronis, titulus operis et libri nota omittuntur, relicto spatio; in octavo tribuitur locus absurde libro Virgilii secundo. Denique in nono codice scintilla aliqua veritatis est; nam quum praecedat locus ex tertio de officiis, noster, hic dicitur *ex eodem libro*; tenemus igitur tertium librum, quamquam adhuc fallimur in opere. Atque ex his saltem cognoscimus, falsam illam libri secundi inscriptionem, quae est in editionibus, a nullo vaticano codice confirmari. Maivs. Idem nunc ad totum locum adnotat: „Verba haec Tullii sine dubio expilavit s. Ambrosius de off. I, 24. ff. 115: *iustitia autem cuique tribuit, utilitatem propriam negligit, ut, communem aequitatem custodiat.*"

quattuor] Servavi cum edd. hanc a Codice hic et II, 22 oblatam vocis scripturam, iam olim a Conr. Schneidero commendatam Lat. Elem. II, p. 446, multisque nostra aetate probatam, quamquam me non fugit, in utramque partem aliqua probabilitatis specie disputari posse. Omnibus tamen diligenter expensis confitendum est, tum meliorum librorum consensum tum inscriptionum auctoritatem scripturae *quattuor* favere, ita tamen ut altera forma haud plane usu exclusa fuisse videatur. Quantum ad librorum fidem, iis quae alii ante me contulerunt, exemplum scripturae receptae addo ex Virgilio Florentino Fogginii p. 23. Atque hic, si quis alius, Maius audiendus erit, ad Gargilium Martialem in Auct. cl. T. I. p. 405 ita disserens: „*quattuor* cum duplici *tt* numquam fere non scribitur in antiquis mss. Nolim ergo id potius poeticae licentiae adtribui in ed. neap." Inscriptionibus ab aliis in medium productis adiicio lapidem a. p. Chr. n. 219 incisum, in Syllog. inscr. p. 488. No. 28, aliumque in Bull. dell' inst. arch. 1829. p. 205. Adde Legem de scribis etc. ed. Goettling. Tab. II, 21. Qui vero istorum titulorum auctoritati unum quendam, in quo sane *quatuor* exhibetur, opposuit multo scilicet maiore scripturae diligentia et elegantia dictionis conscriptum antiquiusque aevum prodentem, Ramshornius in Jahnii Jahrb. 1827. Vol. I. fasc. 4. p. 97, ubi totum hunc locum subtilius quam verius tractat, is parum attendisse videtur in eius tituli conditionem metricam, quae talis est, qualem bona Latinitatis aetas certo respuerit. In tanta viri doctissimi existimatione, ne quid cupidius dixisse credar, necesse est partem eius inscriptionis metricam adscribere, ex Grut. p. 1141, 1:

Nondum completis viginti quatuor annis
a natis trinis et viro eripior;
nomine Fusinella Petelina domo orta
Celsino nupta univira unanimis.

Nam ab Chrysippo nihil magnum nec magnificum desideravei, quei suo quodam more loquitur, ut omnia verborum momenteis, non rerum ponderibus, exsaminet. Illorum fuit heroum, eam virtutem, quae est una, sei modost, maxsume munifica et liberalis, et quae

Immo aetati valde recenti ea inscriptio adsignanda videtur, quandoquidem vox *univira*, de qua cf. Cardinali Iscriz. Velit. p. 186, non ante Tertulliani et Hieronymi tempora invenitur, non latente caussa; nam tum demum eo nomine mulieres praedicari gestiebant, quum ab odio quo secundas nuptias veteres persequebantur remisissent, quod sero factum esse demonstravit Wunderlich De usu inscript. p. 156 sq. Igitur quum de ratione quaeratur, quo modo veteres scripserint, non quo scribere debuerint, si modo etymologiae vocis scripturam una littera consentaneam fuisse Ramshornio largiamur, donec idonea et satis antiqua scriptionis *quatuor* exempla allata fuerint, acquiescendum prudenti homini erit in scriptura sat firma monumentorum auctoritate corroborata. Atque secum ipse Ramshornius mirum in modum pugnare videtur, quum p. 98 summam disputationis his comprehendit: „Unstreitig schrieben also wohl die Römischen Dichter durchaus *quattuor*, und diese Schreibweise ging nachher in die Prosa, und wie man aus *quatter* (wie *montosus* st. *montuosus*) sieht, selbst in die gemeine Aussprache über." Hactenus recte quidem ille, immo rectissime: quandoquidem pro comperto habemus, primam vocis syllabam antiquitus brevem fuisse, quippe ex πέτορα vel τέτορα ortum, quam poetae demum maxime epici, primus fortasse Ennius, metro consulturi geminata litt. *t* longam fecissent: quo factum ut horum poetarum auctoritate ratio illa scribendi in usum vulgarem reciperetur, quod in permultis aliis formis factum esse nemo dubitabit. Ac mansit primae syllabae correptio in permultis derivatis, quae a *quadr* incipiunt: in quibus quum syllaba anceps sit, tamen ut brevis esse possit, veluti in *quadriga*, necesse est primitus brevis fuerit. Praeterea poetarum usum attendenti apparebit, eam syllabam cum maxime tum productam exhiberi, ubi vocis longioris prosodia metro accommodanda esset, veluti in *quadrupedans*, *quadrupes*, *quadrificus*, *quadrifluus*, *quadriiuges*, *quadriiugus*, *quadruplici*, dum brevis manet in *quadrare* verbo, *quadrus*. Minime vero probanda quae Ramshornius continuo subiicit: „Was berechtigt uns aber, die etymologisch hinlänglich begründete Schreibung aufzugeben und hier, inconsequent genug, der poetischen zu folgen? Doch wohl nicht ein Paar Inschriften mehr, die gerade der Zufall erhalten hat und gegen deren Auctorität noch obendrein sich manches einwenden lässt, während vielleicht mehr andre mit der bessern Orthographie verloren gegangen sind." Ceterum *quattor*, quod Ramshornius memorat quodque exhibet Cod. II, 22, usus Latinus nullo tempore agnovit.

grandeis] Ex Cod. Maius *grandis*. Edd. *grandes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

exsaminet] Longiori notae suae de Chrysippo politico Maius nunc addidit: „Chrysippi ingeniosa sophismata collegit Suidas voc. Χρύσιππος." De Chrysippi scriptis argumenti politici quaedam adnotavi Beitr. z. Gr. u. R. Litt. T. II. p. 24. Vulgo *examinet*, et mox *maxime*.

heroum] Platonis et Aristotelis. Maivs.

eam virtutem] Iustitiam.

modost] Ita [*modo st*] ex Cod. Maius. Edd. *modo est*. Sed fa-

omneis magis quam sepse diligit, alieis nata potius,
p. 206 |quam sibei, excitare iacentem, et in illo divino solio non longe a sapientia conlocare. 13. Nec vero illeis aut voluntas defuit: quae enim eis scribendei alia caussa, aut quod omnino consilium fuit? aut ingenium, quo omnibus praestiterunt. Sed eorum et voluntatem et copiam caussa vicit. Ius enim, de quo quaerimus, civile est aliquod, naturale nullum: nam sei esset, ut calida et frigida, et amara et dulcia, seic essent iusta
p. 17 et in|iusta eadem omnibus.

IX. 14. Nunc autem, sei quis, illo Pacuviano „in-

teor hunc locum ex eo genere mihi videri esse, quo praestet *est* integrum scribere.

omneis] Ex Cod. Maius *omnis*. Ceteri *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

sepse] Ita cod. 1 manu; secunda autem *se ipse*, male; tum quia Seneca ep. CVIII legebat *sepse*; tum quia si separetur, dicendum esset *se ipsam*. Maivs. Schütz. *sese*, ut in Seneca Schweighaeuserus, monente Orellio, atque nunc Fickertus quoque. Quis vero serio putarit, tanti fuisse, ut Senecae notatu dignum visum fuerit, pronomine *sese* Tullium usum esse? De *sepse* v. ad I, 2 *reapse*.

iacentem] Lactantius de ira D. XVIII: *ira si iacet, excitanda est.* Tum inst. III, 14 de ipsa sapientia ait: *Lucretius cum laudat qui sapientiam primus invenit; sed hoc ineptum, quod ab homine inventam putavit; quasi vero illam alicubi IACENTEM homo ille, quem laudabat, invenerit.* Cicero igitur a Lucretio sententiam sumpserat, quam Lactantius refutat. Maivs ed. alt. Sed omnia ista non satis certa, quum praesertim Lucretio Ciceronem hic usum esse minime constet. Adde quod Lucretius V, 8 sapientiam non ab homine, sed a deo inventam dicit.

conlocare] Ex Cod. Maius. Edd. *coll.* Maius ed. alt.: „Rursus fit imitatio ab Ambrosio de off. II, 9 ff. 49: *est individuum sapientiae atque iustitiae contubernium.*“ Iustitia omnium virtutum summa, quae ceteras tres, ἀνδρείαν, σωφροσύνην, φρόνησιν in se comprehendat, ut ait Sallustius de mundo 10.

quae enim] Niebuhrius Consp. orthogr. quum *quae st enim* scribendum censeret, non reputavit, verbum adesse *fuit*.

eis] Vulgo *iis*.

caussa] Ita cum Nobb. scripsi. Ceteri ex Cod. *causa*. Item mox.

vicit] Lactantius inst. V, 17 hunc locum exprimit: *Plato et Aristoteles honesta quidem voluntate iustitiam defendere cupierunt, effecisentque aliquid, si conatus eorum bonos, si eloquentiam, si virtutem animi et ingenii* etc. *Itaque opus illorum inane atque inutile iacuit.* Maivs.

et amara] Pro *et* Zellius mavult *ut*: haud male. Adprobat Orellius Add. T. IV, 1. p. 575 ob frequentem, ut ait, vocis *ut* repetitionem apud Ciceronem, allatis III, §. 37 et de N. D. II, §. 82. 126. III, §. 41.

Pacuviano] Cod. 2 manu *pacuviano*; at 1 *paculano*. Sane mendose *l* pro *i*; ceterum unam *u* pro duabus nummi veteres exhibent, nempe *Paquius* pro *Pacuuius*. Maivs. Eandem scripturam *Pacuius* exhibet Persii palimpsestus in Maii Auct. class. T. III. p. xx, similiaque

vehens alitum anguium curru", multas et varias genteis et urbeis despicere et oculeis conlustrare possit: videat primum in illa incorrupta maxsume gente Aegyptiorum, quae plurumorum saeculorum et eventorum memoriam littereis continet, bovem quendam putarei deum, quem Apim Aegyptiei nominent: multaque alia

alii quoque MSS. notati Schneidewino Gött. Gel. Anz. 1843. p. 705. Sed ***Pacuiano***, quod solus cum Maio Steinackerus edidit, quodque Schneidewino l. l. unice probatur, facile patet errori unam *u* pro duabus falso scribentis aut brevitatis studio tribuendum esse: de quo v. Excurs. VII. Neque quod ex nummis affertur, cuiusquam momenti est, etiam si concedamus, quod concedere nos minime oportet, ***Paquius*** revera pro ***Pacuvius*** esse scriptum. Nam nummi illi M. Antonii caput referentes, quos solos novi qui illam epigraphen teneant, extra urbem in remoto aliquo provinciarum Romanarum recessu cusi sunt, Eckhelii, qui dubitanter loquitur, de sententia Doctr. N. T. V. p. 71. et Num. vet. Tab. I, 4. p. 3 et 4, Viennae Galliae, secundum Sestinium Lettere V. p. 43. 44 Apris Thraciae; ita ut in hac nominis forma incidenda si quid peccatum est, id facile excusemus, aut si nihil erratum, praepropera inde quaevis esse debeat coniectura in genuinam Romani sermonis consuetudinem. Isto modo si quis scripsit, non Romanorum morem secutus videtur, sed Oscorum, unde Romani nomen illud acceperunt, quod sane apud illos ***Pakvius*** efferebatur, teste Mommsenio in Savigny Zeitschr. f. d. gesch. Rechtsw. Vol. XIII. p. 137. Cf. Grotefend Rud. ling. Osc. p. 33. In Pompeianis inscriptionibus passim PAQVIVS: v. Avellinii Bull. arch. Napol. I. p. 10. 19. Unde ***Pacius*** nomen, in Magna Graecia frequentatum, observante Raoul-Rochette Lettre à Mr. Schorn. p. 79. (p. 337 ed. alt.) Etiam ***Paccius***, clari medici, saepius Galeno commemorati, nomen: ex quo appellatum est ***Paccianum*** medicamentum quoddam, notum ex annulo inscripto, primum vulgato in Mém. de l'acad. Celtique T. VI. p. 50. 70, tum in Journ. des Sav. 1817. Mars p. 169.

curru] Videtur locus e Pacuvii Medo. Nunc autem haud dubio indicio ad Pacuvium referendus est senarius ille qui ex incerto poeta profertur a Cic. de inv. I, 19: ***angues ingentes alites iuncti iugo***; quem versum spectat Philus haec loquens. Fabula Medi est apud Hyginum XXVII, ubi Medea curru iunctis draconibus supervenit. Maivs. Eundem versum respicit, quod me monet Otto, Augustinus Soliloq. II, 5: „Non enim cum dicitur ***iunctis alitibus anguibus Medea volasse***, ulla ex parte res ista verum imitatur, quippe quae nulla sit. Itane tandem cum audio, ***angues ingentes alites iunctos iugo*** non dico falsum?"

genteis] Ex cod. Maius ***gentis***, unde ceteri ***gentes***. V. ad I, 34 ***civitatium***. Item mox vulgo ***urbes***.

conlustrare] Ita Maius ex Cod.; Edd. ***coll.***

maxsume] Ita [***maxume***] ex Cod. Maius: Edd. ***maxime***.

plurumorum] Vulgo ***plurimorum***.

quendam] Nobb. ***quemdam***.

Aegyptiei] Heic interpungitur in cod. Maivs. Mallem abesset haec vox, valde incommoda post verba ***in illa incorrupta maxume gente Aegyptiorum***.

p. 18 portenta apud eosdem, et quoiusque generis | beluas numero consecratas deorum. Deinde Graeciae, sicut apud nos, delubra magnifica humaneis consecrata simulacreis, quae Persae nefaria putaverunt: eamque unam ob caussam Xserxses inflammarei Atheniensium fana iussisse dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus, inclusos parietibus continerei nefas esse duceret. 15. Post autem cum Perseis et Philippus quei cogitavit, et Alexsander quei gessit, hanc bel-
p. 27 landei caussam infe|rebat, quod vellet Graeciae fana poenire: quae ne reficienda quidem Graei putaverunt,

portenta] Huc fortasse respicit Hieronymus dicens ep. XL: *placet mihi de niliacis videre portentis*. Maivs ed. alt.

quoiusque] Vulgo *cuiusque*.

beluas] Nonnulli *belluas*, de quo supra monitum.

numero consecratas deorum] Rem apud veteres auctores exploratissimam confirmant magnopere pictae tot papyri, quas docti peregrinatores in Europam ex Aegyptiorum sepulchris fanisve devehunt. De origine beluini cultus in Aegypto Lact. inst. II, 13. Cicero de N. D. I, 36. De scriptura Aegyptiorum beluinis figuris expressa loquuntur etiam Tacitus et Lucanus et Ammianus Marc. Mirus autem est Isocrates in Busiridis panegyrico, dum Aegyptiorum absurditatem excusare conatur. Maivs ed. alt. Alberti Disp. de cultu idolatrico bestiarum. Lipsiae 1669. 4. Cicero de N. D. III, 15: *anne fere genus bestiarum Aegyptii consecraverunt*. Paullo insolentior est Ciceronis phrasis *numero deorum consecrare*: quae affert Moserus, similia ea sunt, non eadem. Haud minus insolenter dictum Tusc. III, 1: *utilitas deorum immortalium inventioni consecrata*.

Graeciae] Moserus cum aliis dictum pro *in Graecia* accipit, quod loci structurae propter *sicut apud nos* magis convenire mihi quidem videtur, quam si cum Madvigio Bemerk. zu s. Lat. Sprachlehre p. 23 a *delubra* id pendere iubeamus. Locativum illum genitivum appellat Stuerenberg. ad or. pro Arch. 3. p. 50.

apud] Ex Cod. Maius *aput*.

caussam] Sic scripsi cum Nobbio. Vulgo *causam*. Item mox.

Xserxses] Ex Cod. Maius *Xerses*. V. ad I, 38. Ceteri *Xerxes*.

deos] Omisit Schütz.

cum Perseis] Supple *bellandi*. Cf. pro Manil. 12.

Alexsander] Vulgo *Alexander*, ut mox *Axino*.

vellet] Ita 2 manu; at 1 *bellet*. Maivs.

Graeciae] In nonnullis exemplis per operarum Stuttgartiensium errorem ab editoribus fideliter repetitum *Graecia*.

poenire] Ita cod. Et notemus orthographiam, simulque vim τοῦ *poenire* pro *ulcisci*. Maivs. *Punire* Heinr. Nobb. Mos. Zell. Receptam formam, quam nolim cum Freundio ad Mil. p. 24 etymi designandi causa a librariis illatam putare, etiam alii et tam vetusti quidem libri muniunt (v. Wagneri Orthogr. Verg. p. 464. Orell. ad VIII Philipp. 3, 8. Peyron. ad Cic. fragm. p. 299) ut eam nefas existimem oblitterare, quum

ut esset posteris ante os documentum Persarum sceleris sempiternum. Quam multei, ut Taurei in Ax-

praesertim non absonum foret putare, significationis discrimen duarum formarum *poenire* et *punire* diversitate a veteribus designatam esse: quod videtur altioris indaginis esse. Atque apud Ciceronem inter utramque certe ex significatu distingui, eo cognoscitur, quod ubi vim *ulciscendi* habet, plerumque deponentis forma *poeniri* vel *puniri* reperiri videtur. Cf. Doederleinii Synon. Lat. T. V. p. 249, cuius ceteroquin laudo prudentiam quod Orellius hic reponendum iussit *poeniri* probare non ausi. Ceterum de antiquo huius deponentis usu consulendus est Heusing. ad Off. I, 25. p. 212 et Orell. ad Philipp. I. l. Sed mittamus ista. Malo afferre Garatonii iudicium, qui postquam formae *poenire* alia multa exempla monstravit ad or. pro Milon. 7. p. 179 ed. Orell., quibus addi potest Catonis *inpoene* apud Frontonem p. 151 ed. Rom., eam se sit repositurum esse, ut orthographiam omnem suam Ciceroni reddere instituisset. De usu diphthongi *oe* pro *u* positae antiquo v. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 82. Pontedera in Schneideri Script. rei rust. T. I. p. 331. De formis *moenia*, *moenire* v. Turneb. Adv. XVI, 11. Parei Lex. Plaut. Eiusdem rationis est quod lapides passim *coerare* pro *curare* exhibent. V. Romanelli Viaggio a Pompei T. I. p. 163. 255. Eiusd. Storia topogr. del regno di Napoli T. I. p. 398. Ann. dell' inst. arch. 1834. p. 113. 145. Sickler Ideen zu einem Vulcanischen Erdglobus p. 9. Férussac Bull. des sciences hist. 1830. T. XV. p. 243. Raoul-Rochette Questions sur l'hist. de l'art. p. 14. COIRARE alius lapis ap. Romanell. Viaggio T. I. p. 208, ubi etiam MOIROS (muros) exstat. Cf. Pontanus de aspiratione I. p. 13. b. Alii apud Gruterum OITILE et OITANTVR. In SC. de Bacch. exstant OINVERSEI et COMOINEM.

Graei] Cod. *Graii*, omnibus edd. probatum. Quod cur correxerimus, dictum excursu VII.

ante os] Ex Moseri ingeniosa, ut appellat, coniectura Orellius *ante oculos*, quum, quod ille contendit, exceptis poetis, qui *ante ora* dixissent, neque Cicero neque alius quisquam bonae notae scriptor dicere ausus esset *est mihi aliquid ante os*. Ac scripturam *os* Moserus inde repetendam ait, quod librarius scribendi compendium ŌS (*oculos*) non intellexerit. Hoc ut concedam fieri potuisse, quamquam erunt qui propter rarum compendiorum usum in scriptura maiuscula, qua Codex Vat. exaratus est, parum probabile iudicent, tamen nulla caussa est cur Ciceronem negemus ad poeticam dicendi rationem se applicuisse, quod non semel in his libris factum observavimus. Itaque etsi aliud eius usus exemplum apud Ciceronem fortasse non reperiatur, tamen eo confidentius Codicis lectionem retinendam putavi, quo Livius saltim plurali in eodem dicendi genere usus est XXI, 19: *rapi trahique ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure sinatis*. Atque simile certe est quod tantopere Noster frequentavit *in ore*: cuius formulae praeter locum ex Verrinis a Mosero allatum exempla haec mihi suppeditavit Otto, pro Sext. §. 118. pro Rosc. 6, 16. coll. Fragm. p. 457. Cf. Handii Tursell. T. I. p. 364.

sempiternum] Decretum hoc Graecorum memorat Pausanias X, 35 additque illius causam eandem quam Cicero ἐς τὸν πάντα ὑπολείπεσθαι χρόνον τοῦ ἔχθους ὑπομνήματα. Lege Diodorum siculum XI, 29. Mairs ed. alt.

Axsino] Euxinus ab antiquis dictus fuit *Axenus* (ἄξεινος ionice) teste Strabone VII. p. 458 et 460, nec non Ovidio trist. IV, 4, 56. Heic autem scribitur *Axinus*. Sic illa civilis sententia apud Aristotelem nicom. IX, 10 *μήτε πολύξεινος, μήτ' ἄξεινος*. Ἄξεινος, non ἄξενος, scribit Photius ep. XCVI. Mairs ed. alt. De huius appellationis ratione et origine v. Moser. et intpp. Bionis VIII, 4.

sino, ut rexs Aegyptei Busiris, ut Gallei, ut Poenei, homines immolare et pium et deis immortalibus gratissumum esse duxserunt! Vitae vero instituta seic distant, ut Cretes et Aetolei latrocinarei honestum putent: Lacedaemoniei suos omneis agros esse dicti-
p. 28 tarint, | quos spiculo possent attingere. Athenienses iurare etiam publice solebant, omnem suam esse terram, quae oleam frugesve ferret. Gallei turpe esse ducunt frumentum manu quaerere: itaque armatei alienos agros demetunt. 16. Nos vero iustissumei homines,

rexs] Vulgo *rex*, ut supra *Axino*.

deis] Vulgo *diis*.

gratissumum] Vulgo *gratissimum*.

duxserunt] Dianae in Tauride, Busiridis in Aegypto quis nescit aras? De Gallorum Poenorumque humanis sacrificiis Ennius apud Festum voc. *puelli*; Plato in Minoe p. 315; Dionys. I, 38; Strabo IV. p. 303; Diodor. V, 31. 32, et Tom. II. p. 582. Clitarch. apud Suid. voc. σαρδάνιος γέλως; Lactant. inst. I, 21. Augustin. C. D. VII, 19. Oros. IV, 6. 21. Servius aen. III, 57. Plin. XXXVI, 5. Euseb. praep. ev. IIII, 16 et tricen. Constant. cap. XIII. Sublatum id scelus apud Poenos a Tiberio ait Tertullianus apolog. cap. VIII. Gallos sua adhuc aetate homines immolare solitos ait Cicero pro Font. cap. X; Germanos Tacitus de mor. G. cap. IX; Anglos idem annal. XIV, 30. Lactantius loc. cit. ait hostiam humanam desivisse apud Cyprios immolari iussu Hadriani caesaris. Auctorum horum a me observatorum agmen claudat Minucius cap. XXX, cum multis auctoribus aliis qui ibidem in notis citantur. Nihil dico de barbaris extra Europam anthropophagis. Maivs ed. alt. De sacrificiis humanis qui scripserint, praeter eos, qui a Mosero citantur, tu confer Ventii De hostiis humanis antiquo maxime tempore immolatis Comm. I. Vimariae 1826. Comm. II. 1834. Lassaulx Sühnopfer der Griechen und Römer p. 8 sq. et 23. De victimis humanis Iovi Lycaeo etiam recentiore tempore oblatis v. Hermanni Diss. de Socratis magistris p. 17 und Gottesd. Alt. d. Gr. §. 27. Ceterum vulgo *dux*.

putent] Aetolorum legem praedandi firmissimam recitat Polybius XVII, 4. IV, 3. XXX, 14. Idem ait VI, 46, apud Cretenses nullum turpe putari lucrum. Idem dicitur in excerptis Diodori vaticanis p. 119, ubi sermo est de Cretensi homine Iulio consuli proditionem offerente. Generatim hanc iniquam praedandi sententiam tribuit priscis hominibus scholiastes ambrosianus a me editus ad Hom. odyss. III, 73. XIV, 230. Maivs ed. alt.

Lacedaemoniei] Ex Cod. Maius *Lacaedemonii*, ut supra.

omneis] Vulgo *omnes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

dictitarint] Nonne *dictitarent*? Otto.

attingere] Quae olim de dicto illo Laconico Maius contulit, iis idem nunc adiecit Mamertini locum Paneg. Maximian. c. 7.

frugesve] Ita Cod. 2 m.; 1 *flugesve*.

demetunt] Sic aiunt Diodorus V, 32 et Nicolaus damascenus. Sic fere etiam de Germanis Tacitus de more G. cap. XIV. Maivs ed. alt.

iustissumei] Vulgo *iustissimi*.

quei Transalpinas genteis oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta nostraeque vineae: quod quom faciamus, prudenter facere dici|mur, p. 203
iuste non dicimur; ut intelligatis, discrepare ab aequitate sapientiam. Lycurgus autem, ille legum optumarum et aequissumei iuris inventor, agros locupletium plebei, ut servitio, colendos dedit.

X. 17. Genera vero sei velim iuris, institutorum, morum consuetudinumque describere, non modo in tot gentibus varia, sed in una urbe, vel in hac ipsa, milliens mutata demonstrem: ut hic iuris noster interpres alia nunc Manilius iura dicat esse de mu|lierum lega- p. 204
teis et hereditatibus, alia solitus sit adolescens dicere, nondum Voconia lege lata: quae quidem ipsa lexs uti-

quei] Quod olim delendum esse censuerat Maius, cui solus Schütz. obsecutus est, id idem nunc recte repudiavit. Ad verba enim praecedentia *nos vero iustissimi*, quae cum ironia dicta sunt, supple *sumus*, uti alii iam monuere. Otto pro *qui* suspicatus erat legendum *quidem*.

genteis] Ex Cod. Maius *gentis*; ceteri *gentes*.

vineae] Notanda haec Romanorum severitas, quae tamen diutius non videtur perseveravisse. Utique multo post Domitianus in provinciis extra Italiam multum vinetorum succidi iussit. Suet. in eo cap. VII; quam legem sustulit Probus. Vopisc. in eo cap. XVIII. Vide et Eumenium paneg. Constant. cap. VI. Cicero pro Font. cap. V sic loquitur, ut vinum ex Italia in Galliam asportari solitum ipsius aetate videatur. Vim legum eiusmodi gentes aliquot novi orbis nuperius passae sunt. Saevitia Romanos Poeni excesserunt, dum omni cultu ac satione Sardiniae interdixerunt, ut ait Aristoteles mirab. aud. p. 768. Maivs ed. alt. De vitium satione et cultura in Rheni ripis adi Bodmannum Rheingauische Alterthümer T. I. p. 393 sq.

quom] Ex Cod. Maius *qum*. Alii *cum*: alii *quum*.

faciamus] Exspectassem *facimus*.

optumarum] Ita ex Cod. Maius: ceteri *optimarum*, ut etiam mox *aequissimi* pro *aequissumi*, quod in Cod. est.

plebei] Vulgo *plebi*.

dedit] Helotis scilicet. Qua de re Plut. in Lycurgo et in apophth. et inst. lac. Maivs ed. alt.

milliens] Ita ex Cod. Maius, ut etiam mox infra, ibidemque *triciens*: quam scripturam unus Steinack. servavit: reliqui *millies*, ne notata quidem hic discrepantia illa Codicis. At tu vide ad huius capitis finem.

iura] Schütz. *iure* et mox *data* pro *lata*, pessime utrumque.

Voconia lege] Lata est Voconia lex anno urbis DLXXXV, id est quadragesimo ante hunc de rep. dialogum, Manilio tum adolescente. Maivs. De lege illa quaedam ad Cic. de fin. II, 17 adnotarunt non spernenda Otto, in primis Madvigius, multique passim alii, nemo vero

litatis virorum gratia rogata in mulieres plenast iniuriae. Cur enim pecuniam non habeat mulier? cur virginei Vestalei sit heres, non sit matrei suae? Cur autem, sei pecuniae modus statuendus fuit femineis, P. Crassei filia posset habere, sei unica patrei esset, aeris milliens, salva lege; mea triciens non posset***

accuratius Hassio in Museo Rhen. iurisprud. III. p. 183 sq. qui quibus tum legis argumentum et ratio, tum loci nostri verba difficultatibus laborent, eas mihi ita expediisse videtur, ut donec nova eius rei cognoscendae subsidia inveniantur, in proposita rei explicatione acquiescere possimus. Ceterum conferas Reinii Rom. Privatrecht. p. 867 sq.

lexs] Vulgo *lex*.

plenast] Ita Maius ex Cod. Edd. *plena est*.

milliens] Ita cod. Frustra autem Caper p. 2241 praecipit ut sine s scribantur *millies*, *centies*, *decies*. Maivs. Edd. *millies*, ut etiam mox *trieies*. Res flagitat ut occasione ab forma *milliens*, quam etiam initio capitis Codex offert, data usus semel exponam quid in toto hoc genere Ciceronis consuetudo tulisse videatur. Atque quum olim ita statuissem ad Taciti de orat. 23. p. 45, ut formam in *ens* desinentem altera mitiore antiquiorem censerem, Grotefendium vero, qui contrariam sententiam adversus me sustinuisset, eam ut idoneis argumentis firmaret, frustra, ut videtur, compellassem Allg. Schulzeit. 1830. No. 19. p. 145, nunc, ut accuratius ea de re dicam, primum advocanda est codicum auctoritas, in quorum vetustioribus h. e. palimpsestis utraque quidem scriptura reperitur mixta, sed ita tamen, ut si singula numerentur exempla, multo plura formae duriori faveant. V. Freund. ad Milon. p. 23. Eandem alii aetate non inferiores MSS tenent, quales sunt v. c. Vergilii Vaticanus et Mediceus, de quorum scriptura scite disseruit Wagnerus Orthogr. Vergil. p. 457. Item Cod. Medic. Cic. Ep. ad Fam. X, 33, 5 *quadragensimus*. XII, 2, 1 *tricensimus*. Ad Att. II, 16, 1 *vicensimo*. II, 19, 3 *milliens*. III, 22, 1 *aliquotiens*. II, 20, 6 *centiens*. Ad fam. XIII, 61 *octogiens*. V, 2, 9 et 6, 1 *quotienscunque*. Item in talibus s retinere Codd. Vatic. or. pro Flacco et pro Fonteio, testatur Niebuhrius ad Orat. fr. p. 110. Atque praeter consuetudinem adeo s servatum in *Peloponnensius* Ep. ad Att. VI, 2, 3. Adde quod Orationis pro Sextio meliores codd. teste Halmio p. 322 exhibent *milliens*, *tricensimus*, *quotiens*, quam scribendi formam Vergilio Wagnerus nunc restituere non reformidavit in ed. a. 1845 vulgata, Zumptio quoque certe quantum ad *quotiens*, *totiens*, *aliquotiens*, probatam, ad Cic. Div. in Caecil. 14, 45. Cf. Hess. ad Taciti Dial. p. 164. Accedit inscriptionum auctoritas, ex quibus haud levis momenti esse videbitur Fragm. legis agrariae ap. Mabillon de re diplom. p. 345, ubi exstat QVOTIENS, quod vetustos codices servare affirmat Maius ad Gargilium in Auct. cl. p. 401. Contra titulus multo recentior ALIQVOTIES in Wiener Jahrb. V. LV. p. 33. (Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 48. p. 396.) Si iam patet duriorem formam, ut res ipsa flagitat, antiquiorem esse, immo primitivam, quod iam olim monueram, num dubitabimus eam Ciceroni vindicare? quam ipsorum palimpsestorum Tullianorum fide commendatam etiam alii libri, qui bonis accensentur, qualis est Erfurtensis, suppeditant, si non constanter, tamen cum suspicione, ne sicubi lenior forma reperiatur, ea s librariis invecta sit. Cf. Wunder p. xu. Caper vero, quum de s litterae usu dissuadet,

(Desiderari videntur paginae duae.)

XI. 18. *** **sanxisset iura nobeis; et omnes eis-** p. 13
dem et eidem non alias alieis uterentur. Quaero autem, sei iustei hominis, et sei boneist virei, parere legibus, quibus? an quaequomque erunt? at nec inconstantiam virtus recipit, nec varietatem natura patitur; legesque poena, non iustitia nostra, comprobantur. Nihil habet igitur naturale ius: ex quo illud efficitur, ne iustos quidem esse natura. An vero in legibus varietatem esse dicunt: natura autem viros bonos eam iustitiam | sequi quae sit, non eam, quae putetur? esse p. 14
enim hoc bonei virei et iustei, tribuere id quoique,

recte agit, pro more suo praecipiens non quod veterum sed suae ipsius aetatis consuetudo tulerit. Ceterum de codicum his in formis fluctuantium scriptura v. Schneideri Gr. Lat. I, 2. p. 457. Kritz. ad Vellei. I, 9, 6. II, 56, 2. 60, 4: quem scriptorem duriore illa forma etiamdum usum esse, vestigia eius hic illic in Codice reperta testantur.

tricies] Hinc cognoscimus Phili modicum patrimonium. Huc autem respexit Apuleius apolog. ed. Delph. p. 437: *non habuit tantam rem familiarem Philus, quantam Laelius; nec Laelius quantam Scipio; nec Scipio quantam Croesus dives.* Maivs ed. alt. Edd. *tricies.*

sanxisset] Acephala sententia refertur ad praedictos populorum varios mores, mutatasque pro temporibus leges. Maivs. Creuzerus supplebat: *Quod si naturae sanxisset* etc. Maius nunc contextum ita constituit ex ingenio: *Si naturalis iustitia esset, uniformia sanxisset,* quae certe vellem in notas ablegasset. Vulgo *sanxisset.*

eisdem] Ex Cod. *idem,* unde cum Maio Steinack. *isdem.* Ceteri *iisdem.*

eidem] Ex Cod. Majus *idem*, quod servavit Steinack. Ceteri *iidem.*

boneist] Ita [*boni st*] Maius ex Cod. 1 manu, unde male Krarupius effecit *boni sit;* 2. m. *boni est*, quod ceteri amplexi sunt.

quaequomque] Vulgo *quaecumque.*

erunt] Ita videtur Cod. 2 manu; at 1 *erant.*

iustitia nostra] Heinr. com. *iudicio nostro,* recte reprobatum a Mosero, quem vide, et ab Orellio, *iustitiam nostram* nobis innatam atque insitam iustitiam bene interpretante.

quoique] Hanc Codicis scripturam, ab omnibus editoribus, uno Maio excepto, reiectam eo certiore iure servandam duxi, quo liquidius nunc constat, ea sola forma Ciceronem aequalesque usos esse, a nostrae aetatis hominibus nescio quo fastidio spreta, etsi hic locus in his Ciceronis libris unicus est, quo genuina auctoris manus tuta fuit a correctorum importunis interpolationibus, ipsorum aetatis quid usus ferret, pessimo exemplo substituentium; quod et de his libris et reliquis Ciceronis aliorumque eius aetatis scriptorum exemplaribus omnino tenendum. Cf. Müller ad Varron. de L. L. V, 2. p. 2. Sed forte fortuna ut hic sic alibi male sedulam interpolatorum diligentiam subterfugit genuina scriptura, ut in Vaticano Or. pro Fonteio, quem excussit Niebuhrius, ubi *quoipiam* exstat, editore p. 62 recte, sed iusto brevius notante, *quoi* et *quoius* Ciceroni iure vindicari. Adde Maium Auct. class. T. II. p. 367. Sed non

quod sit quoque dignum. 19. Ecquid ergo primum muteis tribuemus belueis? non enim mediocres virei, sed maxsumei et doctei, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animantium condicionem iuris esse denuntiant;

opus multis hac in re verbis, quum testimonium indubium eius scripturae in Quintiliano habeamus, disertis verbis sua ipsius demum aetate *cui* in locum formae *quoi* substitutum esse, docente I, 7, 27. „Illud nunc melius, inquit, quod *cui*, tribus, quas proposui, literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sane sonum, *qu* et *oi* utebantur, tantum ut ab illo *qui* distingueretur," ubi v. Meyerum. QVOI suppeditat inscriptio Aventicensis in Orellii Inscr. Helvet. p. 20. No. 151. Ac quae de *quoi* valent, non possunt non pertinere etiam ad genitivum *quoius*, quod pro *cuius* antiquos scripsisse testatur Marius Victorin. I. p. 2460 Putsch, confirmatum nuper Monumento Vergilli Eurysacis Romae reperto, aliisque antiquis titulis, veluti Lege de scribis etc. a Goettlingio nuper vulgata, Fragmentisque agrariis perantiquis ap. Grut p. 206, in quibus et QVOI et QVOIVS exstat. Adde tit. in Gerhardii Archaeol. Zeitung 1846. No. 39. p. 243. Quare eo minus dubitavi et hic et ceteris locis genuinam formam revocare, quo nullum adhuc recentioris formae exemplum in monumentis huius antiquitatis mihi sese obtulerit indubitatum. Immo *quoivis* etiamnum exstat in Marmore Ancyrano p. 372 ed. Wolf., ubi quum CVOIVIS scribitur, id vitium lapidem incidentis, aut describentis est, ob pronum errorem in commutandis litteris *C* et *Q*, de quo passim monui. Iuvat denique adiicere, in duobus codd. Tibulli apud Broeckhusium IV, 12, 4 exhiberi *quoius* vel *quius* (hoc nihili est), teste Huschkio ad I, 1, 4. Addam in Codicibus Tullianarum Epistolarum Mediceis saepissime eam formam servari. *Quoi* exstat ad fam. III, 13, 2. ad Att. I, 16, 16. VII, 12, 1. XI, 1, 2. Eius loco ibidem passim *qui* scriptum, veluti VIII, 9, 1. 4. 11, 3. 12, 6. IX, 5, 1. 9, 3. X, 12, 1. *Quoiquam* ad fam. VIII, 8, 2. *Aliquoi* ad Att. XI, 24, 2. 13, 8. *Quoius* III, 7, 2. 9, 3. 7, 10. ad fam. VIII, 1, 1. 14, 1. 16, 1. 17, 1. *Aliquoius* ad Att. III, 23, 4: idem in palimpsesto Or. pro Fonteio p. 64 Nieb. Etiam in optimis orationis pro Sestio codicibus *quoi*, *quoius*, *quoique* exhiberi, nuper Halmius notavit in sua eius. orat. editione p. 321. Contra vero *quoii* quod poetae in Tusc. IV, 34 cum Wolfio Orellius vindicavit, videant alii, an defendi possit ex Legis Thor. I, 3 et 6. IV, 26. 39. VI, 9 QVOI EIQVE, et Legis Servil. IV, 6 QVOIEI.

belueis] Ita cod. 2 manu; at 1 *velbis* vitiosa metathesi. Maivs, qui in Add. subiungit: „Beda apud Putschium p. 2779 iubet ut *belua* per *b* incipiat. Ergone interdum incepit per *v*?" Sane, ob pravam eius temporis consuetudinem, qua *b* et *v* commutari solebat. Nohb. *belluis*, de qua scriptura supra monitum est. Ceterum ut hic, ita alibi Cicero homini beluam opponit, ut Off. I, 4, 3. 11, 2.

maxsumei] Ita [*maxumi*] ex Cod. Maius. Ceteri *maximi*.

condicionem] Edd. *conditionem*. Illud ex Cod. Maius, quem interim hic et II, 26 sequendum putavi, quum et alios, v. c. Madvigium, eandem vocis scripturam exhibere videam, firmatam auctoritate tituli post alios repetiti a Rittero Elem. gramm. Lat. p. 93. 94, cui addendus alius ap. Lips. ad Tac. Ann. II, 7. Fateor tamen de vera vocis orthographia mihi adhuc non satis liquere. Alteram scribendi rationem argumentis ex vocis potestate atque usu ductis defensum nuper ivit Harlessius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840. No. 65. Cf. Garat. ad I Verr. 6.

clamantque inexpiabileis poenas impendere eis, a quibus violatum sit animal. Scelus est igitur, nocere bestiae; quod scelus quei velit *** Q.XXQIII

(Exin supersunt duo tantum folia seu paginae octo usque ad initium quaternionis quadragesimi. MAIVS.)

XII. [XIII.] 20. *Homo divini iuris ignarus, gentis suae leges tamquam verum ius amplectitur, quas non utique iustitia, sed utilitas reperit. Cur enim per omnes populos diversa et varia iura sunt condita, nisi quod unaquaeque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile? Quantum a iustitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per feciales bella indicendo, et legitime iniurias faciendo, semperque aliena cupiendo atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit.* (Lactantius Iust. VI, 9.)

Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. Porro bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum iniuria non est: eadem strages moenium et templorum: pares caedes civium et sacerdotum: nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot trophaea; tot de diis, quot de gentibus triumphi; tot manubiae, quot manent adhuc simulacra captivorum deorum etc. (Tertullianus Apologet. cap. XXV.*)

21. *Carneadis summa disputationis haec fuit: Iura sibi*

inexpiabileis] Ex Cod. Maius *inexpiabilis*, unde Edd. *inexpiabiles*. V. ad I, 34 *civitatium*.

Homo etc.] Caput 12 Maius olim ex fragmento apud Nonium v. *myoparo* et v. *habere*, quod nunc collocatum est initio c. 14, et ex Codicis pagina 47 et 48, quae nunc reiecta est ad c. 14, ubi vide, composuerat: quam contextus ordinationem omnes adoptarunt. Placuit nunc ob rei probabilitatem Maium sequi, qui mutata sententia caput 12 ex quatuor variorum scriptorum, qui Cicerone usi videntur, locis complevit: de quibus singulatim sermo erit.

Quantum — comparavit] In prioribus edd. haec verba cum fragmento Lactantii VI, 6 *quae sunt patriae* etc. conficiunt caput 13.

faciendo] Var. lect. *inferendo*. MAIVS ed. alt.

cupiendo] Var. lect. *capiendo*. MAIVS. *Capiendo* cum aliis Schütz.

*] Tertulliano eruditissimo homini et oratori insigni familiare sine dubio fuit Ciceronis opus de rep. Hoc autem loco is mihi visus est expilare disputationem tullianam de iustitia. MAIVS ed. alt.

summa disputationis haec fuit] Summam hanc magis adhuc brevia-

homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus, et apud eosdem pro temporibus saepe mutata; ius autem naturale esse nullum. Omnes et homines et alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse iustitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulent. (Lactantius Inst. V, 16.)

Quae sunt patriae commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere meliora etc. Itaque haec bona quisquis patriae adquisierit, hoc est eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in caelum; in hoc putatur summa et perfecta esse virtus: qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est, qui praecepta quoque dant ad iniustitiam. (Lactantius Inst. VI, 6.)

p. 57 **XIII. [XIV.] 22.** *** Sunt enim omnes quei in po-

tam exhibet Lactantius in epitome cap. LVI, non sine varietatibus. Maivs ed. alt. Totum hoc fragmentum in prioribus Edd. initium capitis 15 constituebat.

sanxisse] Plato reip. I. p. 338: τίθεται δὲ γε τοὺς νόμους ἑκάστη ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ αὑτῇ ξυμφέρον. Maivs. ed. alt.

eosdem] Al. *eos*. Maivs ed. alt.

ferri] Epitome *ipsa ducente natura commoda sua defendere.* Maivs ed. alt.

ereptos] Var. lect. *electis*. Maivs ed. alt.

iniustitiam] Postremis verbis Lactantius Philum, ut apparet, seu Carneadem, quem apud Ciceronem legebat, sequitur. Maivs ed. alt.

Sunt etc.] Narrat Moserus censorem lipsiensem, post collaudatam libri mei ordinationem, hoc tamen loco iudicare, fragmentum paginis 57. 58 constans, praeponendum esse illi quod paginis 47. 48 continetur. Equidem observato codice, nihil ego ferme obstare video; est enim quaternionis incerti folium unicum constans paginis 47. 48. 57. 58: quod olim ego dum ederem, naturalem statum, idest plicaturam superstitem folii retinui. Verum nihil impedit quominus inversa ratione complicemus folium, id quod alibi necessario a me ipso factum esse, iam dixi in praefatione. Quamquam igitur a nullo, quod sciam viderimque operis de rep. editore praedictus ordo novus adscitus fuerit, ego tamen non sine aliquot aliis varietatibus meis, libenter huic sequi volo; tum quia probabilis videtur, tum quia coniecturis indulgere, et varietati studere, artis criticae proprium est. Maivs ed. alt. Audiamus et nos censorem illum, [Ephem. litt. Lips. 1824. No. 6. p. 43], „qui, ut refert Moserus, contendit eas paginas, quae margini adscriptum habent numeros 57 et 58 (cap. XIV) ponendas fuisse ante pag. 47 et 48 (cap. XII). Finiri enim ait cap. XII interrogatione et disquisitione de legitima rerum possessione vel abrumpi potius, ita ut verba in fine capitis *iustitia an sapientia est*

pulum vitae necisque potestatem habent, tyrannei; sed se Iovis optumei nomine malunt reges vocarei. Quom autem certei propter divitias aut genus aut aliquas opes rem publicam teneant, est factio; sed vocantur

e minimo omnium . . . . supplenda videantur *potentissimus factus*? Quod si sententiam ex Lactantio continuamus, qui eam cum deperditis ita contraxit Inst. V, 16: *Omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis patirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum et in egestate ac miseriis iacendum*: haec manifesto cohaerent cum iis, quae nunc collocata sunt cap. XV extr. (pag. 1) *praeter Arcadas et Athenienses, qui, credo, timentes hoc interdictum iustitiae ne quando existeret, commenti sunt se de terra, tanquam hos ex arvis musculos, exstitisse.* Confirmatur etiam haec locorum dispositio a Lactantio enarrata tota contra ius et iustitiam disputatione. Quae omnia mihi admodum prohabiliter et acute disputata videntur." Neque ego aliter potui sentire, quin censori illi adstipulatus, ordinem locorum, qualem Maius nunc constituit, meum facerem. Caput igitur hoc 13 in vulgatis Edd. numeratur 14.

tyrannei] Ita quidam ait apud Platonem reip. II. p. 366: ὁ πρῶτος εἰς δύναμιν ἐλθών, πρῶτος ἀδικεῖ. Tum Aristides panath. ed. Steph. p. 78: ἅπασα δήπουθεν ἀρχὴ τῶν κρειττόνων ἐστι, καὶ παρ' αὐτὸν τὸν τῆς ἰσότητος νόμον. Mox ipse hanc sententiam refutat, atque a sophistica calumnia profectam ait. Nam si ea valeret, inquit, omnes magistratus abrogari, immo et deos abiici oporteret. Maivs ed. alt.

Iovis] Ita cod. 2 manu; at 1 *Iobis*. Maivs.

optumei] Ita etiam lib. I, 33 [ubi vide] post *optimi* non additur sollemne illud *maximi*. Una scilicet respicitur regis beneficentia. Ait autem Cicero N. D. II, 25: *Iupiter ante dicitur optimus, id est beneficentissimus, quam maximus; quia maius est certeque gratius prodesse omnibus quam magnas opes habere.* Sic etiam Plinius paneg. cap. 88. Maivs ed. alt. Cf. Cardinali Iscrizioni Veliterne p. 2. Vulgo *optimi*.

Quom] Ex Cod. Maius *qum*, ut etiam mox infra. Edd. vel *cum*, vel *quum*. Item tertio huius cap. loco.

aliquas] Maius malebat *alias*.

teneant] Orell. Nobb. et Zellius *tenent*, quippe Moserum secuti, qui primus scripsit, quum ob rationem grammaticam tum quod ipse Cicero mox loco plane, ut putatur, congruo dicat: *sed quem alius alium timet*. Neque aliter iudicavit Otto, laudatis Haasio ad Reisigii Gramm. p. 532 et Madvigio ad Fin. p. 691, praeterea collatis ex opere de rep. I, 42, 65. 44, 68 et I, 22, 41. Ego vero hac Ciceronis castigatione nihil vidi alienius, qui quidem quum utroque modo dicere potuerit, suo iure usus ideo coniunctivum posuit, quod non de uno statuum genere agit, ut in altero loco subsequente *quam alius alium timet* etc., quorum verborum longe alia ratio est, sed de pluribus. Factionem enim optimatium ait fieri tum ex divitiis, tum ex genere, tum ex opibus aliis quibuscunque: variae igitur imperii caussae, quarum quum quaeque locum habere posse cogitetur, Cicero posito modo coniunctivo in ambiguo maluit relinquere, qua potissimum caussa factionem aliquis nasci dicat, si modo una ex laudatis sit. Eiusdem conditionis locum alium in Cicerone si mihi indicare non contingit, contingere potest alii in lectione Ciceronis me versatiori: si vero nullus inveniatur, nihil id mirum in elocutione tota ab auctoris mente pendente.

illei optumates. Sei vero populus plurumum potest, omniaque eius arbitrio reguntur, dicitur illa libertas, est vero licentia. 23. Sed quom alius alium timet, et homo hominem, et ordo ordinem, tum, quia sibei
p. 58 nemo confidit, quasei pactio fit | inter populum et potenteis: ex quo exsistit id quod Scipio laudabat coniunctum civitatis genus. Etenim iustitiae non natura nec voluntas, sed imbecillitas mater est. Nam quom de tribus unum esset optandum, aut facere iniuriam nec accipere, aut et facere et accipere, aut neutrum: optumum est facere impune sei posseis, secundum nec facere nec patei, miserrumum digladiarei semper tum faciendeis tum accipiendeis iniurieis. Ita quei primum illud adsequi***

(Desideratur indefinitus paginarum numerus. MAIVS.)

XIV. [XII.] 24. Nam quom quaereretur exs eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone:

optumates] Vulgo *optimates*, et mox *plurimum*.

potenteis] Lactantius epitom. c. LIX: *leges sibi homines condiderunt pro utilitate communi, ut se interim tutos ab iniuriis facerent.* Legantur reliqua in eo Lactantii articulo, quae fortasse tulliana sunt. MAIVS. Ex Cod. Maius *potentis*. Edd. *potentes*. De forma revocata v. ad I, 34 *civitatium*.

exsistit] Maius et Steinack. ex Cod. *existit*.

accipere] Schütz. *recipere*.

optumum] Vulgo *optimum* et mox *miserrimum*.

posseis] Ita [*possis*] cod. 2 manu; at 1 *posses*. MAIVS. Schütz. *possit*.

adsequi] Ita ex Cod. Steinack. cum Maio: ceteri *ass*. Lacunam insequentem Maius nunc in contextu his supplevit, quae antea in nota posuerat: *nequiverit, in secundo ei consistendum est, videlicet ut neque faciat iniuriam neque patiatur* . . . ad sententiam loci recte fortasse, subiecta nunc hac nota: „Sic supplevi ex Platonis, quem supra laudavi, sermone. Conferendus autem est Aristides panath. ed. Steph. p. 54, qui postquam belli illati propulsatique mentionem fecit, praeclare concludit, „melius esse siquis necessario iuste agat, quam siquis ultro peccaverit.“

quom] Maius *qum*. Ceteri *cum* vel *quum*.

exs] Vulgo *ex*.

impulsus] Patricius semel legebat *impulsus*, iterum *compulsus*: quod postremum habet Sigonius. MAIVS ex Add. *Compulsus* exstat apud Nonium v. *habere*, quem locum primus Nobbius indicavit, nunc cum ceteris etiam Maius addidit.

myoparone] Praeter Moserum ad h. l. v. Savaronem ad Sidon. Epist. 8, 6.

eodem, inquit, quo tu orbem terrae (Nonius v. *infestum mare haberet* p. 125. v. *habere* p. 318. v. *myoparo* p. 534 ex Cic. l. III. de Rep.)

*** omnibus *quaeri*tote. „Sapientia iubet augere opes, p. 47

terrae] Nonii fragmentum heic collocavi, quia sermo est de Alexandro macedone, cuius, si bene codicem lego, meminit in proxime sequentibus Cicero. Iamvero hoc dictum archipiratae adversus Alexandrum fuisse eiaculatum, percommode nos docet Augustinus C. D. IV, 4: *eleganter et veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur ut mare haberet infestum; ille libera contumacia, quod tibi, inquit, ut orbem terrarum: sed quia ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, imperator.* Eandem prope sententiam recitat Lactantius inst. II, 4. Iam pars quoque prior eius capitis augustiniani incipientis: *remota iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia* etc. utrum e Phili an potius e Laelii oratione sit, universimque utrum tulliana nec ne, merito ambigendum est. Adde et Lactantium de ira D. XVI. ff. 8: *sola regnet audacia; nemo tutus esse possit, nisi qui viribus praevaleat: ita quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur.* Denique idem Lactantius inst. III, 17 archipiratae cuiusdam ad scelera cohortantis refert orationem, quae tamen vix tulliana videtur. Maivs ed. alt. Ceterum advertamus elocutionem *orbis terrae* plane Ciceronianam, ut infra et Off. II, 8, 4. *Orbis terrarum* quod recentioris esse aetatis nonnullis visum, exstat V, 8 apud Charis. p. 112 et praeterea apud P. Rutilium de vita sua ab eodem Gramm. laudatum. Cf. Boettigerum in Artistisches Notizenblatt (Abendzeitung) 1833. No. 24. p. 95.

omnibus *quaeri*tote] Est haec pagina omnium lectu difficillima. Supplementa inclinatis litteris scribo; verba autem dubia uncis includo. Ad supplementum *quaeri* quod adtinet, Cic. de am. VII ait: *ab iis, qui ista disputant, quaeritote.* Maivs. Supplementa Maii cum Heinr. Orellius reiecit: admisi ego cum ceteris non quod vera ea censuerim, sed quod continuus iis certe sententiae tenor efficiatur, neque multo certiora esse videantur, quae ab aliis proposita sunt. Orellius: „Recte tamen vidit Lehner, parum concinne haec omnia [a Maio] constituta esse, ac proposuit: *proferre fines: — unde enim fuisset Alexander summus ille imperator, qui in Asia olim armis fines imperii propagavit, nisi aliquid de alieno accessisset? — imperare quam plurimis, frui vol., p., r., dominari.* Quae ratio sane est longe melior, probata etiam Mosero: quamvis supplementa ista minime praestare velim, aegreque desiderem repetitum verbum *iubet*, vel simile ante v. *imperare.*“ Haec et ipse desiderans non probo Lehneri rationem, etiam eam ob caussam non ferendam, quod quibus oratio continuatur verbis *imperare* etc., ea non recte conveniunt cum superioribus, ex quibus apta sunt, *sapientia iubet augere* etc. Vide enim modo, an commode sapientia dicatur iubere *voluptatibus frui.* Ad Ciceronis mentem non mihi aliter videtur locus constitui posse, nisi finita verbo *fines* sententia, quae sequuntur, ea omnia ad Alexandrum referantur, ita ut in voce *potuisset* sola offensio restet, cuius in locum verbum aptum inveniendum, et spatio Codicis vacuo satisfaciens et ex quo infinitivi *imperare* etc. recte pendere possint. Adde quod infra in verbis *si sapientiae pareas* etc., quibus noster locus aperte respicitur, nulla *voluptatum* mentio fit, quod merito exspectaveris. Atvero quum nunc locum relego, confiteor neque hanc loci redintegrandi rationem mihi satis placere. Male enim habet „unde

„amplificare divitias“, proferre fineis. Unde enim *potuisset* [Alexander] summus *ille* imperator, *qui* in *Asia olim* [armis] fineis imperei propagavit, nisei aliquid de alieno accessisset; imperare, quam plurumeis fruei voluptatibus, pollere, regnare, dominarei? Iustitia autem praecipit parcere omnibus, consulere generei hominum, suum quoique reddere, sacra, publica, [aliena] non
p. 48 [tangere].| Quid igitur efficitur, sei sapientiae pa-

enim ... summus ille *imperator* ... *imperare*“; tum si ad certum quendam hominem omnia referuntur, non poterat *quam plurimis* dici, immo debebat *plurimis* vel *multis*. Iam si verba sola *unde — accessisset* ad Alexandrum relata orationi in modum parentheseos immissa accipiamus, oritur genus dicendi a Ciceronis usu, si quid aliud, alienissimum. Quapropter omnia haec mihi reputanti suspicio nata est, ne non aliam hic locus contraxerit labem satis antiquo tempore, immissis ab alio quopiam verbis omnibus quae ad Alexandrum spectant, h. e. *unde — accessisset*. Tum ineptum non foret pro *potuisset*, ut nunc vulgatur, olim scriptum putare *exisset*, cum *summus imperator* iungendum.

amplificare] Cod. fortasse *amplificari*. Nonius tamen, qui locum e III de rep. citat voc. *proferre*, legebat *amplificare* et *proferre* (pro *augere*). In codice autem verbi quoque *augere* terminatio obscurata est. Maivs.

fineis] Solus Maius ex Cod. *finis*, ut etiam mox. Edd. *fines*. V. ad I, 34 *civitatium*.

*potuis*set] Cod. fortasse habet *esset*. Sane fateor spatium codicis non sufficere vocabulo *potuisset*. Num ergo *posset*? Maivs ed. alt.

imperei] Cod. *imperii*, quod omnes expresserunt.

propagavit] Moser. *propagarit*, invitus fortasse.

quam plurumeis] Duce Lehnero Moserus cum *imperare* iungit. Orellius, servata quidem vulgari distinguendi ratione: „Essetne putida suspicio: *imperare quam plurimis, quam plurimis frui* etc.?“ Esset, credo. Vulgo *plurimis*.

dominarei] Imitatur locum Ambrosius de off. I, 28 ff. 137: *dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, praestare divitiis; iustitiae formam exuimus*. Maivs ed. alt.

Iustitia autem etc.] Platonis aliorumque philosophorum hac de sententia locos excussit Geelius Hist. cr. sophist. p. 213 sq.

parcere] Idem quod prospicere, curam habere, ita ut saepe cum verbo consulendi, ut nostro loco, iungatur. V. Bergkium in Welckeri Mus. Rhen. III. p. 80.

quoique] Vulgo *cuique*.

sacra etc.] Creuzerus suspicabatur: *sacra, publica, priva* (v. *privata*), *profana non tangere*. Alienum certe *profana* esse monuit Orellius. Maius contulerat ex Lactant l. l. c. 20: *alienum non attingere*.

Quid igitur etc.] Ita scripsi cum Heinr., quia si *si sapientiae pareas* cum seq. iunguntur, merito expectaveris Ciceronem etiam quid si iustitiae pareas efficiatur exponentem, a quibus exponendis abstinuit. Etenim a Maio inde vulgabatur *Quid igitur efficitur? Si sapientiae pareas, divitiae* etc.

reas? Divitiae, potestates, opes, honores, imperia, regna, vel privateis vel populeis. Sed quoniam de re publica loquimur, sunt inlustriora, quae publice fiunt: quoniamque eadem est ratio iuris in utroque, de populei sapientia dicendum puto.

XV. [XII.] 25. Et iam omittam alios; noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit, quoius imperio iam orbis terrae tenetur, iustitia an sapientia est ex minumo omnium ‖*maxumus factus? Omnibus populis qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est si aliena restituant, ad casas est redeundum, et in egestate ac miseriis iacendum*,‖ praeter Arcadas et p. 1
Athenienseis, quei, credo, timentes hoc interdictum iustitiae ne quando exsisteret, commentei sunt, se de terra, tamquam hos exs arveis musculos, exstitisse.

imperia] Locutionem exscribit Lactantius inst. III, 11ff. 14, et V, 21 ff. 10. Maivs.

populeis] Nempe *efficiuntur*. Hoc argumento late utitur Plato contra iustitiam reip. I. p. 338 sq. Item Iuvenalis I, 74. XIV, 207. Sic loquitur Isocrates de Atheniensibus in panath. ed. Steph. p. 257. Graviter vero Hieronymus in Hier. II, 5, 26 et in ps. LXXXIII: *philosophorum sententia est; omnis dives aut iniquus aut heres iniqui.* Maivs ed. alt.

inlustriora] Ita ex Cod. Maius. Ceteri *ill.*

Et iam etc.] Vix me cohibui quin de sententia Heinrichii, quam adoptarunt Nobb. Orell. Mos. Zellius, scriberem *Ut iam omittam alios, noster hic populus.* Ceterum collocantur haec verba usque ad *omnium* in vulgatis editionibus a principe pendentibus in clausula cap. 12: ordinem locorum nunc exhibitum Maius ed. alt. constituit.

quoius] Vulgo *cuius*. Item mox *e* et *minimo*.

maxumus factus] Ita nunc de coniectura Maius supplevit, adscitis ad reliquam lacunam supplendam verbis ex Lactantio, quae si non ipsa Tullii verba reddant, tamen vim eorum reddere videntur. Quibus deinde commode nunc adiunguntur quae Codicis p. 1 *praeter Arcadas* etc. leguntur, in prioribus edd. sub calcem c. 15 exhibebantur.

restituant] Epitome [Lactantii] *suum cuique restituere, quod vi et armis occupaverunt.* Maivs ed. alt.

egestate] Al. *necessitate*. Sed melius *egestate*, ut confirmat epitome. Maivs ed. alt.

iacendum] Haec Lactantius inst. V, 16. Epitome addit: *quod si fecerint, iustos dicemus quidem, sed tamen stultos iudicare necesse est, qui ut aliis prosint, sibi nocere contendant.* Maivs.

Athenienseis] Maius solus ex Cod. *Atheniensis*. Ceteri *Athenienses*. De forma revocata v. ad I, 34 *civitatium*.

exsisteret] Verba interdicti ex Caio IV, 155 cognoscuntur haec:

XVI. 26. Ad haec illa dicei solent primum ab eis, quei minume sunt in disserendo malei; quei in ea caussa eo plus auctoritatis habent, quia, quom de viro bono quaeritur, quem apertum et simplicem volumus

uti possidetis, quae neque vi, neque clam, neque precario alter ab altero possidetis. Id autem si publice populis interdiceretur, cedendum esset de possessione omnibus, qui alienam regionem invaserunt. Itaque soli aborigines in possessione manerent. Hinc Arcades et Athenienses semet *αὐτόχθονας* appellaverunt; quam scilicet horum populorum praerogativam memorant Ovidius fast. II, 289. Statius theb. IV, 257. Servius G. II, 342. Censorinus cap. IV. Suidas voc. *ἀθην.* et voc. *φερεκ. ἀθ.* Hos inter legere praestat saltem Aristidem in panathen. ed. Steph. p. 89. Confer etiam Pausaniam V, 1. Aliter Livius I, 8: *vetere consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem mentiebantur.* Hinc illa locutio *terrae filius.* Aliter idem Censorinus de Arcadibus cap. XIX. Confer etiam Lucianum de astrolog. cap. XXVI. Maius ed. alt. Hinc *προσελήνους* se Arcades dicebant, de cuius nominis ratione et caussa vide Neapol. ad Ovid. Fast. I, 469. Heynii Opusc. T. II. p. 334. Bredovii Untersuchungen über einzelne Gegenstände der Geschichte p. 78 sq. Alia plura Moserus affert. Ex Cod. Maius *existeret*, ut mox *extitisse.*

exs] Vulgo *ex.*

minume] Vulgo *minime.*

ea] Revocavimus cum Heinr. Cod. 1 m. scripturam, etiam Ottoni probatam, quem vide de hoc loco disserentem in Excursu XII. Maius et olim, adstipulantibus ceteris omnibus, et nunc ex 2 m. posuit *hac.*

caussa] Ita cum Nobbio scripsi. Ceteri *causa.*

eo plus etc.] Rarior haec struendi ratio, quamvis non insueta, qua comparativum *quia* excipit, ut de or. I, 3: *quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis e fontibus hauriuntur.* Cf. eiusdem II, 2 et infra VI, 2. Quintilianus X, 1, 15: *hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis, quae traduntur, artibus . . . quia, quae doctor praecipit, orator ostendit.* Eodem modo et *quod.* Ibidem X, 1, 34: *plerumque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat, hoc potentiora, quod ea sola criminibus odii et gratiae vacant.* Cic. Ep. ad Att. VIII, 8: *consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram.* Adde supra II, 10. Ea igitur constructionis in his ratio est, ut loco comparativi, qui altero membro proprie ponendus esset, causa ob quam aliquid alteri anteferendum videatur, ipsa ponatur, et ad eam quidem formam, qua caussae notio praemisso demonstrativo *hoc* vel *eo* significetur: quod nonnunquam etiam in simplice enuntiatione sine comparativo fit, veluti Ep. ad Att. X, 15: *quia scripseras, te proficisci cogitare, eo te haerere censebam.* Or. pro Tullio 6 Orell. *quod tametsi eo volo, quia mihi utile est.* Cf. Heinrich. ad eiusdem or. 4. p. 65.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, cum aliis: alii *quam.*

de viro bono] Bonum virum bene hic Maius interpretatur *ἀνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον.* Alias est Ciceroni idem cum iusto, ut Off. I, 7, 1. 10, 1, vel, ubi loquitur de cive bono, ibid. I, 34, 10. II, 9, 10, 11, 1. Dixit vero etiam optimum de optimate, ibid. I, 25, 3, quemadmodum nobiles et potentes etiam boni, plane ut *ἀγαθοί*, V. Graevii Lect. Hesiod. 6. p. 27. Welcker ad Theognid. praef. De ironica huius vocis vi, qua v. c. dicitur pro Quint. 3. Terent. Andr. III, 5, 10, v. Heinrich. ad or. pro Tull. p. 78. Cf. Barth. ad Stat. Theb. II, 460. III, 269.

esse, „non sunt in disputando vafrei, non veteratores, „non malitiosei.“ Negant enim, sapientem id|circo p. 2
virum bonum esse, quod eum sua sponte ac per se bonitas et iustitia delectet, sed quod vacua metu, cura, sollicitudine, periculo, vita bonorum virorum sit: contra autem improbeis semper aliquei scrupus in animeis haereat, semper eis ante oculos iudicia et supplicia versentur. Nullum autem emolumentum esse, nullum iniustitia partum praemium tantum, semper ut timeas, semper ut adesse, semper ut impendere aliquam poenam putes, damna * * *

(Desiderantur paginae neque plus octo neque minus quatuor. MAIVS.)

XVII. 27. Quaero, sei duo sint, quorum alter optumus vir, aequissumus, summa iustitia, singularei fide; alter insignis scelere et audacia; et sei in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet, contra autem quei sit improbissumus, exsistumet esse summa probitate ac fide, proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexsetur, rapiatur, manus

disputando] Cod. *disserendo*. Scripsi tamen *disputando*, tum quia paulo ante est *disserendo*; tum multo magis quia Nonius, qui voc. *vafrum* citat hunc locum e III de rep., legebat *disputando*. MAIVS. Atque *disputandi* verbum sensui huius loci melius convenire, bene demonstravit Doederleinius Synon. T. IV. p. 20. Utrumque verbum iuxta positum supra exstat I, 24.

vafrei] Ita [*vafri*] Cod. 2 manus, at 1 *veri*. MAIVS.

bonitas] V. Graev. ad or. pro Rosc. Com. 7. fin.

virorum sit] Longiori suae notae Maius nunc inseruit Victorini Comm. ad II Rhet. ff. 170 et 172: *Epicurei dicunt virtutem expeti ipsam propter voluptatem.*

aliquei] Villem. *aliquis*.

Quaero] Lactantius inst. V, 12: *Est apud Ciceronem non abhorrens a vero locus in ea disputatione, quae habetur a Furio contra iustitiam: Quaero, inquit*, etc. Lactantii locus mox incidet in codicem vaticanum eumque supplebit. MAIVS. Hunc Ciceronis locum a Lactantio cincinnis nonnullis ornatum existimat Nobbius. Quae hoc capite perscribuntur, sumpta omnia sunt ex Plat. de rep. II.

optumus] Vulgo *optimus*, ut etiam *aequissimus*, et mox *improbissimus*.

insignis] Steinack. *insigni*, cum quibusdam Lactantii editoribus.

sit errore] Schütz. *errore est*.

exsistumet] Haec verior codicum lectio videtur; sed vulgo legitur *existimetur*. MAIVS. Hoc Schützius praetulit. Moserus coni. *eum existimet*. Vulgo *existimet* et mox *vexetur*.

ei denique afferantur, effodiantur oculei, damnetur, vincia-
p. 11 tur, uratur, extermi|„netur, egeat, postremo iure etiam „optumo omnibus miserrumus esse videatur: contra au- „tem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes „opes, omnes undique copiae conferantur, vir denique „optumus omnium exsistumatione et dignissumus omnei „fortuna optumia iudicetur; quis tandem erit tam de- „mens, quei dubitet, utrum se esse malit?“

XVIII. 28. Quod in singuleis, id est in populeis:
p. 12 nulla est tam stulta civitas,| quae non iniuste imperare malit, quam servire iuste. Nec vero longius abibo. Consul ego quaesivei, quom vos mihei essetis in consilio, de Numantino foedere. Quis ignorabat Q. Pom-

afferantur] Codd. *auferantur*, receptum Heinrichio, Schütz., Lehnero, Zellio. Illud suadente Maio Moserus, qui *auferantur* alienum a loco esse bene demonstravit, Orellius, Nobbius. Atque iam olim ante Maium lectio nunc suscepta, monente Mosero, inventa fuit.

exterminetur] Apud eundem Lactantium inst. V, 18 idem fragmentum cum hac varietate repetitur: *si (ut Furius dicebat) rapiatur, vexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, | effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, miseris etiam modis necetur.* Maivs. Verba Platonis, quae liberius noster transtulit, sunt haec de rep. II, p. 361. E: ἐροῦσι δὲ τάδε, ὅτι οὕτω διακείμενος ὁ δίκαιος μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τῷ ὀφθαλμῷ, τελευτῶν πάντα κακὰ παθὼν ἀνασκινδυλευθήσεται καὶ γνώσεται, ὅτι οὐκ εἶναι δίκαιον, ἀλλὰ δοκεῖν δεῖ ἐθέλειν, ubi v. Stallbaum. Ceterum in ipsam mediam vocem *exterminetur* incidit paginae 11 initium.

optumo] Vulgo *optimo* et mox *miserrimus*.

undique] Lactantii editiones *denique* mendose omnino; nam idem mox sequitur *denique*. Maivs.

optumus] Vulgo *optimus*, et mox *dignissimus*.

exsistumatione] Ex Cod. Maius *existimatione*, cum ceteris. Mox vulgo *optima*.

omnei] Mosero suspectum, quod *optima* a Lactantio abest.

malit] Haec postrema verba Lactantius explicans ait, hoc sensisse Furium, *malle sapientem malum esse cum bona existimatione, quam bonum cum mala*. Totum hunc locum pressim imitatur Augustinus C. D. IV, 3; ipse autem Cicero paene exscribit Platonem reip. II. p. 361: μηδὲν ἀδικῶν, δόξαν ἐχέτω τὴν μεγίστην ἀδικίας κ. τ. λ. Maivs.

id est] Moserus suspicatus est scribendum *idem est*, quod quidem necessarium non est, non tamen absurdum est, si praesertim scriptum reputaveris IDEST, h. e. *idem st*.

abibo] Schütz. *abito*.

quom] Cod. 2 m. *qum*, quod edidit Maius; 1 m. *quom*. Ceteri vel *cum* vel *quum*.

peium fecisse foedus, eadem in caussa esse Mancinum? Alter vir optumus etiam suasit rogationem, me ex senatus consulto ferente; alter acerrume se defendit. Sei pudor quaeritur, sei probitas, sei fides, Mancinus haec attulit; sei ratio, consilium, prudentia, Pompeius antistat. Utrum ***

(Desideratur incertus paginarum numerus. MAIVS.)

XIX. 29. ***Tum, omissis communibus, ad propria veniebat (Carneades).*** **Bonus vir,** ***inquit,*** **sei habeat servom fugitivom vel domum insalubrem ac pestilentem, quae vitia solus sciat, et ideo proscribat, ut vendat, utrumne profitebitur, fugitivom servom vel pestilentem domum se vendere, an celabit emptorem? Sei profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet. Sei celaverit, erit quidem sapiens, quia reei consulet, sed idem malus, quia fallet. Rursus, sei reperiat aliquem, quei orichalcum**

caussa] Ita cum Nobbio scripsi pro *causa*.

optumus] Vulgo *optimus*, ut mox *acerrime*.

antistat] De hac verbi forma v. Moserum et Handium Spec. obs. cr. in Catullum p. 45. Ad rem Ciceroni hic memoratam in primis consulendus Madvigius ad Fin. II, 17. p. 237.

Tum etc.] Plane abiecit capita XIX—XXVIII, utpote non in Cod. Vat. reperta, Steinackerus. Ea omnia Heinr. ad calcem libri in Fragmentis posuit. MOSERVS.

servom fugitivom] Vulgo *servum fugitivum*, ut etiam mox.

proscribat] Male Schütz. cum aliis *praescribat*. De hac verbi potestate solemni v. quae ante Moserum iam attulerat Heinrich. ad or. pro Tullio p. 78 sq., et ante hunc Cortius ad Ep. ad fam. VII, 29, qui quidem in verbis, quae ibi leguntur, *quod quidem si inter senes coemtionales venale proscripserit*, quum ait *venale*, quod a vetusto Graevii libro omittitur, se defendere, is non attendit, recte ut dictum videatur *venale proscribere*, ante omnia id exemplo idoneo alio comprobandum esse, quod ne unquam fiat vereor. Recte vero utrumque iungi potest, ut III Agrar. 4, 15: *Italiae — possessiones . . . venales ac proscriptas hac lege video*. Aliud etiam est *proscribere auctionem*, quod exstat pro Quint. 4, 15, ubi v. Passerat. Haud felicior eiusdem Cortii crisis, qua in Ter. Heaut I, 1, 92 *servos omnes produxi ac vendidi* pro *produxi* reponendum *proscripsi* suadebat, haud memor verborum in Eun. I, 2, 53 *pretium sperans ilico producit: vendit.*

fallet] Alii *fallit*. MAIVS.

reei consulet] Al. *sibi consulet*. Sed enim ipse Lactantius inst. V, 17 ff. 32 exponit *lucro et commodo suo consulens*. MAIVS.

orichalcum] Vulgo *aurichalcum*, quae vocis forma non Tulliana, sed Lactantio debetur, recentioris aetatis morem scribendi secutus. V. Heusing. ad haec de Off. III, 23, 12, apprime huc facientia: *Si quis*

se putet vendere, quom sit illud aurum; aut plumbum, quom sit argentum: tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? Stultum plane videtur, malle magno. *Unde intelligi volebat, et eum, qui sit iustus ac bonus, stultum esse; et eum, qui sapiens, malum.*

XX. 30. *Transcendebat ergo ad maiora, in quibus nemo posset sine periculo vitae iustus esse. Dicebat enim:* Nempe iustitia est, hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, sei forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nonne illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixsus evadat, maxsume quom sit nullus medio marei testis? Sei sapiens est, faciet; ipsei enim pereundum est, nisei fecerit. Sei autem morei maluerit, quam manus inferre alterei, iam vero iustus ille, sed stultus est, quei vi-

aurum vendens, orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium? Quibuscum comparanda Marciani XVIII D. 1, 45: *quemadmodum si vas [quis?] aurichalcum pro auro vendidisset ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit praestet.* Ex his locis simul manifestum est, Ciceronis aetate et subsequente vili pretio orichalcum fuisse, quum apud antiquiores summo habitum fuisset, testante praeter alios Plauto Mil. III, 1, 46, quo loco qui eadem de re monet, utitur Servius ad Aen. XII, 87, etiam Lucretii auctoritate usus, qui postquam aeris originem et munera exposuit, addit V, 1274:

Nunc iacet aes, aurum in summum successit honorem.
Sic volvenda aetas commutat tempora rerum:
quod fuit in pretio, fit nullo denique honore.

Ceterum conf. Philopon. ap. Diacon. ad Hesiodi Scut. 122. Martini ad Ernestii Archaeol. Excurs. VII et Beckmann. ad Aristot. Auscult. mirab. c. 50. p. 98 et c. 63. p. 132.

quom] Vulgo *quum* vel *cum*.

argentum] Addit epitome cap. LVI: *atque id emere necessitas cogat.* Maivs. De quo Epitomae loco v. Moserum.

malle magno] Epit. *si indicabit, iustus utique dicetur, quia non fefellit; sed idem stultus, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum.* Maivs.

maiora] In epitome transitio haec est: *sed facile de damno est. Quid si vita eius in periculum veniet; ut eum aliquando necesse sit aut occidere aut mori; quid faciet?* Maivs.

tabula] Al. *a tabula*. Maivs. V. Moser. Mox vulgo *nixus*.

maxsume] Vulgo *maxime*.

quom] Alii *quum*: alii *cum*.

medio marei] Otto mavult *in medio mari*. Haud male. Tusc. I, 30: *tanquam rate in mari immenso nostra vehitur ratio.* Lactantius VI, 8: *errant velut in mari magno.* Nec tamen necessarium puto. Cic. Ep. ad Att. VIII, 4: *Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxime navigandum est.*

iustus] Al. *non iustus*. Maivs.

tae suae non parcat, dum parcit alienae. *Item*: Sei, acie suorum fusa, hostes insequei coeperint, et iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem: eine parcet, ut ipse occidatur, an deiiciet exs equo, ut ipse possit hostem effugere? quod sei fecerit, sapiens, sed idem malus; sei non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est. *Ita ergo iustitiam quum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram naturalem: utramque subvertit; quod illa civilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit; naturalis autem illa, iustitia sit quidem, sed non sit sapientia.* (Lactant. Inst. V, 16.)

XXI. 32. ***Non gravarer, Laelei, nisei et hos velle putarem, et ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostrei sermonis attingere: praesertim quom herei ipse

dum parcit] Al. *dum compatitur*. Rursus idem Lactantius V, 17: *stultitia est, inquit Carneades, alienae animae parcere cum pernicie suae*. Maivs.

Sei, acie suorum fusa etc.] Lactant. Epit. LVI: *Potest hoc evenire ut — victo exercitu fugiens reperiat aliquem vulneratum equo insidentem, utrumne — hunc equo deturbabit, ut ipse possit evadere? Si volet iustus esse, non faciet; sed idem stultus iudicabitur, qui, dum alterius vitae parcit, suam prodet. Si faciet, sapiens quidem videbitur, quia sibi consulet, sed idem malus, quia nocebit.* Moserys.

exs] Vulgo *ex*.

partes] Maius *partis*.

sapientia sit] Omittit Schütz. *sit*. Otto *est* legendum censet, ut etiam mox *sed non est sap*.

sit sapientia] Quae ibidem Lactantius subiungit, et lucem nostro operi adferunt, et congruunt cum illis Platonis reip. II. p. 362; ubi nimirum post Glauconis argumenta contra iustitiam, desperanda dicitur iustitiae defensio, quam tamen Socrates adgreditur. Equidem etiam in nostro opere perorata Phili oratione, puto aliquem ex interloquentibus imitatum esse platonicam quam dixi desperationem, donec Laelius hortante Scipione causam iustitiae suscepit. Sic videlicet Lactantius pergit: *Arguta haec plane et venenata sunt, et quae M. Tullius non potuerit refellere. Nam quum faciat Laelium Furio respondentem, proque iustitia dicentem: irrefutata haec tanquam foveam, praetergressus est: ut videatur idem Laelius non naturalem, quae in crimen stultitiae venerat, sed illam civilem defendisse iustitiam, quam Furius sapientiam quidem esse concesserat, sed iniustam.* Maivs. Verba *Arguta — praetergressus est* Nobbius contextui suo adnexuit.

Non gravarer] Disputatio luculenta Laelii pro iustitia contra accuratam orationem Phili (ut loquitur Cicero de am. VII) tota desideratur in codice mutilo vaticano, praeter eius clausulam, ut infra patebit. Supersunt tamen insignes, etsi aliquoties interpolatae, reliquiae apud Lactantium, Augustinum aliosque auctores, quas heic exhibebimus, praeposita particula ex Gellio, in qua Scipio Laelium hortatur ad suscipiendum iustitiae patrocinium. Maivs.

attingere] In Gellii editionibus itemque in codicibus vaticanis cita-

dixseris, te nobeis etiam superfuturum. Verum id quidem

tur totus hic locus e *secundo de rep.* Sed prorsus est mendum (et credo equidem pro *tertio*, ut iamdiu dixit Patricius praef. ad fragm. de rep.); quum enim mentio fiat sermonis hesterni, necessario hic locus pertinet ad librum quemvis post secundum, in quo primi diei sermo absolvitur. Neque ullus dubito quin Laelius post Phili orationem rogaverit Scipionem, ut iustitiae partes tueretur; Scipio autem recusaverit hisce verbis, idque onus in Laelium ipsum transtulerit, qui pridie in libri secundi calce, ubi primum de iustitia commotus est sermo, dixisse videtur, habere se quae de iustitia, vel cum nimia verbositate, dissereret; ea enim est notio vocis *superfuturum*, ut Gellius docet, itemque Celsus, qui in prohoemio ait quibusdam medicis *verba supereresse, decus scientiam*. Fieri tamen potest ut a Laelio id dictum fuerit lib. I, 21 de rep. quo in loco Scipio rogavit Laelium natu maiorem, ut ipse potius de rep. diceret: Laelius autem ibidem fortasse respondit, tanta se habere quae de rep. diceret, ut audientibus foret superfuturus; nihilominus paratiorem sibi videri a studiis politicis Scipionem etc. Porro Gellii nullus codex antiquitatem aequiperat palatini palimpsesti XXIV, in quo, praeter alia κειμήλια, servantur litteris maioribus fragmenta noctium atticarum ex libris. I. II. III. IV, non sine multa varietate lectionum. Sed duo nunc lubet adnotare; primum quod duobus in foliis, quorum nemo adhuc scripturam obrutam legerat, occurrunt illa librorum gellianorum summaria, quae utrum habeant aliquam in lingua latina auctoritatem immerito dubitat Forcellinus voc. *simulamentum* (quod ipsum tamen vocabulum occurrit in Alexandri a me edito itinerario cap. LXV, et quod non minus interest, apud Victorinum adv. Arianos lib. III, 1, ad quem insolitae ceteroquin latinitatis fontem ventitare lexicographi non solent.) Nunc autem tantae aetatis gellianus codex tollendae omni dubitationi, confirmandaeque summariorum dignitati peridoneus habendus est. Altera gellianorum fragmentorum commoditas est, quod ibidem exstat locus hic Tullii de rep., ita tamen, ut praetermittantur particulae aliquot, et quidem tulliani operis titulus et nota libri: quo fit, ut si minus rei veritatem docemur, at certe in vulgato errore non confirmemur. Verba in hiante palatino folio 117 haec sunt . . . *cas dialectica percalluerat. Id ipsum verbum* (*supereresse*, de quo agit Gellius) *Cicero ponit non temere transeundum. Verba ex eo libro haec sunt: non gravarer, Laeli, nisi hos velle putarem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: praesertim cum heri ipse dixerit* (sic) *te nobis etiam superfuturum. Verum id quidem fieri non potest; ne desis, omnes te rogamus.* Cur autem in cod. pal. dicitur *ex eo libro*, non *e tertio de rep.*? Num librarii mendum est? an potius paulo ante apud Gellium in cod. pal. appellatus fuit liber de rep. pro libro de iure civili? Profecto sermo ibi est de Tuberone qui in rep. disputat; testimonium autem de scientia iuris in gente aelia non abhorret a libro primo de rep. cap. XVIII. Denique duo codices vaticani pro *id ipsum* habent *ad ipsum*; mendose, quasi citaretur liber secundus ad Tuberonem. Maivs ed. alt. Ut magnam esse vaticani palimpsesti auctoritatem concedamus, tamen nullus liber manu scriptus licet vetustissimus adhuc repertus est, cuius scriptura non vitietur hic illic mendis, ita ut etiam hoc loco in eo libro quandam corruptelam grassatam esse malim putare, quam cum Maio illam apud Gellium mentionem Tulliani de iure civili in artem redigendo libri in suspicionem vocare; unde enim eius libri commemoratio apud Gellium? Atqui quod apud Gellium vulgatur *secundo*, mero mendo pro *tertio* mihi quidem tribuendum videtur.

quom] Vulgo *quum* vel *cum*.

fierei non potest; ne deseis, omnes te rogamus. (Gellius N. A. I, 22, 8.)

Sed iuventutei nostrae minume audiendus: quippe sei ita sensit, ut loquitur, est homo impurus; sein aliter, quod malo, oratio est tamen immanis. (Nonius v. *impurus* p. 324. v. *immane* p. 323. ex Cic. l. III. de Rep.)

XXII. 33. Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omneis, constans, sempiterna, quae

dixseris] Vulgo *dixeris*. Cod. Vat. Maio laudatus *dixerit*.

Verum id] Editiones aliquot *si id*. [Ita Lehner.] Sed tamen *si* abest a palatino et a vaticanis codicibus, et etiam a venetis editionibus an. MCCCCLXX et XCVI. Male vero praedictae venetae editiones habent *te nobis non etiam*; quae vitiosa lectio sententiam subvertit. Maivs. V. Moserum.

rogamus] Laelium rogatum esse ab omnibus, ut iustitiam defenderet, ait Augustinus in epitome tertii libri. Est autem id quoque a Platone, apud quem reip. II. p. 368 omnes orant Socratem ut pro iustitia dicat. Porro ad Laelium cognomento sapientem apte defertur patrocinium iustitiae, quam Philus stultitiae insimulaverat. Maivs.

minume] Vulgo *minime*.

immanis] Haec esse Laelii verba suspicor exordientis de Carneade loqui, qui causa exercitationis iustitiam oppugnaverat. Et quidem Carneades spurce locutus dicitur a Cicerone inferius cap. XXVII; a Quintiliano tamen inst. XII, 1 haud iniustus vir fuisse existimatur, licet contra iustitiam peroraverit, quam pridie defenderat. Quod autem ait auctor minime audiendum iuventuti romanae Carneadem, id exemplo Catonis fit, qui hunc ipsum quamprimum Roma censuit dimittendum. Plin. VII, 30. Sed tamen superius cap. VIII de Chrysippo quoque sermo fuit, contra quem haud scio an haec verba dici potuerint. Turpia enim in suis politicis scripsisse Chrysippum ait Sextus emp. III, 205. 246. XI, 193. nec non Plutarchus de stoic. repugn. tom. X. p. 318. Immo Chrysippi turpissima quaedam dogmata recitat etiam s. Epiphanius expos. fid. ed. Patav. T. I. p. 1090. Quin adeo fieri potest ut sermo de Epicuro sit. Conf. Lactant. inst. III, 17. Denique Cicero off. I, 45 ait Posidonium tetra quaedam et obscena collegisse, quae ne patriae quidem conservandae causa videbantur Ciceroni a sapiente facienda. Maivs ed. alt. De numero libri, ex quo Nonius locum citat, Maius adnotavit: „Recte sic parisiaca Nonii editio; at male plantiniana et gothofr. *ex IV de rep.*“ In ed. Gerlachii liber *tertius* scribitur.

Est quidem etc.] Post reiectam Carneadis, ut videtur, auctoritatem, quonam modo magnificam suam pro iustitia orationem exorsus sit Laelius, donec ad hanc legis definitionem veniret, vix coniecturis divinare possumus aut ne vix quidem. Re tamen vera Lactantius tertium institutionum librum eo modo exorditur, quo Laelium in causam ingredi aequum fuisset. Num ergo Lactantius hac quoque in parte pedisequus Tullii fuit? Ipsum vero iustitiae patrocinium Lactantius orare incipit inst. V, 5, repetita alte velut historia iustitiae, quae offensa vitiis hominum e terra in caelum migravisset; qua remota, malorum cohors orbi incubuit. Haec, inquam, oratio itemque illa in epitome cap. LIX, utrum partim Laeliana sit, non perinde liquet. Maivs. Totum hoc ex Lactantio fragmentum exstat in Cod. Vindob., quem Vind. 1 nominavimus (v. Praef.) praemissum illud Somnio Scipionis. Mox vulgo *omnes*.

vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legei nec obrogarei fas est, neque derogarei exs hac aliquid licet, neque tota abrogarei potest: nec vero aut per senatum, aut per populum solvei hac lege possumus: neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romae, alia Atheneis, alia nunc, alia posthac; sed et omneis genteis, et omnei tempore, una lexs et sempiterna et immutabilis continebit, unusque erit communis quasei magister et imperator omnium deus, ille legis huius inventor, disceptator, lator; quoi quei non parebit, ipse se fugiet, ac, naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maxsumas poenas, etiam sei cetera supplicia, quae putantur, effugerit. (Lactant. Inst. VI, 8. ex Cic. l. de Rep. III.)

XXIII. 34. *Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de re publica, disputari:* nullum bellum suscipei a civitate optuma, nisi aut pro fide aut pro salute. *Quid autem di-*

tamen neque probos frustra iubet] Cod. Vindob. *tamen frustra numquam probos iubet*, et mox *vetando aut iubendo*.

obrogarei] Cod. Vind. *abrogari*. De illius verbi potestate Moserus notanda attulit. Adde Vicati Vocabularium iuris utriusque T. III. p. 266.

exs hac aliquid licet, neque tota abrogarei] Vind. *aliquid ex hac licet, numquam tota abr.* Vulgo *ex*.

per populum] Praepositionem omittit Vindob.

solvei hac lege] Vindob. *hac lege solvi*.

omneis genteis] Vulgo *omnes gentes*.

lexs] Vulgo *lex*.

aut interpres eius alius] Refutantur dicta superius cap. X. Item ex hoc Laelii responso alia furianae orationis cognoscere licet. Maivs ed. alt. *Eius* omittit Vindob.

immutabilis] *Immortalis* alii. Orellivs.

unusque] Vind. *uniuscuiusque*.

quoi] Vulgo *cui*.

aspernatus] Al. *aspernatur*. Maivs. Unde fuerunt qui legerent *aspernabitur, atque hoc ipso*, quod amplexus est Schützius: de qua lectione v. Moser.

maxsumas] Vulgo *maximas*.

cetera — putantur] Vind. *cetera quae putantur supplicia*. De probabili huius fragmenti continuatione v. ad IV, 1.

pro fide aut pro salute] Nimirum Laelius romanorum bellorum iustitiam nisus erat defendere, ut infra patebit. Ad ius belli quod adtinet, quatuor alii sunt Augustini luculenti loci, quos magnopere suspicor e laeliana Tullii oratione fuisse interpolatos; quamquam eos hoc ponere non sum ausus, ne librum meum suspectis adeo copiis onerarem: Sunt autem C. D. IV, 4: *remota iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia* etc. Item XVIII, 2: *societas igitur usquequaque mor-*

cat pro salute, vel intelligi quam salutem velit, alio loco, demonstrans: Sed heis poeneis, *inquit*, quas etiam stultissumei sentiunt, egestate, exsilio, vinculeis, verberibus, elabuntur saepe privatei, oblata mortis celeritate; civitatibus autem mors ipsa poena est, quae videtur a poena singulos vindicare. Debet enim constituta seic esse civitas, ut aeterna sit. Itaque nullus interitus est reei publicae naturalis, ut hominis; in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe. Civitas autem quom tollitur, deletur, exstinguitur. Simile est quodam modo, ut magneis parva conferamus, ac sei omnis hic mundus intereat et concidat. (Augustinus de Civit. D. XXII, 6. Tom. V. p. 1336 sq.)

35. *In re publica dicit Cicero:* Illa iniusta bella sunt, quae sunt sine caussa suscepta. *Idem Tullius, paucis interiectis, subdidit:* Nullum bellum iustum habetur, nisei denuntiatum, nisei indictum, nisei repetiteis rebus. (Isidorus Orig. XVIII, 1.)

Noster autem populus socieis defendendeis terrarum

talium etc. Praeterea XIX, 7: *opera data est ut imperiosa civitas* etc. Maxime demum IV, 15: *videant ergo ne forte non pertineat ad viros bonos gaudere de regni latitudine* etc. (Sic fere Lycurgus apud Plut. vit. cap. XXXI) quae esset apta Laelii responsio contra Phili sermonem cap. XII et XIV. Maivs ed. alt. Conferri Lion iubet Off. I, 22 sq.

dicat] Schütz. *ducat.*

intelligi] Maius *intellegi.*

stultissumei] Vulgo *stultissimi.*

exsilio] Schütz. *exsulio.*

quom] Vulgo *quum* vel *cum.*

et concidat] Pro *et* Schütz. *ac*, pessime.

caussa] Sic cum Nobbio scripsi.

subdidit] Cum Heinrichio Moserus edidit *subdit*, quod placuit et Orellio et Nobbio. Haud male: etsi non necessarium.

Nullum bellum etc.] Eandem sententiam occupavit in laudibus Tulli Hostilii II, 17.

repetiteis] Vulgo praemittitur *de*, certissima coniectura nunc a Mosero expulsum, quem secuti sunt Nobbius, Orellius, quemque secuturus fuisset obstinatior ceteroquin Maius, si memor fuisset loci a Mosero infelici casu neglecti, quo res conficitur, Off. I, 11, 9: *Ex quo intelligitur, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum*, ubi vide an legendum sit *aut indictum;* nam si denuntiatum bellum ab indicto nihil differt, hoc plane otiosum est. Ceterum phrasis *repetitis rebus* ex ipsa iuris formula adscita ideo videtur, quod nisi *frustra* suppleas, quod supplendum recte ait Beierus ad Off., ea obscurior est. *Res vero repetere* quid sit, nostra aetate nemo melius Sellio meo explanavit, Recuperatio der Römer, consulendo maxime p. 84.

iam omnium potitus est. (Nonius cap. de num. et cas. p. 498. ex Cic. l. III. de Rep.)

XXIV. 36. *Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem ipsis de re publica libris adversus iniustitiam pro iustitia. Et quoniam, quum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam, et diceretur, nisi per iniustitiam rem publicam stare augerique non posse, hoc veluti validissimum positum erat, iniustum esse, ut homines hominibus dominantibus serviant; quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cuius est magna res publica, non eam posse provinciis imperare: responsum est a parte iustitiae, ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri, quum recte fit, id est, quum improbis aufertur iniuriarum licentia; et domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt: subditumque est, ut ista ratio firmaretur, velut a natura sumptum nobile exemplum, atque dictum est:* Cur igitur deus hominei, animus imperat corporei, ratio lubidinei ceterisque vitioseis animei partibus? (Augustinus C. D. XIX, 21. Tom. V. p. 1178.)

iam omnium] In Scholio MS. ad Plauti Amph. I, 1, 32, quo hic locus apud Nonium servatus ex Nonio, ut videtur, laudatur, exstat *omnium iam*.

pro iustitia] Laelius iustitiam protexit iisdem, ut puto, argumentis quibus usus fuerat pro iustitia Carneades in priore illa oratione quam postea ipsemet refutavit. Maivs ed. alt.

dominantibus serviant] Quaestionem ventilat Aristoteles reip. I, 3 sqq. Periit autem is locus disputationis Phili, praeter illud, ut arbitror, archipiratae dictum cap. XIV, quod Nonius servavit. Num autem ibi inter cetera Philus dixerat verba quae sunt apud Lactantium inst. V, 14? *altera iustitiae pars est aequitas . . . Ubi non sunt universi pares, aequitas non est; et excludit inaequalitas ipsa iustitiam, cuius vis omnis in eo est, ut pares faciat eos, qui ad huius vitae conditionem pari sorte venerunt.* Recole de rep. I, 27 et 32. Maivs.

parte] Moserus coni. *patrono*.

se habuerunt] Sic loquitur Tullius ad Q. fr. I, 1, 11. Sic etiam Augustinus C. D. XIX, 12 copiose demonstrat pacem omnis belli esse optabilem finem, qui locus fortasse ex hoc de rep. libro interpolatus est. Tum Cassiodorius var. I, 20 prope Tullium exscribens: *putari non debet iniuria, populos regere et gubernare Romanos. Nam si bonorum omnium causa pensetur, pro eorum utilitate delecti sunt, qui honores gloriosissimos accipere meruerunt.* Denique Rutilius itin. I, 64 tulliani dicti, ut suspicor, memor, de Roma gentium victrice ait: *profuit iniustis te dominante capi.* Maivs.

lubidinei] Vulgo *libidini*.

partibus] De libertate naturali, et de servitute et de aequo iure

XXV. 37. ***Audi manifestiora quae dicat (Tullius) in libro de re publica tertio, quum ageret de caussa imperandi,*** **An non,** ***inquit,*** **cernimus, optumo quoique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infirmorum datum? Cur igitur deus hominei, animus imperat corporei, ratio lubidinei iracundiaeque et cetereis vitioseis eiusdem animei partibus?** ***Adhuc audi; paullo post enim:*** **Sed et imperandei et serviendei,** ***inquit,*** **sunt dissimilitudines cognoscendae. Nam ut animus corporei dicitur imperare, dicitur etiam lubidinei; sed corporei, ut rex civibus sueis, aut parens libereis; lubidinei autem ut serveis dominus, quod eam coercet et frangit. Seic regum, seic imperatorum, seic magistratuum, seic patrum, seic populorum imperia civibus sociisque praesunt, ut corporibus animus; dominei autem servos ita fatigant, ut optuma pars animei, id est sapientia, eiusdem animei vitiosas imbecillasque parteis, ut lubidines, ut iracundias, ut perturbationes ceteras. (Augustinus contra Iulianum Pelag. IV, 12. Tom. VII. p. 1048.)**

Nonne Cicero in libris de re publica, cum de imperiorum differentia disputaret, et huius rei similitudinem ex natura hominis assumeret, **ut filiis** ***dixit*** **imperari corporis membris; vitiosas vero animi partes, ut servos asperiores, imperio coerceri? (Augustinus de civ. D. XIV, 23.)**

Est enim genus iniustae servitutis, quom hei sunt al-

dominandi legatur Augustinus, qui fortasse Tullium imitatur, C. D. XIX, 15. 16. Maivs.

optumo] Vulgo *optimo*.

quoique] Vulgo *cuique*.

infirmorum] Ut supra libri huius cap. VII pro *ne infirmorum quidem ac mendicorum* scribendum fuit *infimorum*, ita non potui non recipere cum Sch. et Lehn. *infirmorum* pro eo quod dederunt Maius [qui quidem in nota nunc ait se *infirmorum* non spernere] et Heinr. [adde Nobb. et Zell.]. Idque ipsum docent loca Platonis [IV. p. 352 Bekk.] et Dionysii [I, 5] a Maio laudata ... Est vero *infirmorum* iam dudum in Edd. Fragmm. Cic. v. c. iam in Edd. Sylb. Verb. all. Mosrrvs. Suscepit Orellius quoque.

imperat] Haec vocis sedes valde suspecta.

lubidinei] Vulgo *libidini*, hic et infra.

optuma] Vulgo *optima*.

parteis] Vulgo *partes*.

Nonne etc.] Hoc fragmentum in ordinem contextus suscepimus Maium secuti, qui antea in nota praecedenti fragmento subiecerat.

quom] Cum Maio alii *cum*; alii *quum*, hic et infra.

terius, quei suei possunt esse; quom autem hei famulantur, *qui sibi moderari nequeunt, nulla iniuria est.* (Nonius v. *famulantur* p. 109. ex Cic. l. III. de Rep.)

XXVI. 38. *Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam, et velle aliquem imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum futura sit: improbe feceris, nisi monueris ne assidat, sed impunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit? sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri. Deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris sunt dicta a Laelio.* (Cicero de Fin. II, 18, 58.)

Si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris dixi mus, nihil esse bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe sit. (Cic. ad Att. X, 4.)

XXVII. 39. *Filiola tua te delectari laetor et probari tibi, φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα· etenim si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio; qua sublata, vitae societas tollitur. Bene eveniat, inquit Carneades. Spurce; sed tamen prudentius, quam Lucius*

famulantur] Sententia abrumpitur; quam tamen explere haud fuit difficile. Sed confer locum Aristotelis apud Sigonium ad hoc fragm. Maivs ed. alt.

iniuria est] Sic Tacitus annal. XIII, 55: *patienda meliorum imperia.* Tum in Diodori siculi excerptis vaticanis p. 50: *δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἢ νικᾶν ἢ εἴκειν τοῖς ὑπερέχουσιν.* Sic denique Aristides orat. in Rom. ed. Steph. p. 115: *ἄρχειν μὲν οἷς οὐ δύναμις, οὐ σωτήριον ἄρχεσθαι δ' ὑπὸ τῶν κρειττόνων, ὁ δεύτερός φασι πλοῦς.* Maivs ed. alt.

aliquem] In multis omittitur libris, etiam in Glogaviensi, nunc tandem Schneiderі opera ad hominum notitiam revocato.

emolumentum futura] Exhibui interim cum Maio et Lehnero eam scripturam, quam meliores codd. teste Madvigio, qui et ipsam suscepit, praestant, nihilo profecto altera *factura* deteriorem, quam amplexi sunt cum Heinr., Mosero, Nobbio Orellius et Zellius, prorsus improbatam Madvigio. Neutra, fateor, mihi satis placet, ac libenter cum Mosero et Madvigio reciperem *emolumento*. Neque hoc temere scriberetur, siquidem ex lectione Glog. *emolumenti* concludere licet, in scribenda vocis terminatione iam olim titubatum fuisse.

adsidat] Ita Madvig.

impunite] Cessi cum Madvigio librorum meliorum, lectionem receptam exhibentium, auctoritati, testimonio Matii, qui ea forma usus est, Ep. ad fam. XI, 28, firmatae. Ceteri *impune*.

Filiola — delectari] Vulgo omissa cum Heinr. ad meliorem loci intellectum adieci.

prudentius] Ita Orell. quoque, quamquam in Epistolarum editione

noster et Patro: qui quum omnia ad se referant, nec quidquam alterius caussa fieri putent, et quum ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intelligunt, se de callido homine loqui, non de bono viro. Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti. (Cic. ad Att. VII, 2.)

In quibus assentior, sollicitam et periculosam iustitiam non esse sapientis. (Priscian. VIII, 6. p. 801.)

XXVIII. 40. *Apud Ciceronem idem ille iustitiae defensor Laelius,* volt, *inquit,* plane virtus honorem; nec est virtutis ulla alia merces; quam tamen illa, *inquit,* accipit facile, exsigit non acerbe. *Et alio loco idem Laelius:* Huic tu viro quas divitias obiicies? quae imperia? quae regna? quei ista putat humana, sua bona divina iudicat. Sed sei aut ingratei universei, aut invidei multei, aut inimicei potentes, sueis virtutem praemieis spoliant: nae illa se multeis solatieis oblectat, maxsumeque suo decore se ipsa sustentat. (Lactantius Inst. V, 18 et 22.) *

Hercules, qui ob virtutem clarissimus et quasi Africanus inter deos habetur. (Idem ibid. I, 9.)

In tertio de re publica libro Cicero quum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos asseveraret, Quorum non corpora, *inquit,* sunt in caelum elata; neque enim natura pateretur, ut id, quod esset ex terra, nisci

pudentius. Eorundem verborum confusio in I Verr. 4, 13: *tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis avaritissimi et libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut iactatati superfuit,* ubi nihil agunt qui *imprudentiam* defendere student: nihil desideraveris, quum mecum rescripseris *impudentiam.*

nec] Sensu postulante adieci cum aliis. Abest a codicibus Ciceronis, quantum sciam, omnibus omisitque Maius. In ed. Epist. Orellius locum defectus signo notaverat, nunc vero in ed. reip. *nec* addidit.

volt] Vulgo *vult.*

virtutis] Schütz. *virtuti.*

exsigit] Vulgo *exigit.*

se multeis] Fragm. Cic. *se tamen multis.*

maxsumeque] Vulgo *maximeque.*

*] Postremo scilicet loco leguntur iterum aliquot verba, sed cum varietate: *illa omnia humana, sua* etc. omisso *putat.* Maivs.

Hercules, qui etc.] Hunc locum debemus Nobbii diligentiae, etiam Orellio susceptum, qui tamen a Beiero monitus eum ad librum sextum referendum ait Anal. Cic. T. IV, 2. p. 596.

ex] Vulgo *e.*

in terra, maneret. (Augustinus C. D. XXII, 4. Tom. V. p. 1331.)

Numquam virei fortissumei fortitudinis, impigritatis, patientiae *fructu caruerunt*. (Nonius v. impigritas p. 125. ex Cic. l. III. de Rep.)

Pyrrhei ridetur largitas a consule, aut Samnitium copiae Curio defuerunt. (Idem v. *largitas* p. 132. indidem.)

Quoius etiam focum Cato ille noster, quom venerat ad se in Sabinos, ut exs ipso audiebamus, visere solebat;

in terra, maneret] Locum hunc legebat in libris de rep. etiam Lactantius inst. I, 15 eundemque locum prae oculis habuisse videtur Plutarchus in Romul. cap. XXVIII, ubi Romuli aliorumque aliquot hominum, non corpora, sed animos in caelum ivisse confirmat physicis argumentis etc. Maivs.

fortissumei] Vulgo *fortissimi*.

fructu caruerunt] Ita complenda videtur sententia. Maivs.

Pyrrhei] Supplevit Maius *Nisi forte stulte Pyrrhi* etc. quod supplementum cum Orellio omisimus. Moserus: „Lambinus ad eundem locum, Videtur, ait, sic potius legendum: *Pyrrhi videlicet largitas consulibus, aut Samnitium copiae Curio defuerunt*. Immo vero sic prorsus legendum esse censeo. Est enim ironia: qua significat, neque Fabricium Pyrrhi liberalitatem et munera, neque Curium Samnitium aurum desiderasse." Lambini coniectura multum iuvatur Nonii lectione ab edd. Basil. nunc ex Codd. exhibita: *Pyrrhi videt largitas acos aut Samnitium copia Curio defuerunt*.

consule] Fabricio. Hoc autem et sequente loco laudari videtur magistratuum abstinentia, quam se revera in libris de rep. laudavisse, manifeste declarat Cicero ad Att. VI, 1. 2. 3. Sed enim de parsimonia sermo in quarto fuit. Maivs.

defuerunt] Legendum est in vaticanis Polybii excerptis p. 410 par Philopoemenis exemplum dona recusantis, cum sapiente effato, quo ait, non amicos corrumpendos. Maivs ed. alt.

quoius] Vulgo *cuius*.

quoius etiam etc.] Bis citat hunc locum Nonius sub eadem voce *apud*; primo [p. 68] breviorem ex officiis, et cum aliqua varietate; iterum [p. 522] integriorem e tertio de rep. Ita fit etiam in codicibus Nonii vaticanis. Variant tamen codices *Samnitium* et *Samnitum*, *clientium* et *clientum*; sed prior lectio constantior est et verior, nempe *Samnitium* atque *clientium*. Maivs. In priore loco apud Nonium legitur: *cuius focum mirari solitus Cato; apud quem ille sedens — repudiaverat*. Ceterum eorundem operum Tullianorum (de off. et de rep.) confusio olim exstabat apud Non. v. *calidum* p. 263, ubi Ciceronis locus recte nunc libro I de off., ubi exstat c. 24, ope codicum vindicatus est.

quom] Maius cum aliis *cum*: alii *quum*.

ad se] Curii villam non longe a se abfuisse ait ipse Cato apud Cic. de sen. XVI, nec non Plutarchus in Cat. cap. II. Locutionem *apud se* usurpat Cicero etiam apud Macrobium sat. II, 12 de Scipione nostro loquens; *nam cum esset apud se ad Lavernium Scipio*. Item de orat. I, 49. Maivs ed. alt. Cf. Garaton. ad or. pro Mil. 19. p. 230 ed. Orell. Schneid. Script. rei rust. T. I. P. II. p. 4.

exs] Vulgo *ex*.

apud quem ille sedens Samnitium, quondam hostium, tum iam clientium suorum, dona relegaverat. (Idem v. *apud* p. 522. indidem.)

XXIX. 41. ***Asia Ti. Graccus: perseveravit in p. 249
civibus, sociorum nominisque Latinei iura neglexsit ac foedera. Quae sei consuetudo ac licentia manare coeperit latius, imperiumque nostrum ad vim a iure traduxserit, ut quei adhuc voluntate nobeis oboediunt, terrore teneantur; etsei nobeis, quei id aetatis sumus, evigilatum ferest: tamen de postereis nostreis et de illa immortalitate reei publicae sollicitor; quae poterat esse perpetua, sei pa|trieis viveretur instituteis et moribus. p. 250

relegaverat] Altero loco Nonius *repudiaverat*, quod merito Orellius pro glossa habet. V. etiam Moserum.

Ti. Graccus] Notae suae nunc adiecit Maius: „Iniustitiam dividundi inter plebem agri locupletium obiurgat rectissime et evidenter Cicero de off. II, 22. qui locus est πολιτικώτατος."

Graccus] Vulgo *Gracchus*. V. Excurs. III.

neglexsit] Vulgo *neglexit*, et mox *traduxerit*.

Quae sei] *Quid? si* perversa Odescalchii coniectura. Orellivs.

nostrum] Cod. *nostram*, quasi referatur ad vim: mihi vero mendum videbatur. Maivs.

oboediunt] Ita cod. et recte pro *obediunt*, quamquam altera *o* videtur deleta. Maivs. Hunc unus Steinack. secutus est, cui me quoque adiunxi, non quod eam formam vulgari praestare omnino censeam, sed quod illam scribendi rationem, etiam aliorum codicum vetustorum auctoritate firmatam (v. Forcellin. h. v.), de qua amplius quaerendum erit, oblitterari nolui. Ceterum de hoc usu diphthongi *oe* v. not. ad III, 9.

ferest] Ita [*fere st*] ex Cod. Maius, cui nemodum obtemperavit.

perpetua] Hinc in Caesarum nummis ROMA AETERNA. Contradicunt tamen huic aeternitati Hieronymus in Ezech. prol. lib. III; Augustinus serm. CV, 10; Lactantius inst. VII, 14. Maivs ed. alt. De formulae illius a Maio excitatae monetariae aetate dixi Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 49. p. 402.

patrieis] Cod. *patris* crasi solita; ut alibi *alis* pro *aliis* etc. Sed tamen lib. II, 4 eadem vox *patris* correcta in codice fuit *patriis*. Maivs, qui *patris* in utraque ed. servavit, nemine praeter Nobbium obtemperante neque obtemperaturo. V. not. ad I, 16.

moribus] Numerosa et gravis conclusio! quae scopum quoque declarat politici huius operis nempe ut cives romani *ad mores pristinos revocarentur*; (conf. Cic. pro Rabir. in fragm. vat. p. 76. 77.) qui fuit idem titulus orationis quam ipse Scipio in censura recitavit. Gell. IV, 20. V, 19. Confer libri quinti prohoemium. Augustinus C. D. II, 21 ait: *induxit Cicero hanc de rep. disputationem, quando praesentiebatur ea corruptione* etc. *iam iamque peritura*. Lege Plinium XXXIII, 11; eundemque Augustinum C. D. I, 30. II, 18. Hoc cecinit vaticinium noster ipse Africanus, ut ait Suidas voc. Σκιπίων et χρησμός. Quin adeo Laelius apud Cic. de am. XII cum genero utroque loquens ait: *eo loco*,

XXX. 42. Quae quom dixsisset Laelius, etsei omnes, quei aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos: tamen praeter ceteros Scipio, quasei quodam gaudio elatus, multas tu quidem, inquit, Laelei, saepe caussas ita defendistei, ut ego non modo tecum Servium Galbam collegam nostrum, quem tu, quoad vixsit, omnibus anteponebas, verum ne Atticorum quidem oratorum quemquam aut sua*vitate****

(Desiderantur paginae duodecim.)

duas sibei res, quominus in volgus et in foro diceret, confidentiam et vocem, defuisse — (Nonius v. confidentia p. 262. ex Cic. l. III. de Rep.)]

***De quo Cicero dicit:* — inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. (Scholiastes Iuvenalis ed. Crameri VI, 486. p. 245.)**

p. 251 **XXXI. 43. ***reportare. Ergo illam rem populei,**

Fanni et Scaevola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reip.: deflexit enim iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum. Velleius II, 1 ait: ***potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit.*** Plinius VII, 59: ***primus omnium quotidie instituit Africanus sequens.*** Maivs ed. alt.

quom] Ex Cod. Maius *qum*. Alii *cum*: alii *quum*.

caussas] Ita scripsi cum Nobbio.

vixsit] Vulgo ***vixit***, ut paullo ante ***dixisset***.

sua*vitate****] Maius nunc supplet ***suavitate aut elegantia comparare soleam***, collato Cicerone de or. III, 7 et Brut. XXI seq. Moserus proponebat: ***aut perspicuitate, aut gravitate comparandum esse existimem.***

volgus] Al. ***vulgo***. Maivs. Vel ***vulgus***.

defuisse] Iamdiu Sigonius atque Patricius agnoverunt, in hac brevi particula de Isocrate loqui Tullium, quoniam apud eundem or. II, 3: ***de se Isocrates scribit ipse pudore a dicendo et timiditate refugisse***; quae ipsa verba scribunt graece Dionysius in iudicio de Isocrate cap. 1, et Suidas, ne alios appellem. [Plura dabit Valcken. ad Hippol. 986. p. 260.] Quod vero eadem particula heic sit collocanda, bona admodum coniectura uti videor, tum quia Ciceronis sermo deflectit ad atticos oratores, tum quia idem auctor or. III, 7 de oratorum generibus agens Laelium ponit haud procul suavi Isocrate, eodemque orationis leni genere floruisse, dicit, contrario autem Galbam. Maivs ed. alt.

mugiebat taurus] Locum hunc pertinere ad tullianum opus de rep., atque hac in sede locandum, recte animadvertisse videtur censor lipsiensis (ut lego apud Moserum) [1824. p. 51]; eoque confirmari apprime coniecturam meam dicit, quod in hac lacuna sermo fuerit de Phalaridis tauro. Maivs ed. alt. Idem de fragmento illo, quod Orellius quoque in ordinem suscepit, statuerat Censor Heidelbergensis Annal. 1826. No. 28. p. 437, assentiente Eberto *Σικελ.* p. 61.

reportare] Videtur Scipio loqui de Phalaridis tyrannide; nam paulo

id est rem publicam, quis diceret tum, quom crudelitate unius oppressei essent universei? neque esset unum vinculum iuris, nec consensus ac societas coetus, quod est populus. Atque hoc idem Syracuseis. Urps illa praeclara, quam ait Timaeus Graecarum maxsumam, omnium autem esse pulcherrumam: arx visenda, portus usque in sinus oppidcis et ad urbis

post mentio fiet Agrigenti inter alias urbes tyrannide oppressas. (Recole item de rep. I, 28.) Ad hanc veri simillimam coniecturam adducor praecipue illo verbo *reportare*, in quo cessat lacuna. Narrat enim Diodorus XIII, 90 Phalaridis taurum aeneum, qui se scribente supererat, quem olim Hamilcar Karthaginem transtulerat, Scipioni nostro, qui heic loquitur, post victoriam punicam placuisse Agrigentum *reportare*. (Ad locutionem quod adtinet, recole II, 9 cum nota.) Immo rei luculentior testis est Cicero in Verr. IV, 33: *in iis quae sunt reddita Agrigentinis fuit etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines et subiicere flammam solebat. Quem taurum Scipio cum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur: aequum esse illud cogitare, utrum esset Siculis utilius, suisne servire an populo romano obtemperare; cum idem monumentum et domesticae crudelitatis et nostrae mansuetudinis haberent.* Haec verba lacunam fortasse aliquatenus explent; et certe cum laelianae orationis clausula valde conspirant. Taurum illum numquam Agrigenti extitisse, sententia Timaei fuit, quem historicum acerbe refutat Polybius XII, 27, ex eoque Diodorus XIII, 90. Huius item controversiae mentionem aliquam fuisse in lacuna suspicor; praesertim quum mox Timaeus nominetur, et heic loquatur Scipio, cuius gloriae intererat sententiam Polybii sui tueri. Universi vero in lacuna demersi sermonis seriem licet cognoscere ex Augustini summario a verbis *qua quaestione* etc. usque ad *aut iniusti optimates.* Maivs ed. alt. Etiam in Phalaridis tauro beatum esse sapientem, dixit Augustinus Epist. 52. p. 150. ed. Froben.: etsi ista ab hoc loco aliena videntur. Ceterum totum hunc locum nemo accuratius, nemo copiosius tractavit Eberto Historia critica tauri Phalaridei, *Sicil.* p. 40 sq.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, et ita alii: alii *quum*.

universei] Cod. *univiersi*.

quod est populus] Ad Ciceronis definitionem respicit Victorinus ed. Caperonn. p. 105: *Est autem civitas collecta hominum multitudo ad iure vivendum.* Maivs ed. alt.

Urps] Ita cod. Recole de rep. II, 5 [ubi v. nobis notata]. Maivs. Ceteri *urbs*. Schütz. *Syracusis, urbe illa* etc.

maxsumam] Ita [*maxumam*] Cod. Praeter Maium et Steinack. ceteri omnes *maximam*.

pulcherrumam] Vulgo *pulcherrimam*, Iis, quae de pulchritudine Syracusarum Maius monuit, idem nunc Add. ed. alt. p. 386 adiicit: „De Syracusis similiter loquitur Cicero in Verr. V, 36. Item de restitutis Siculorum ornamentis a Scipione post captam Carthaginem Cic. in Verr. II, 34 sq."

oppideis] Coni. *oppidi* Schütz. Vere, puto: ut *oppidum* significet interiorem Syracusarum partem, *urbs* magis earundem circuitum. Orel-

p. 252 crepidines infusei, viae latae, porticus, | templa, murei, nihilo magis efficiebant, Dionysio tenente, ut esset illa res publica: nihil enim populei, et unius erat populus ipse. Ergo ubei tyrannus est, ibei non vitiosam, ut herei dicebam, sed, ut nunc ratio cogit, dicendum est, plane nullam esse rem publicam.

XXXII. 44. Praeclare quidem dicis, Laelius; etenim video iam, quo pergat oratio. *S.* Vides igitur, ne illam quidem, quae tota sit in factionis potestate, posse vere dicei rem publicam. *L.* Seic plane iudico.

Q. XL p. 109 *S.* Et | rectissume quidem iudicas: quae enim fuit tum Atheniensium res, quom post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta virei illei urbei iniustissume praefuerunt? num aut vetus gloria civitatis, aut species praeclara oppidei, aut theatrum, gymnasia, porticus, aut propylaea nobilia, aut arxs, aut admiranda opera Phidiae, aut Piraeus ille magnificus rem publicam efficiebat? Minume vero, Laelius; quoniam qui-

p. 110 dem populei | res non erat. *S.* Quid, quom decemvirei Ro-

LIVS. At iam olim Maius: „Constabant scilicet Syracusae pluribus oppidis, quorum in sinus mare infundebatur."

populus] Cod. *populius.*

magis] Schütz. *minus.*

Laelius] Subintellige *inquit.* MAIVS.

rectissume] Vulgo *rectissime*, ut mox *iniustissime.*

quom] Ex Cod. Maius *qum*: ceteri vel *cum*, vel *quum.* Item et paullo infra binis locis.

arxs] Cod. *ara*; sed videbatur omnino scribendum *arx.* Sane forma litterae X non valde differt ab A in codice vaticano. MAIVS. Vulgo *arx.*

Piraeus] De hac nominis scriptura v. Heusing. ad Off. III, 11, 2, quam servare interim iuvat, quum utra scriptores Latini re vera usi sint, a viris doctis, qui hanc in rem inquisiverunt, Mosero, qui obsequentibus Orellio et Zellio *Piraceus* scripsit, laudati, mihi quidem adhuc non ita exploratum videatur, ut a codicis nostri auctoritate discedere cogamur.

efficiebat] Ad sententiam quod adtinet, eam imitatus est Tacitus in Othonis oratione hist. I, 84: *Quid? vos pulcherrimam hanc urbem, domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intereidere ac reparari promiscua sunt: aeternitas rerum, et pax gentium, et mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur* etc. MAIVS ed. alt.

Minume] Vulgo *minime.*

Laelius] Nempe *inquit.* MAIVS. Schütz. *L. Minime vero, quoniam.*

mae sine provocatione fuerunt, tertio illo anno, quom vindicias amisisset ipsa libertas? *L.* Populei nulla res erat; immo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret.

XXXIII. 45. *S.* Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse videbuntur fortasse angustiae, quom per populum agei dicuntur et esse in populei potestate omnia; quom, de quoquomque volt, supplicium sumit multitudo, quom | agunt, rapiunt, tenent, dissipant, p. 299 quae volunt: potesne tum, Laelei, negare rem esse illam publicam, quom populei sint omnia, quoniam quidem populei esse rem volumus rem publicam? Tum Laelius: Ac nullam quidem citius nega*verim esse* rem

id] Omisit Lehn.

quom] Ex Cod. Maius *qum*. Ceteri vel *cum*, vel *quum*. Et item ceteris huius capitis locis. Mox Cod. *ea se* pro *esse*.

omnia] Cod. bis *omnia*. Maivs. An forte fuit *omnino omnia*? nisi *omnia omnino* malis propter solemnem v. *omnino* in clausula sedem, quam vindicavit Madvigius Fin. II, 31, 100, et de qua consuetudine consulendus Goerenz. ad Legg. p. 176. Etenim de more Tulliano *omnis* et *omnino* iunguntur. De or. II, 1: *Antonium omnino omnis eruditionis expertem*. Plura Horat. Tursell. v. *omnino* 9. Garat. ad or. pro Mil. 24. p. 225 ed. Orell. Adde Plauti Capt. II, 2, 75. Cic. Div. in Caecil. 8, 26: *ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiverunt, sed omnino improbitas, id quod populus Romanus iamdiu flagitat, exstinguenda atque delenda sit*, quum in multis edd. vett. *omnis* post *omnino* addatur, quumque apud Pseudo-Asconium certe *omnis improbitas* legatur, utrumque olim scriptum fuisse, eo probabilius mihi videtur, quo certius ea lectio unius saltem, licet teste Zumptio haud optimi, codicis auctoritate nititur. Quum enim *omnis* propter *unus homo* non recte omittatur, tum eius vis addito *omnino*, praesertim in sententiis communibus, egregie augetur, quod huic enuntiationi aptissimum videtur: quod non fugit Schützium, qui *omnino omnis* vulgavit, dum Garatonius decidere nihil ausus est, quoniam non constet, utra vox alteram expulerit, an introduxerit. Atque solent veteres adiectivum *omnis* diversis casibus iuxta geminare, alliterationis alicuius studio, quale est *omnes omnia*, elegantia dictum antiqua, ut ait Donatus ad Ter. Adelph. V, 9, 21, ubi v. Bentl. pluribus hanc formulam exemplis illustrantem. Praeterea *omnino* non modo aliis adiectivis apponi solet, veluti supra I, 22 *omnino expertem Graecarum rerum*, sed etiam adverbiis, veluti *omnino modice* de senect. 13. Unde revocanda ex codd. ea vox videtur Or. pro Rosc. Am. 37, 107, ubi vulgo fertur: *Haec possum omnia vere dicere: sed in hac caussa coniectura nihil opus est.*

quoquomque] Vulgo *quocumque*.

volt] Ita ex Cod. Maius. Ceteri omnes *vult*.

nega*verim esse* etc.] Pagina admodum oblitterata est; quare aliquot verba suppleo, habita spatiorum ratione. Maivs. Omisit supplementa

publicam, *quam quae* tota *sit in multitudinis potestate*: *plane ut* nobeis non placebat Syracuseis fuisse rem publicam, neque Agrigentei, neque Atheneis, quom es-
p. 300 sent tyrannei, nec heic, quom decemvirei; nec | video, quei magis in multitudinis dominatu reei publicae nomen appareat: quia primum mihei populus non est, ut tu optume definistei, Scipio, nisei quei consensu iuris continetur; sed est tam tyrannus iste conventus, quam sei esset unus, hoc etiam taetrior, quia nihil ista, quae populei speciem et nomen imitatur, immanius beluast. Nec vero convenit, quom furiosorum bona legibus in adgnatorum potestate sint, quod eorum iam***

(Desiderantur paginae octo.*)

p. 297 **XXXIV. 46.** ***dicei possint, cur illa sit res publica resque populei, quae sunt dicta de regno. Et

Heinr. probavit calculo suo lanus de Persyn Diss. de politica Ciceronis doctrina, p. 41; pro Codicis verbis habuit Schütz.

neque heic] Ita nunc Maius, qui prius solum *neque* legerat idque additamento *Romae* subiuncto supplerat, donec in Add. monuit, in Cod. esse *neque hi*, in quo littera *e* a sequente *q* absorpta sit. Cuius observationis priora retractantis non memor fuit Steinack., qui *Romae* exhibet, *hic* vero in Add. affert, neque Heinr., qui lacunae signa posuit. Nobbius utrumque scripsit *hic Romae*, hoc tamen litteris inclinatis. De forma *heic*, quam reposui, mox dicetur.

nec video] Ambiguum est in codice utrum sit *nec*, an *neque*. Maivs.

optume] Vulgo *optime*.

hoc etiam taetrior etc.] Iisdem paene verbis supra II, 26 de tyranno locutus est.

belua] Cod. *velba* vitiosa metathesi, ut supra. Maivs ed. alt. Heinr. et Nobb. *bellua*.

beluast] Ita [*belua st*] ex Cod. Maius. Ceteri omnes *belua est*.

convenit] Cod. *convernit*; sed *r* videtur deleta. Maivs.

adgnatorum] Retinui cum Maio Codicis scripturam, uni Steinackero probatam, a ceteris temere spretam. V. not. ad c. 35 *adgnosco*.

*] Scilicet desunt duo folia quaternionis XLI, tertium et intimum. Maivs.

regno] Interrogationis signum, quod posuit Maius post *regno*, nos cum Heinr. et Lehn. sustulimus. [Servavit Nobbius.] Recte enim monet Lehn., quae in lacuna desiderentur, in iis Scipionem videri egisse de rege: qui cum, ut pater, omnibus prospiciat, rem publicam eam vere dici. Sed (pergit L.) et quando apud optimos summa rerum est, beatum esse necesse est populum, cum eadem *dici possint*, *cur illa sit res publica*, *resque populi*, *quae sunt dicta de regno*, i. e. cum pari modo populo prospiciant optimi, neque serviat vel domini libidinibus obnoxius sit populus. Moservs.

multo etiam magis, inquit Mummius; nam in regem potius cadit dominei similitudo, quod est unus: plures vero bonei in qua re publica rerum potientur, nihil poterit esse illa beatius. Sed tamen vel regnum malo, quam liberum populum; id enim tibei restat genus vitiosissumae reei publicae tertium.

XXXV. 47. Heic Scipio: Adgnosco, inquit, tuum

plures] Pagina est admodum oblitterata; duo igitur haec vocabula *unus* et *plures* paulo incertiora sunt. MAIVS.

vitiosissumae] Ita ex Cod. Maius. Ceteri omnes praeter Steinack. *vitiosissimae.*

tertium] Liberius populi dominium, quod graece dicitur ὀχλοκρατία, a veteribus politicis passim improbatur. (Quamquam heic intelligendam potius δημοκρατίαν dicit Lehn.) Instar omnium sit Polybius VI, 7, 57: τῶν μὲν ὀνομάτων τὸ κάλλιστον ἡ πολιτεία μεταλήψεται, τὴν ἐλευθερίαν καὶ δημοκρατίαν· τῶν δὲ πραγμάτων τὸ χείριστον, τὴν ὀχλοκρατίαν. Xenophon quoque in Ath. politia passim abominatur et subsannat popularem potestatem. Isocrates in panathenaica or. ed. Steph. p. 257 ait cunctis antiquis populis ignotum fuisse democratiae, immo etiam oligarchiae nomen. Prorsus autem Cicero imitatus videtur, vel exscripsisse, quae Isocrates sapienter disputat p. 259 sq. de tribus reip. generibus. MAIVS ed. alt.

Heic] Cod. videtur habere *huc*. MAIVS, qui reposuit id quod consuetudo Tulliana postulat quodque vel absque codice reponi oportuit, ceterorum editorum soli Steinackero probatum. De qua vocis *heic* forma dixi De pronom. tert. pers. Lat. p. 58 sq. Adde titulorum quorundam auctoritatem, commemoratorum a Pontano de aspiratione I. p. 12.

Adgnosco] Ita ex Cod. Maius: ceteri omnes *agnosco*. Illud iam firmare debebat *adgnatorum* c. 33 repertum, atque illud ipsum *adgnoscere*, quod restituendum fuit II, 25: tum firmatur idoneo huius ipsius verbi exemplo in SC. Germanico Caesari scripti fragmento, quod vulgavit Niebuhrius Mus. Rhen. 1827. fasc. 4. p. 353, ubi perspicue *adgnoscere* exhibetur, ita ut eius de formae usu aetate Ciceronis nulla dubitatio relinquatur, munitae insuper Diomedis I. p. 378 testimonio dicentis: „Item *nosco noscis;* et huic verbo veteres *g* litteram praeponebant. *Gnoscit* ait Caecilius: quoniam et praepositione addita *adgnosco* et *cognosco* dicimus. Eodem modo nonnulli *novi* veterum, *gnovi* dicentes, formabunt", ubi extrema verba ex Codd. Paris. hunc in modum refingenda sunt: *Item eodem modo nonnulli novi veterum formabant gnovi dicentes.* Itaque usu antiquis sola forma *dignosco* recepta: alterius unum Forcellinius exemplum ex Tertulliano affert, aliud exstat in Gramm. inc. in Eichenfeldii Anal. gr. p. 93. Ac nullo non tempore veteres *prognatus*, minime *pronatus*, scripserunt, quippe ea voce omnino non aliter quam cum aliqua antiqui usus affectatione vel poeticae elocutionis studio usi, reperta etiamnum in Syntrophi Instrumento donationis ed. Huschkii vs. 17. Quid? quod paene adducor, ut etiam Ciceronem in simplice voce non aliter quam *gnatus* scripsisse contendam, quod exhibent Decretum ap. Grut. p. 203, vs. 8 et Lex de magistris aquarum ap. Iordans De aquae ductibus Romae et Constantinopolis, Bonnae 1844, p. 90, de cuius inscriptionis authentia vide editorem p. 87. Tertium

p. 298 **morem istum, Spurei, aver|sum a ratione populari:**

exemplum, quod exstare videtur in SC. Gruteri p. 206, 2, quum dubium sit, afferre nolo. Genuinum vero quartum, quod suppeditat inscriptio in Revue de philologie T. I. p. 521; item quintum ex titulo in Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. p. 304. His documentis accedit Marii Victorini auctoritas p. 2456: „Nos paucioribus literis scribimus quam antiqui scribebant, ut *narus*, *navus*, *natus*, *nosco*: et illi has voces et similes istis *g* ante posita scribebant: cuius consuetudinis nos vestigia retinemus, cum scribimus *ignarus*, *cognatus*, *ignavus*, *cognosco*." Cf. Isidorus in Maii Coll. Vat. T. VI. p. XXVIII. Sed ut Ciceronis consuetudinem in voce *natus* certo vix unquam demonstrandam mittamus, de usu antiquiorum scriptorum, veluti Plauti, dubitari haud poterit, quandoquidem in SC. de Bacc. Plauti aetate inscripto GNOSCIER reperiri, atque etiam formam *gnatus* in Plauti Palimpsesto Cistell. ed. Maii p. 15 (Anal. cr. p. 213), ubi GRATVS vitiose pro GNATVS scriptum suspicor, servatam videri meminimus. (*Natus* tamen ibidem in Stichi fragmentis exstat.) Eandem formam praeterea recentiores codices Plauto innumeris locis vindicant. Neque praetereundum quod scriptor valde antiquus de nominibus impositivis in Godofredi Auct. ling. Lat. p. 1398 etiam *gnatura* antiquis probatum fuisse animadvertit. Siquid igitur discriminis in significatione inesse a veteribus magistris traditur, malo id hariolationi grammaticorum tribuere, qui quum antiqua vocis scriptura usu paullatim excidere inciperet, quippe ut illam hic illic servatam animadvertentes retinerent stabilirentque, inter utramque formam distinguere et ad discrimen significationis revocare vario modo statuerent. Atque hanc potestatis diversitatem ab ipsis usu renitente inventam esse, perversitas excogitatae differentiae ipsa luculenter prodit. Suetonius in Prati fragmentis init. „*Gnatus* est, qui ex aliquo genere efficit aliquem parentem ipse nascendo. *Natus* est in saltu equus, fructus alicuius rei. Ita alterum ad parentes pertinet et ad ius liberorum; alterum ad possessionis fructum." Paullo sanius idem §. 106 editionis a nobis mox vulgandae: „*Natus* participialiter dicitur a verbo quodam *nasci*; *gnatus* a generatione filius dicitur." Fronto, qui dicitur, de diff. p. 355 ed. Rom. „*Gnatus* filius; *natus pullus*." Iam vero aliud harum formarum non agnoscens discrimen nisi quod in aetatis ratione consistat, secundum quam primitiva scriptura per *g* paullatim in breviorem sive exiliorem transmutata, paucis vocibus, quae inde derivatae sunt, exceptis, unice usu vulgari recepta sit, minime immemor fui eorum, quae ingeniose ea de re nuper commentus est Naekius Prohoemio lect. acad. Bonn. 1831, qui apud Plautum, ad cuius poetae consuetudinem unice explorandam sese applicuit, utrum *gnatus*, an *natus* scribendum sit, quaerens, rem duabus his potissimum regulis generalibus absolvi existimavit: 1, *gnatus* scribendum esse omnino tum quum substantivi partes sustineat, ut idem sit quod filius; tum in alliteratione, veluti in hac verborum iunctura *genere gnatus*, *genere prognatus*, *ingenio gnatus*. 2, *natus* ceteroquin scribendum esse, praesertim ubi adiectivum sit, vel ubi in alliteratione cum littera *n* ponatur. Additur insuper, *gnatus* non solere genitivum adsciscere, frequenter vero pronomen possessivum *meus* etc. sibi iungere. Cf. Iahnii Jahrb. 1832. Vol. I, 4. p. 469. Haec omnia placita, quorum nullum est quod non unius alteriusve vel adeo plurium exemplorum adversantium, ab ipso Naekio notatorum, pondere elevetur, vereor ne acutius quam verius excogitata sint. Nam quod de alliterationis ratione monuit, in qua cardo rerum vertitur, id eius legis inventori indulgendum videtur, cui siquidem concedendum est, veteres emphasin aliquam vel acuminis aliquid in similiter sonantium

et quamquam potest id lenius ferrei, quam tu soles ferre, tamen adsentior, nullum esse de tribus heis generibus, quod sit probandum minus. Illud tamen non

vocum iunctura quaesivisse, tamen, neque sententia emphasin ullam postulante neque sensu ipsorum verborum singulorum sententiam acuente, solo similium sonorum concursu faceti vel ludicri aliquid eos efficere studuisse, non concedo putidum id ratus et ab ingenio veterum scriptorum quam maxime alienum. Ac confitendum eius generis plurimos esse locos, qui in alliterationis exemplis afferuntur. Deinde quum omnis alliteratio haud alium finem habere possit, quam ut audientium mentes concinentia similium sonorum advertat atque certo quodam sensu afficiat, magnopere dubito, hoc an consonantium similitudine satis effici queat, quum in pronuntiando earum potestas vocalium imperio paene opprimatur, vel certe ita eae debilitentur, ut si quid in aliqua sonorum compositione spectetur, id in vocalium potius quam in consonantium ratione quaerendum videatur. Quare tametsi eosdem vel similes sonos componendo cumulandove oratores, vel etiam poetas constat quaedam elocutionis artificia passim struxisse, tamen eos in his multo minus consonantium quam vocalium rationem habuisse certo certius est. Itaque non tanti potuit veteribus consonantium similium concursus videri, ut ideo de vulgari sermonis consuetudine recedere sibi permisissent. Num enim credibile, in sola scripturae varietate, quae inter *natus* et *gnatus* intercedit, veteres significationis discrimen quaesiisse, quum in ipsius vocis natura et forma nihil inesset, quod diversitatem significationis constitueret? Sed nolo plura, quum meum non sit, totum hunc locum explicate persequi: quae dixi dicenda videbantur, ne quum in distinguendis formis *gnatus* et *natus* alliterationis legi quidquam cedendum negarem, temere Naekio oblocutus viderer.

aversum] Cod. *amaversum*; sed prior *m* videtur deleta. Maivs. Ex Codicis scriptura Moserus effecit *tam aversum* idque in contextum suscepit. Haud male: nihilo vero melius Maii lectione, quam cum ceteris Edd. interim admisi, etsi mihi persuasum habeam, totum locum si accurate sententiam examinaveris, atque ad Codicis scripturam exegeris, modo prorsus alio ab auctore olim constitutum tibi visum iri. Est vero hic locus unus ex iis, qui absque novis scripturae subsidiis numquam satis expediantur. Maxima enim difficultas est in verbis quae post *a ratione* in Cod. sequuntur *populi fiet*, ex quibus Maius effecit *popularī: et;* Moserus *popularī. Sed*, quod in textum suscepit, ut Codicis scriptioni propius, plaudente Orellio, qui item edidit. Hactenus omnia in utraque scribendi ratione, et a Maio et a Mosero profecta, cuius in sententia parum omnino discriminis est, bene procedunt. At eorum quae continuo subiiciuntur rationem neuter editorum habuisse videtur. Quid enim id est quod lenius ferri posse quam ipse Spurius ferre soleat dicitur? Nonne aversum eum fuisse a ratione populari? Hoc nihil potest fingi absurdius, si ad Scipionis vel amicorum patientiam refertur: non potest non aliorum hominum, h. e. vulgi de Spurio existimatio significari. Si igitur de reprehensione populi hic sermo fuit, in quam Spurius ob popularis imperii odium incurrit, admodum probabile est in vitiosa Codicis scriptura *amaversum* latere *animadversum*, quo concesso etiam lectio *populi* vix pro vitio haberi poterit, immo potius in *a ratione* aliud quiddam, unde pendeat *populi*, delitescere videtur, quod quale sit, extricare mihi non contigit.

adsentior] Ita cum Maio ex Cod. Steinack. Ceteri *ass.*, ut etiam mox.

adsentior tibei, praestare regei optumateis: sei enim sapientia est, quae gubernet rem publicam, quid tandem interest, haec in unone sit, an in pluribus? Sed errore quodam fallimur ita disputando: quom enim
p. 115 optumates appellantur, nihil potest vi|derei praestabilius. Quid enim optumo melius cogitarei potest?

adsentior tibei] Cod. *adsentio aut bi.* Maivs. Ceteri praeter Steinack. *ass. tibi.* Ego minime auctor sim, ut Ciceroni hic forma *adsentio* vindicetur, tum quod praecedit indubium *adsentior*, tum quod totus hic locus vitiose scriptus fertur: quamquam consuetudo Tulliana hac in voce adhuc non satis explorata videtur. Usu quidem receptam omnino non solum Ciceroni sed ceteris quibusque bonis scriptoribus fuisse passivam formam, post ea, quae Quintilianus I, 5, 13, ubi v. Spald., monuit, dubitari nequit. Sed quoniam ea quae ex consuetudine plurium vel, ut aliis utar verbis, ex usu solo apta sunt, regulae certae numquam ita adstricta sunt, quin ex arbitrio scriptoris aliqua de caussa migrari possint, quid quoque loco quisque scripserit, eo magis saepe dubium et incertum est, quo quantum ad Ciceronis usum certe, ad quem solum oratio nunc mea spectat, Diomedis certius exstat testimonium I. p. 377, iam adhibitum olim Heusingero ad Off. I, 6, neque neglectum Goerenzio ad Legg. p. 154, Ciceronem etiam *assentio* scripsisse, sed observandi significatione. Diomedis enim verba *Assentio adobservo significat* ita ex Cod. Paris. 7493 corrigenda sunt, ut pro *adobservo*, quod est verbum nihili, legatur *autem observo*. At vanum et fictum a grammatico esse illud significationis discrimen, ipse locus Ciceronis Ep. ad Q. fratrem II, 1, unde Diomedi *assensit* reddendum, ab eodem Codice Paris. suppeditatum, exempli gratia a grammatico laudatus ostendit. Exstat praeterea *adsentio* Ep. ad Att. IX, 9, 1, recte notante Martiny-Laguna Commentario ad Cic. Epistolas, cuius reliquias vulgavit Orellius Prol. acad. Turic. 1840. p. 33. Aliud exemplum ib. II, 1, 8. Aliud olim exstabat VII, 3, 3, nunc auctoritate cod. Med. remotum. Contra Fin. I, 8 cod. Glogav. *assentiam*. Adde passive dici *assensa*, Acad. IV, 31, 99. Cf. Madvig. Emend. in Cic. I. p. 131. Lambini Tullian. emend. p. 443 ed. Klein. Tribus tantum locis apud Ciceronem reperiri observarat Klotzius Jahrb. 1841. Vol. XXXIII. p. 203, quem etiam conferas 1844. Vol. XL. p. 140. Poteritne insolentioris illius formae usus a quadam epistolicae elocutionis negligentia grata vel facile ignoscenda repeti?

praestare] Ex errore apud Steinack. *praestari.*

optumateis] Vulgo *optimates.* V. ad I, 34 *civitatium.*

in uno] Cod. *iuno*, et mox *in pluribus in.*

ita] Cum Schützio Moserus *in*, quoniam neque quae praecedant, neque quae sequantur eiusmodi sint, ut *ita* commodum locum habeat. Quidni vero referatur error iste ad praecedentem Spurii sententiam, a Scipione reiectam, *praestare regi optimates*, in qua probanda eo fallamur, quod *optimates* quum dicamus, utique optimos quosque intelligamus, in *regis* vero nomine non item de iusto rege admoneamur: quam erroris originem Scipio in seq. explanat.

quom] Ex Cod. Maius cum aliis *cum*: alii *quum.*

optumates] Cod. *optumatis*, quae terminatio primi casus esse nequit. Maivs. V. Comm. de pronom. tert. pers. Lat. p. 67 et 70. Praeter Steinack. ceteri Edd. *optimates.* Item mox in *optumo*, quod ex Cod. Maius edidit.

Quom autem regis est facta mentio, occurrit animeis rexs etiam iniustus: nos autem de iniusto rege nihil loquimur nunc, quom de ipsa regalei re publica quaerimus. Quare cogitato Romulum aut Pompilium aut Tullum regem, fortan non tam illius te reei publicae

Quom] Ex Cod. Maius *qum*. Alii *cum*, alii *quum*. Item mox quoque.
rexs] Vulgo *rex*.
aut Tullum] Cod. *autullum*, extrita ob concursum altera *t*. Maivs. Quod vult Maius in Add. ut *Tullium* scribatur pro *Tullum*, id fecerunt Heinr. et Sch. Nos vero cum St. et Lehnero *Tulli* nomen servavimus, tum quia (ut ait Lehn.) cum ordo poscit, tum, quod gravius est, quia nihil inest in *Tullo Hostilio*, quod eum iustorum regum numero eximat. Vide modo supra II, 17, ubi eum excellentem, iustissimum sapientemque ipse appellat Scipio. Moserys. Neque nunc aliter Maius, ne mentione quidem alterius sententiae facta.
fortan] Ita cod. perspicue. Est autem vocabulum omnino tullianum, et in lexica [Forcellinio inseruit Furlanettus] referendum cum *forsitan* et *fortassean* et *forsan*. Maivs. Contra Niebuhrii Ind. Lat. de coniectura Heinr. *fortean*, probante nunc Maio Indice rerum p. 373; Censor Lipsiensis *forsitan*. Vix operae pretium videtur talia commenta, in quae nemo monitus non incidat, serio exagitare, quum praesertim, quantum ad *fortean*, Ciceronis verbis quiddam inferatur, quo an Cicero omnino usus sit inter Viros doctos etiamnunc disceptatur. Nam uno loco, quo adhuc repertum est, pro leg. Manil. 8, 20, *fortean* alias ob caussas suspectum esse, monuit adversus Handium, qui citius probavit, Haasius Zeitschr. f. d. Alterth. 1838. No. 31. p. 263. Nolui igitur cum Mosero novam hanc et adhuc inauditam formam obliterare, quum praesertim stabiliendae ei inserviat *fortassan*, quod et ipsum novum Lexicisque addendum inter adverbia dubitandi Comminianus bonae notae grammaticus affert, in Codice apud Lindemannum Ineditor. Lat. Part. I. p. 14. 15. His vero formis inter se comparatis, si quidem *fortan* pro genuina habendum, quum *fortassan* non possit non esse contractum ex *fortasse an*, unde *fortassean*, simul liquet, nihil obstare quominus forma *fortean* etiam Ciceroni uti licuisse dicamus. Cum Haasio autem *fortan* in nostro loco retinente quidem, id vero non ex Ciceronis ipsius consuetudine sed pro eorum hominum, quos loquentes introduxisset, aetate admissum censente minime facio, quod archaismos illos, quibus in his de rep. libris personas usas Haasius dicit, haud magis deprehendere adhuc potui quam in aliis eiusdem conditionis libris, quales sunt et Cato et Laelius, in quibus nemo adhuc quantum sciam aeruginem illam Latinitatis reperisse sibi visus est. Si qua opus excusatione est, eam a licentiore dicendi genere, quod colloquentibus conceditur, repetere malim: quod in nostrum locum apprime quadrat, quo Scipio non demonstrantis, sed familiariter cum Spurio agentis personam induit. Atque ea inter se colloquentium indoles est, ut dicendi genere utantur, quod ad sermonem vulgarem propius accedat: quo ille ipse contractiorum formarum usus quam maxime pertinet. Si vero *fortan* (ut nihil de *fortean* dicam) ab usu Tulliano ob alias caussas mihi quidem non cognitas arcendum videatur, unae eiusmodi formulae dubitandi ei relinquuntur, quales sunt *fortasse* (*forte*) et *forsitan*, quod, ut hoc obiter moneam, Isidorus in Maii Coll. Vat. T. VI. p. xxxviii ex *forte si tandem* conflatum absurde narrat. Nam excluditur a Ciceronis consuetudine *forsan*, quod quemadmodum *forsit* tantum non poetarum

paenitebit. 48. *M.* Quam igitur relinquis populari rei publicae laudem? Tum ille: Quid tibi tandem, Spu-
p. 116 rei, Rhodiorum, apud quos nuper fui|mus una, nullane videtur esse res publica? *M.* Mihei vero videtur, et minume quidem vituperanda. *S.* Recte dicis: sed, sei meministei, omnes erant eidem tum de plebe tum senatores, vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio; utru-

est, v. Philologische Blätter I. p. 98, vel rarissimo usu apud prosae scriptores reperitur, quorum locos affert Mahne Misc. Latinitatis p. 63 sq. et *fortassis*, de quo v. Iahnii Jahrb. Suppl. II. p. 64 et Klotzii Emend. Tull. p. 28 sq. Noli denique in constructione coniunctionis *fortan* cum futuro haerere: eadem fere hic futuri vis est quae coniunctivi, cui *fortan* et quae eius generis sunt, ut *forsitan* (*fors sit an*) proprie iungi oportere dixeris. Futuro item iunxit *forsitan* Manilius V, 469.

paenitebit] Apud Tacitum hist. I, 17 Galba imp. sic alloquitur Pisonem designatum imperatorem: *imperaturus es hominibus* (Romanis) *qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Maivs ed. alt. Ex Cod. Maius *paenitebit*, quod expresserunt ceteri edd. praeter Schütz. et Orellium, quibus ob vocis etymologiam, ut puto, *poenitebit* scribere placuit. Ut vera fortasse haec scribendi forma fuerit, tamen alteri consuetudo favet, non solum Claudii Oratione ap. Grut. p. 502, sed etiam vetustiorum codicum auctoritate satis munita, de quorum scriptura v. Cellarii Orthogr. Lat. T. I. p. 303. Harl. Maii Auct. class. T. II. p. 338. Wagneri Orthogr. Verg. p. 463 sq. Eandemque formam tenet Cod. Mediceus Ep. ad fam. I, 1, 8. V, 1, 2. IX, 5, 2. Exhibui igitur interim Codicis scripturam hic et infra VI, 16 fin., etsi vix me contineam quo minus eam ex falsa aliqua grammaticorum doctrina ortam censeam.

Quam] Ante particulam *quam* relinquitur breve spatium, quia scilicet mutatur persona. Eiusmodi tamen indicium nullum fere est in reliquo codice. Maivs.

Quid tibi tandem etc.] Lehnerum secutus Moserus *Quid? tibi tandem* etc. scripsit, invito, ut puto, Cicerone, a quo nihil ista dicendi ratione, qua *tibi*, quod omni insuper emphasi caret, interrogationem inchoat, esse potest alienius. Immo vulgata plane Ciceroniana. De N. D. I, 29: *Quid igitur censes Apim illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis?* ad quae vide Heindorfii notata. Alia plura exempla duarum formarum interrogativarum iunctarum similia cumulavit Ramshornius Gr. Lat. §. 174, 4. p. 504.

fuimus una] De legatione hac Scipionis iis quae olim congessit, Maius nunc adiicit testimonium Diodori ed. Wess. T. II. p. 629 sq.

minume] Vulgo *minime*.

eidem] Ex Cod. cum Maio Steinack. *idem*. Ceteri *iidem*.

populari munere fungerentur] An forte prytanes intelliguntur, quos a senatoribus diversos fuisse docere videtur inscriptio Rhod. in Boeckhii Corp. T. II. No. 2530, quosque ecclesiam, tribunorum plebis paene dixeris in modum, moderatos esse, colligitur ex titulo alio Rhod. in Revue de philologie T. I. p. 267. Aliter Rossius Hellen. I, 2. p. 101. Ceterum totus hic locus de Rhodiorum re publica valde obscurus est.

utrubique] Maius ed. pr. *utrobique*, quod probarunt Orellius,

bique autem conventitium accipiebant; et in theatro et in curia res capitaleis et reliquas omneis iudicabant eidem: tantum poterat tantique erat, quantei multitudo,*** Q. XLI*

(Multa desiderantur.)

LIBRI III DE RE PUBLICA

FRAGMENTA INCERTAE SEDIS ALIVNDE REPETITA.

[XXXVI. ed. Maii.] 49. Est igitur quiddam turbulentum

Nobbius, Zellius. Illud Steinack. et Heinr. primi scripserunt. Cod. *atrubique.*

conventitium] Id est *ἐκκλησιαστικόν*, argentum quod in democratiis graecis numerabatur iis qui ad comitia convenerant. [Haec sunt ex Ind. Lat. ed. pr.] Prorsus ut nunc in conventibus aliquot academicis nummus quidam persolvitur iis qui vel conveniunt ad coetum vel in eo aliquid recitant. MAIVS ed. alt. *Ἐκκλησιαστικὸν μισθόν*, qui proprie dicatur, quominus intelligam eo prohibeor, quod qui conventitium illud accepisse dicantur, munere aliquo, sive populari sive senatorio functos Cicero diserte enarrat: immo unice spectare videtur ad mercedem magistratibus quibuscunque, qui munere suo fungentes convenissent, praestari solitam. Quod de mercede populo Rhodiorum viritim a demagogis soluta narrat Aristoteles Polit. V, 2. p. 160: id alia tempora spectat, neque de more lege constituto factum est. Popularem ea aetate, de qua Cicero loquitur, statum fuisse civitatis Rhodiorum, multa testantur collecta a Tittmanno Darst. d. Griech. Staatsverf. p. 422 et 423. Adde demi et senatus mentionem in actis publicis, atque quod notandum secundo demum loco senatum nominari, veluti Corp. No. 2529. Adde *πλῆθος τῶν Ῥοδίων* populum dici, in titulo in Revue l. l. — Ex Cod. Maius *conventicium*, quem plurimi secuti sunt: mecum Mos. et Nobb.

theatro] Eius mentionem facit Diodorus Sic. in Exc. Vat. p. 86.

capitaleis] Ex Cod. Maius *capitalis*, ut etiam mox *omnis.* Edd. more suo *capitales* et *omnes.* V. ad I, 34 *civitatium.*

eidem] *Idem* [ut ex Cod. Maius] pro *iidem*, ut supra; nisi forte mavis interpunctionem praevertere et *τὸ idem* ad sequentia referre. MAIVS. Edd. *iidem.*

multitudo] Hanc rhodiacae reip. descriptionem accuratam oppido neque alibi obviam, studiosi politici cum fructu notabunt. Ceteroquin insignis est locus apud Sallust. de ord. rep. ep. II: *neque Rhodios neque alias civitates umquam suorum iudiciorum paenituit, ubi promiscue dives et pauper, ut cuique sors tulit, de maximis rebus iuxta ac de minimis disceptat.* (Sed generatim contra promiscui generis vel sortito lectos magistratus ait Isocrates in or. areop. *οὐκ ἐξ ἁπάντων χρὴ τὰς ἀρχὰς κληροῦν, ἀλλὰ τοὺς βελτίστους καὶ ἱκανωτάτους ἐφ' ἑκάστων τῶν ἔργων προχειρίζειν.*) Par ferme rhodiacae describitur Seleucensium res publica a Tacito annal. VI, 42: *trecenti opibus aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis* etc. Oligarchiam aliis temporibus fuisse Rhodi diximus I, 31. Sed tamen Dio Chrysostomus in rhodiaca oratione adhuc eam urbem ut populari statu utentem adloquitur; nec non Aristides in secunda rhodiaca, praesertim p. 385 ed. Canteri t. II. Et ante hunc

in hominibus singulcis, quod vel exsultat voluptate, vel molestia frangitur. (Nonius v. *exsultare* p. 301.)

Sed ut ipsei seu animum periclitantur, seu vident, quid se putent esse facturos. (Idem v. *periculum* p. 364. ex Cic. de Rep. III.)

Poenei primei mercatureis et mercibus sueis avaritiam et magnificentiam et inexplebileis cupiditates omnium rerum

auctor dialogi de corr. eloq. cap. XL. Quamquam Claudium caesarem eripuisse Rhodiis libertatem ait Dio LX, 24. Maivs ed. alt. Post *multitudo* Maius supplet *senatus*.

*] Ultima haec apparet in codice nota quaternionum; reliqua enim folia tantummodo librorum notam inscriptam habent. Iamvero hic cognoscere adamussim licet, quanta pars hactenus operis de rep. in mutilo codice vaticano desideretur. Quippe quaterniones XLI ducti in paginas XVI conficiunt paginas DCLVI; habemus autem hactenus paginas CCXCII; ergo desiderantur paginae CCCLXIV; ergo hactenus caret codex parte foliorum plus dimidia. Additis tamen fragmentis cognitis libri primi et secundi et magnis partibus tertii, tenemus huc usque dimidiam materiae fere partem. Maivs.

Est igitur etc.] Primum moneo, varietates huius loci in codicibus Nonii vaticanis esse has: *quoddam* pro *quiddam*, *exsultet* pro *exsultat* et *exultat*. Quamquam melior lectio editionum confirmatur a nonnullis ex his codicibus. Deinde aio, hunc locum in Nonii editionibus plantiniana, parisiaca et gothofrediana, itemque in codicibus Nonii vaticanis (praeter unum) citari ex incerto libro Tullii de rep. Ego itaque fragmentum hoc collocavissem in lib. II, 40, ubi aliud est ex ipso Nonio sub eadem voce *exsultare*, nisi praeclarus codex urbinas-vaticanus CCCVII p. 75 id fragmentum diserte tertio libro de rep. vindicaret. Et quidem videbitur pertinere ad prohoemium, si respicias Cic. tusc. II, 21: *est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum* etc. *sed praesto est domina omnium et regina ratio, quae* etc. *fit perfecta virtus*. Maivs.

Sed ut ipsei etc.] Fortasse hic locus pertinet ad Laelii sermonem (cap. XXV) ubi dixit, eos iuste servire, qui sui iuris esse nequeunt. Maivs.

seu animum periclitantur] Edd. fragm. Cic. *seu animum* (vel *animum*) *periclitentur seu videant*. Patricius *suum animum periclitentur* etc. quod Schützius verum iudicat. *Periclitentur — vident* Ed. Basil.

Poenei] Ita [*Phoenices*] edd. plantin. et gotofr. Male paris. *Poeni*. Codd. vat. *Pione* vel *Perne* corruptissime; unus autem nihil habet ante *primi*. Maivs. Recte monet Lehn., quod est in Cod. Vat. *Pione* vel *Perne*, corruptum esse ex *Poeni*. Sigonius ad h. l. haec: Exemplum hoc de Phoenicibus quo spectaverit, plane divinare non possum. Accepit autem hunc locum Cicero ex quarto libro reip. Platonis, ubi ille docet, Phoenices a natura factos ad pecuniam coacervandam et mercaturam exercendam, cum ostendere vellet mores totius civitatis saepe privatorum moribus commutari. Verba Platonis sunt haec: ἢ τὸ φιλοχρήματον ὃ περὶ τοὺς τε Φοίνικας εἶναι καὶ τοὺς κατ' Αἴγυπτον φαίη τις ἂν οὐχ ἥκιστα. Locus hic est p. 456. Steph. 195. Bekk. Moserus. Vide ne *Poeni* verum sit, tamquam antiquitus non de Karthaginiensibus solum, sed etiam de Phoenicibus usitatum. Orellius. Neque ego aliter sentio: itaque *Poenei* suscepi, quum etiam Guelph. *Pione* exhibeat. Alia codd. et edd. vitia notarunt Edd. Basil.

exportaverunt in Graeciam. (Idem v. *merx* p. 431. indidem.)

Sardanapalus, rex Assyriorum luxuriosus, de quo Tullius in tertio de re publica sic ait: Sardanapalus ille vitieis multo quam nomine ipso deformior. (Scholiastes Iuvenalis ad Sat. X, 362.)

exportaverunt] Moserus malebat *apportaverunt*: inciderat idem etiam in *importaverunt*, quod sane lectione cod. Guelpherb. *inpotaverunt* praesidii nonnihil nanciscereturr. Nihil vero mutandum. Quod enim exportatur non ita avehitur, ut nihil restet. De off. II, 4: *earum rerum quibus abundaremus, exportatio.* Illud potius esset *asportare.* Pseudo-Ascon. ad Div. 9, 28; *Asportare aliquid ut intereat: deportare ut mutet locum.*

in Graeciam] Hunc Tullii locum imitatur manifeste Ambrosius de off. II, 14: *tyrii negotiatores docent cupidinem lucri.* Item Hieronymus epist. CXXX, 7: *negotiatoribus et avidissimis mortalium Syris.* Maivs ed. alt.

Sardanapalus] Male Maius *Sardanapallus.* Geminatae litt. *l* in hoc nomine longe alia ratio est, mere metrica, de qua alibi monitum. Ceterum de hoc rege plura iis, quae intpp. attulerunt, siquis cupiat, is nunc adeat Hupfeldii Exercit. Herodot. spec. I. p. 31 sq.

deformior] In primis observo, locum hunc Ciceronis lectum fuisse etiam abs Hieronymo prolog. ad lib. II. in Abacuc, ubi ait: *Sardanapallus insultet turpior vitiis quam nomine.* Tum haud scio an locus ponendus sit in Scipionis sermone c. XXXI, ubi de tyranno sermo fuit. Iam de Sardanapalli etymologia satis loquitur Scaliger ad Eusebii chronicon ed. Amstel. p. 63 et 64, citato hoc ipso Ciceronis loco. (Item Baehrius ad Ctesiam p. 424—436. Mr.) Denique Augustinus C. D. II, 20 corruptissimae epicureae reip. formam graphice copioseque describit, cuius picturae colores magnopere suspicor desumptos esse vel e Phili vel e Laelii oratione, id est ex hoc tertio de rep. libro; praesertim quia in sequente capite remp. Tullii memorat auctor. Sic ergo Augustinus: *Nullo modo curant pessimam ac flagitiosissimam non esse rem publicam. Tantum stet, inquiunt, tantum floreat copiis referta, victoriis gloriosa; vel quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? immo id ad nos magis pertinet, si divitias quisque semper augeat, quae quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior. Obsequantur divitibus pauperes eaussa saturitatis, atque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur: divites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant, non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis regnent. Provinciae regibus non tamquam rectoribus morum, sed tamquam rerum dominatoribus et deliciarum suarum provisoribus serviant: eosque non sinceriter honorent, sed nequiter ac serviliter timeant. Quid alienae viti potius, quam quid suae vitae quisque noceat, legibus advertatur. Nullus ducatur ad iudices, nisi qui alienae rei, domui, saluti, vel cuiquam invito fuerit importunus aut noxius: ceterum de suis, vel cum suis, vel cum quibusque volentibus faciat quisque quod libet. Abundent publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maxime, qui privata habere non possunt. Exstruantur amplissimae atque ornatissimae domus, opipara convivia frequententur, ubi cuique libuerit et*

Quid ergo illa sibei volt apsurda exceptio, nisei sei quis Athonem pro monumento volt funditus efficere? Quis

potuerit, die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes undique concrepent, theatra inhonestae laetitiae vocibus, atque omni genere sive crudelissimae sive turpissimae voluptatis exaestuent. Ille sit publicus inimicus, cui haec felicitas displiceat: quisquis eam mutare vel auferre temptaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat a sedibus, auferat a viventibus. — Quis hanc rem publicam sanus, non dicam romano imperio, sed domui Sardanapalli comparaverit? qui quondam rex ita fuit voluptatibus deditus, ut in sepulchro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quae libido eius etiam cum viveret, hauriendo consumserat. Quem regem isti si haberent sibi in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam ulla severitate adversantem, huic libentius quam Romani veteres Romulo templum et flaminem consecrarent. Maius ed. alt. De inscriptione illa Sardanapali v. Naek. ad Choeril. p. 196 sq. et Otfr. Müller et Niebuhr in eiusd. Mus. Rhen. III. 1829. Fasc. I. Adde quem vitat Naek. p. 254 Augustin. de C. D. II, 20, quem sua non ex Cic. Disp. Tusc. V, 35 (coll. Fin. II, 32) habere, sed ex Ciceronis libro III de rep., ubi Scholiasta Iuvenalis eiusdem rei mentionem eum fecisse dicit, eo intelligi posse videtur, quod Augustinus in hoc quidem libro de Civitate omnia fere quae ad rem publicam pertinent, in primis ex libris de rep. sumpsit. Accedit quod ea quoque, quae ante narrationem illam de Sardanapalo praecedunt, tam Ciceronis orationem referunt, ut vix dubium esse videatur, quin haec quoque ex Cicerone sint transcripta, ut omnino multo plura in his Augustini libris de Civitate dei ex Cicerone sunt sublato auctore repetita ad verbum, quam quae apud Orellium reperiuntur, qui ea tantum recepit, quae ipso nomine Ciceronis ab Augustino sunt allata. Sic Gerlachius in edit. minore Sallustii ea tantum recepit inter reliquias Historiarum, quae ipso Sallustii nomine ab Augustino exhibentur, neque rationem habuit sermonis ac coloris Sallustiani, quem si melius teneret, non fugisset, ea quae ex Sallustii lib. I afferuntur lib. III. c. 17 continuationem efficere eorum quae scripsit II, 18. Otto.

Quid ergo illa etc.] Ex uno Cod. Heidelbergensi, quippe in numeris diligentissimo, Krehlius hoc fragmentum libro IV vindicavit. Tertio autem item adscribit Cod. Halberstadiensis in Iahnii Jahrb. Suppl. VII. p. 253.

volt] Vulgo *vult*, ut mox quoque.

apsurda] Cod. Halberst. *absurde*. Vulgo *absurda*.

nisei sei] Maius *nisi*, quod Edd. propagarunt, Krehlium aspernati, qui illud codices quam plurimos secutus reposuit. Neque aliter Halberstad. V. Or. pro Quintio 19, 60. Plauti Curc. I, 1, 51. Duker. ad Flor. IV, 7, 15. Posterius *si* saepe in codicibus excidisse adnotat Goerenz. ad legg. I, 2, 7. Ponitur ea formula in assertione ficta, quam stare non posse ex re ipsa colligitur, vel expresse significatur, ut hoc loco.

Athonem] De hac nominis forma a recentioris aetatis usu, quo Graeci Ἄθων dicerent, Latinis adscita v. praeter Schneideri Formenlehre d. Lat. Spr. T. I. p. 77, quem Moserus affert, Thesauri ab H. Steph. conditi editores Parisienses T. I. p. 876. 877. Comparari potest quod in dialecto Syracusanorum ἧος in casibus obliquis ν adsciscit: de quo usu v. Ahrens De dial. Dor. p. 241. Cod. Halberstad. *Athon*.

efficere] Ex nonnullis Codd. Krehlius *efferri*, quod quin reciperet ipse parum abfuisse ait Moserus, dictum quippe, ut puto, pro in sublime ferri, ut Tusc. I, 17: *ut a terra longissime se efferant*. Liv. XXI, 30:

enim est Athos aut Olympus tantus? (Priscianus l. VI. c. 13. §. 70. ex Cic. l. III. de Rep.)

[XXXVII. ed. Maii.] *Enitar suo loco, ut ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit res publica et quid sit populus, loquente Scipione, breviter posuit: attestantibus etiam multis, sive ipsius sive eorum, quos loqui fecit in eadem disputatione sententiis, numquam illam fuisse rem publicam, quia numquam in ea fuit vere iustitia. Secundum probabiliores autem definitiones pro suo more quaedam res publica fuit, et melius ab antiquioribus Romanis quam a posterioribus administrata est.* (Augustinus C. D. II, 21. Tom. V. p. 133.)

Nunc est locus, ut quam potero breviter ac dilucide expediam, quod in secundo huius operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de re publica, numquam rem publicam fuisse Romanam. Breviter enim rem publicam *definit* esse rem populi. *Quae definitio si vera est, numquam fuit Romana res publica, quia numquam fuit res populi, quam definitionem voluit esse rei publicae.* Populum esse *definivit* coetum multitudinis, iuris consensu

non pennis sublime elatos Alpes transgressos, ubi nihil movendum. Sed quae tum loci sententia sit, non facile est ad divinandum. Nihil verius vulgata *efficere*, etiam a Cod. Halberstad. firmata, ad sensum loci, cui explanando nullus editorum adhuc vacavit: quamquam libenter concedo, locum ab omni parte non ita expediri, ut nulla non oboriatur de singulis vocibus dubitatio. Etenim Ciceronem suspicor hic respexisse ad inanem illam iactantiam architecti clarissimi Dinocratis, de quo diximus De columna Alexandrina Pompeii p. 238 (Memorie dell' inst. archeol.) sive alius quispiam fuit (nam in nomine variatur), qui Alexandro M. Atho montem in effigiem eius et statuam exsculpturum sé pollicitus esset: de qua iactatione ab Alexandro improbata v. Silligii Catal. artif. p. 186. Cui sensui loci admodum respondet vis verbi *efficere*, quod constat eodem significatu quo *effingere* passim dici. V. Colomesii Opusc. Amstelod. 1700. p. 263.

*] Sequentes Augustini locos idcirco in serie non posui, quia in his solus loquitur Augustinus. Eosdem tamen heic attexere iuvat, quia habent interstincta Ciceronis de rep. fragmenta, cursumque illius orationis demonstrant, qua Scipio tertium librum conclusit. Maivs.

quaedam] Ante Moserum sine sensu *quodam* vulgatum, quod cum illo ceteris edd. sequentibus ex Viv. ed. Maius recte nunc correxit.

Quae definitio — voluit esse rei publicae] Haec verba olim a se omissa Maius nunc in contextum suscepit, in notis posita a Mosero. Ceteri ea neglexerunt. — Postremo notandum, his ex lib. III. fragmentis sedis incertae accedere aliud obscurum et vitiatum, Nonio laudatum, de quo v. ad VI, 2.

et utilitatis communione sociatum. *Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat, per hoc ostendens* geri sine iustitia non posse rem publicam: ubi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit; quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: quum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiae fonte manaverit; falsumque esse, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, utile est. Quocirca, ubi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus coetus hominum non potest esse; et ideo nec populus, *iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem*: et si non populus, nec res populi; sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. Ac per hoc, si res publica res populi est, et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia est: procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rem publicam. Iustitia porro ea virtus est, quae sua cuique distribuit. (Augustinus C. D. XIX, 21. Tom. V. p. 1177.)

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

Quoniam civitas hominum est beate honesteque vivendi societas, haud sane potuit fieri, quin, quum de iustitia, qua vitae beatae conditio continetur, libro superiore disputatum esset, iam de moribus et conformandis et tuendis sermo institueretur. Ac praeterquam quod duo illa, quae sola codex Vaticanus praestat, huius libri fragmenta publicam iuventutis disciplinam attingunt, qui ab aliis scriptoribus vel diserte hoc ex libro afferuntur, vel, ut Maio quidem videtur, ex eodem sunt repetiti, loci eodem tendunt omnes. Sunt enim alii de tuendis institutis, moribus, virtutibus, alii de earumdem rerum tuendarum rationibus. Hinc sermo de virorum notandorum iure poetis, praesertim in scena, denegando, et solis Censoribus concedendo, de mulierum autem censura unis viris relinqueuda. Nobbivs. *

*] Loco argumenti libro quarto Maius in ed. alt. his praelusit: „Operis de rep. tres libri posteriores maximam partem desiderantur. Quid autem in his disputatum fuerit, coniectura levi, sed fortasse non spernenda, divinare licet e Menedemi sermone apud eundem Tullium de or. I, 19, disserentis de prudentia quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum: nempe de iis quae statuenda essent in rep. circa deos, disciplinam inventutis, scribendas leges, iustitiam, fidem, patientiam, temperantiam, frangendas cupiditates, conformandos hominum mores, vitae dignitatem, modum rerum omnium, ceteraque sine quibus civitates aut esse aut bene institutae esse non possent. Iam nominatim in quarto libro egit Cicero de reip. moribus; sed eius disputationis nec multa nobis nec cohaerentia fragmenta supersunt. Codicis quidem quatuor tantum pagellas habemus; verum in editis paulo copiosiorem materiam. Has, inquam, omnes particulas qui consideret, sentiet Tullium egisse primo ferme de puerorum institutione (ut Plato in tertio suo de rep.), quam Polybius veluti nullis regulis certis apud Romanos constitutam criminatus fuerat. Contra Cicero puerilem Graecorum institutionem graviter obiurgat, inverecundia videlicet et absurdis amoribus inquinatam: romanam autem pudicitiam temperantiamque virilem et femineam dilaudat, et censoriam adversus

I. 1. *Temptabo tamen, quoniam corporis et animi facta*

mores potestatem celebrat. Ceteras quoque virtutes, fidem, domesticam concordiam, parsimoniam, aliasque commendat. Illud etiam e quibusdam indiciis magnopere auguror, vapulavisse scilicet a Cicerone Platonem ob inductam rerum omnium in rep. communionem. Et rei quidem familiaris communionem improbavit Cicero, quia ipse in officiis II, 21 (quod opus partem hanc moralem Tullii amissam reparat) ponit inter causas praecipuas civitatis constituendae *ut sua quisque teneat*. Socratis autem apud Platonem doctrinam de uxoribus, nedum Cicero, sed ut verbis Salviani utar (de gub. VII, 23) omnes repudiaverunt. Itaque ut omittam Aristotelis reip. II, 2 sqq. criminationem, ipse Plato divinam cecinit palinodiam de leg. VI. p. 772, praesertim vero VIII. p. 841. Neque ipsi Aristoteli Ciceronem pepercisse puto suadenti reip. VII, 16 immanem sententiam de liberis nonnisi perfectis alendis, deque abortibus procurandis natisve exponendis, si copiosiore, quam fert patrimonium, numero procreentur. Profecto singillatim vituperat in reliquiis Cicero morum illas sollemnes corruptelas, theatrum et musicam: quae sine dubio capita a diversis dialogi personis recitata fuerunt. Invehitur autem praecipue in graecorum comicorum libertatem, qui summos viros in theatro saepe traducebant; quae licentia romanis legibus merito vindicabatur. Addit Cicero generalem scenicae artis vituperationem, cuiusmodi homines apud Romanos solebant tribu moveri. Sed nec oratorum vitia, qui eloquentia ad decipiendos iudices abuterentur, neque poetarum corruptelam dissimulavit: ita tamen ut post accusatam oratoriam artem atque poeticam, patrocinium earundem, quatenus rei veritas honestasque patiebatur, non neglexerit." His iam nomine „aliarum coniecturarum" subiicitur ex pr. ed. Scholion de quarti libri fragmentis, in paucis iisque levissimis mutatum, etsi longius, hic tamen non omittendum. „Lactantium, inquit Maius, duplici et vera laude ornat Hieronymus (ep. 58 et 70) quod nempe quasi quidam fluvius eloquentiae tullianae fuerit, et quod dialogorum Ciceronis epitomen fecerit. Dialogorum autem tullianorum nomine libros fere de rep. abs Hieronymo aliisque auctoribus κατ' ἐξοχήν significari, sapiens Patricii et A. Schotti observatio est, quia scilicet nulla disputatio maiore sit contentione habita aut inter plures. Iam quantum e superioribus de rep. libris Lactantius decerpserit, liber meus late demonstrat, etsi nondum cumulate: puto enim esse alias apud hunc auctorem (nec non apud Augustinum aliosque) civiles Tullii reliquias, quas deinceps, ut auguror, doctorum virorum acumen deteget, et in sedes quamque suas quasi postliminio revocabit. Nunc ego quartum de rep. librum adumbraturus, cuius minimum in vaticano codice fragmentum superest, pauca alia apud quosdam veteres; ad Lactantium denuo respicio, in huius quippe operibus imaginem mihi quandam praedicti libri deprendere videor.

Mores et disciplinam reip. informavisse hoc libro Tullium in confesso est: cunctae enim eo spectant reliquiae. Porro Lactantius sive in institutionibus VI. 20—24, sive etiam in epitome cap. 62. 63 de moribus ita disserit, ut tulliana fragmenta ad ejus orationem facile accommodentur. (Immo etiam Hieronymus adv. Iovin II, 8. Tullium expilare videtur.) Scribit enim Lactantius contra quinque sensuum voluptates. Et in voluptate quidem oculorum spectacula vituperat circi et scenae: in aurium voluptate musicam, nec non carminum ac suavioris orationis illecebras: in voluptatibus saporis et odoris satis habet dicere, turpe esse sapienti ac bono, si ventri et gulae serviat, si unguentis oblitus ac floribus coronatus incedat: intactus voluptate libidinem gravi et multa oratione castigat. Generatim vero parsimoniam, continentiam, simplici-

mentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas intel-

tatemque vitae commendat. Quibus peroratis, ait cap. 24: *haec est illa lex Dei, ut a Cicerone dictum est, praeclara et divina, semper quae recta et honesta iubet . . . cuius legis pauca equidem capita posui* etc. Illam quoque imitationem esse constat, quod tam in Tullio quam apud Lactantium disputationem de iustitia sequitur haec doctrina de moribus. Sed enim ordinem tulliani libri utrum Lactantius in tanta, qua utitur, libertate servaverit, incertum est: immo ab eo saepe desertum arbitror. Quamobrem ego has reliquias etsi quaedam in capita conglobavi, sedem tamen earum primitivam et veram divinare non queo. Nam et prisci fragmentorum de rep. sarcinatores, Sigonius atque Patricius, quantopere a vera serie, nulla ipsorum fraude, aberraverint, nunc demum editione mea patefactum est.

Iam quod Lactantius de opif. D. cap. I. ait, Tullium temptavisse in quarto de rep. libro rationem animi et corporis explicare; id quidem ad libri initium pertinere videtur: nam qui de moribus dicturus erat, recte admodum isto pacto praefatus foret: atque ita Cicero ingreditur in moralem legum tractatum, praeposita (leg. I, 7 et 8) corporis terrestri, animi vero divina, origine. Morum quippe solus homo capax est: facta autem humani corporis et animi descriptione, sequitur ea conclusio, ut potior hominis pars esse animus dicatur, in quo reapse sunt mores: quare et homo definitur *animans moralis.* Atque haec est doctrina Varronis apud Augustinum C. D. XIX, 3; immo potius Antiochi, qui teste eodem Augustino, magister Varronis et Ciceronis fuit. Valde igitur suspicor Tullium hoc loco et praeceptoris Antiochi et Varronis amici doctissimi orationem usurpavisse. Summum bonum in philosophia Varro quaerit *non pecudis sed hominis.* Cicero item, ut mox videbimus, *idem esse non putabat arietis et P. Africani bonum*: quae videntur verba interloquentis cujuspiam, Laelii fortasse, qui librum quartum exorsus sit. Varro sentit *in hominis natura duo esse quaedam, corpus et animam, et horum quidem duorum melius esse animum longeque praestabilius, non dubitat.* Cicero quoque, Lactantio et Petro blesensi testibus, *pluris esse animam praestabilioremque corpore adfirmavit.* Porro haec omnia quam recte ad disputationem de moribus ducant, nemo non videt. Lactantius rursus inst. III, 8. tulliane loqui videtur: namque hominis bonum statuit esse diversum a ceterorum animantium bono: exin Tullii sententiam memorat, qui virtutem summum hominis bonum putavit. Et Lactantius quidem jure decernit hominem colendi Dei gratia esse natum; addit tamen, servire Deo, nihil aliud esse, quam bonis operibus tueri et conservare iustitiam, de qua scilicet virtute in praecedente civili Tulli libro sermo fuit. Denique sententiam, quam alibi tullianam dicit, heic quoque inculcat Lactantius, *pluris* videlicet *esse animam quam corpus.* Atque his indiciis haud satis scio, utrum illam de corpore et animo non longam disputationem, quam in Ciceronis quarto de rep. Lactantius legebat, saltem cognoscere liceat.

Denique inter eos, qui Ciceronis de rep. opus legerunt, vix dubito, quin martyr Cyprianus numerandus sit: rhetor quippe fuit gloriosissimus, ejusque eloquentiam eximiis meritisque laudibus a Lactantio inst. V. I, atque abs Hieronymo de vir. ill. et. ep. 58 et 70 elatam videmus. Is autem in aureo ad Donatum opusculo sic circi, scenae, privatarum domuum, et deinde fori flagitia describit, ut cum fragmentis quarti de rep. libri non rebus solum, verum etiam quadam sermonis serie valde congruere videatur. Rursus quae ibidem Cyprianus graphice addit de ambitionis et de luxus aç superbae potentiae malis, ea pariter et cum his fragmentis non pugnant et cum Scipionis verbis consonant,

legentiae meae pervidet, explicare. Quod officium hac de caussa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de re publica libro, quum id facere temptasset, materiam late patentem angustis finibus terminavit, leviter summa quaeque decerpens. Ac ne

quae is in primo de rep. libro cap. XVII dicit de rerum humanarum despicientia."

Temptabo] Vulgo *tentabo*, ut mox *tentasset*. Praeterea subieci ex Lactantio *tamen*.

intellegentiae] Ita cum Maio solo edo. Quum enim tum huius formae per *e* scriptae, tum v. *neglegere* usum a Tullii certe consuetudine alienum putassem, quippe codicibus de more seculorum posteriorum illatum, nunc meliora edoctus errorem meum ita corrigere studui, ut exinde saltim genuinam scripturam Ciceroni vindicaverim. Fidem enim intellexi habendam esse tam antiquissimis quibusque codicibus, qui miro consensu *e* retinent, quam monumentis inscriptis, quorum nullum novi, quod alteram formam per *i* scriptam exhibeat. Quodsi ille scribendi modus iam ratione originis habita praestare atque antiquorum usu receptus debeat videri, cuius sententiae vim minime frangit quod in titulo sepulchrali sane antiquissimo a Mommsenio Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. No. 38 edito *perlige* scriptum exstat, tum quod diversae rationis est, tum quod et ipsum in suspicionem incidit propter *perlegit*, in titulo circa Tiberii fere tempora inscripto, in Zeitschr. l. 1835. No. 36: tum etiam postero tempore eam in usu vulgari mansisse, certo colligitur ex Edicto Dioclet. (Mai Coll. Vat. T. V. p. 300), in quo et *intellegatur* et *intellegant* reperitur. Neque moror *pellige* in titulo vetustatis stylum affectante, si modo genuinus est, in Syllog. p. 329 et Orell. No. 4848.

quarto] Recolenda sunt quae de hominis descriptione tulliana diximus in scholio ante tertium librum. Certe lectio Lactantii *quarto* (non *tertio*) sana esse videtur; sic enim habet editio princeps sublacensis anni MCCCCLXV; sic item romana in aedibus Petri de Maximis anni MCCCCLXVIII, aliaeque octo decimi quinti saeculi, quas in manibus habeo, Lactantii editiones. Habet *quarto* etiam codex vetustissimus bononiensis, et tres taurinenses, uti me certiorem fecerunt per litteras viri illustres Phil. Schiassius et Amed. Peyroneus. Maivs.

temptasset] Hoc loco post *temptasset* vulgo interponitur particula parum Ciceroni honorifica *nihil prorsus effecit, nam* [alii *et*] etc. Sed tamen hac particula merito carent editio sublacensis, editio praedicta romana, nec non veneta anni MCCCCXC permultique codices. In codice autem bononiensi ea particula scribitur in inferiore paginae margine, manu posteriore, etsi antiqua, uti me monuit cl. Schiassius. At enim spuriam esse particulam satis arguit ipse Lactantius, qui inst. II, 10 tullianam illam hominis descriptionem adhuc memorans ait Ciceronem eam esse exsequutum *pluribus quidem locis, sed tamen materiam tam copiosam et uberem strictim contigisse*. Non ergo ait nihil prorsus Tullium effecisse. Quid quod reapse Cicero N. D. II, 53 sq. non strictim, sed copiose eam materiam scribit? Utrum vero divus Ambrosius hexaem. VI, 7—9 in illa luculenta hominis descriptione libros Ciceronis de rep. tertium scilicet vel quartum, imitetur, nescio equidem: sed argumentum certe persimile est; antiquitas autem et eruditio Ambrosii facit ne temere suspicari videar. Utique Ambrosium Ciceronis de rep. legisse libros, evidenter alibi demonstravi. Maivs ed. alt.

leviter] Villem. *leniter*.

ulla esset excusatio, cur eum locum non fuerit executus, ipse testatus est, nec voluntatem sibi defuisse nec curam. In libro enim de legibus primo (c. 9.), *quum hoc idem summatim stringeret, sic ait: Hunc locum satis, ut mihi videtur, in his libris, quos legistis, expressit Scipio.* (Lactant. de opificio divino cap. 1.)

Atque ipsa mens, quae futura videt, praeterita meminit. (Nonius de num. et cas. p. 500. ex Cic. l. de Rep. IV.)

Praeclare M. Tullius: Etenim sei nemo est, *inquit*, quein emorei malit, quam convertei in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem sit habiturus: quanto est miserius, in hominis figura, animo esse efferato? Mihci

curam] Haec verba *nec voluntatem sibi defuisse nec curam* ii qui fragmenta de rep. consarcinaverunt, scribere solent separatim tamquam puta tulliana; quod contra omnino est: Lactantii quippe sunt, dicentis fidem fecisse Tullium nec voluntatem exsequendae rei sibi defuisse nec curam, quia nimirum ipse declarat in legibus I, 9, videri sibi Scipionem satis eum locum expressisse in libris de rep. Immo illis verbis *nec voluntatem* etc. imitatur Lactantius Tullium de rep. III, 8. Maivs.

quos legistis] Var. lect. *quos de rep. legistis*, quod glossema videtur. Maivs.

Etenim etc.] Quonam ex opere Tullii sequentia verba sumat Lactantius, incertum est; videtur tamen ex hoc quarto de rep. sumere, propter illam comparationem animae et corporis. Nisi forte locus pertinet ad tertium librum, id est ad Laelii sermonem, quo fortasse dixerit in lacunis post cap. XXII hominem detracta iustitia immanitatem gerere beluae in hominis figura, ut de off. III, 20. Sane utrumque Tullii locum vel sibi vindicat vel imitatur Lactantius de ira D. XII et de op. D. III. Vide et Ambros. off. III, 13. Maivs. Nobbius Fragm. locorum Ciceronis incertorum p. 9: „Haec Patricius e Cic. l. de Off. (c. 20) derivata; Maius aut l. de rep. III post c. 22 aut l. IV excidisse coniicit, hic, quod in primo huius libri fragmento Vaticano insit animae et corporis comparatio, illic, quod Laelius dicere potuerit, *„hominem detracta iustitia immanitatem gerere belluae in hominis figura.*" Horum quid verum sit, nemo quisquam certo dixerit. Nam quamquam non admodum credibile est, Lactantium, qui ipsa Ciceronis verba transscribere vellet, adeo ab eius oratione deflexisse: tamen Patricii ratio ad veritatem propius accedere videtur, quam Maii, qui nonnisi ad proferendos Rei publicae fines omni cogitatione fertur." Nunc vero Maius Add. ed. alt. p. 386. adnotat: „Lactantii locum *etenim si nemo* etc. prorsus velim retractum ad lib. III, 22 subiunctumque, nullo verbo interposito, Lactantii eiusdem verbis *supplicia quae putantur effugerit.* Id ergo et in principe et in altera hac editione dixeram; postea in ea me opinione confirmavit cl. Beierus litteris ad me datis." In tam incerta rei conditione non tanti visum vulgatum ordinem deserere.

quein emori] Ern. et Schütz. *qui non mori*; alii *quin mori*. Maiore cum vi compositum dicitur, ita ut plane interire significet, quale illud est dictum Ciceronis de Off. III, 32, 6: *aut vincere, aut emori.*

quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore. (Lactant. Inst. V, 11.)

Ait quodam loco Tullius, se non putare, idem esse arietis et P. Africani bonum. (Augustin. contra Iulian. Pelag. IV, 12. Tom. VII. p. 1048.)

Eademque obiectu suo umbram noctemque efficiat, quom ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem. (Nonius v. *aptam* p. 234. ex Cic. l. IV. de Rep.)

Quomque auctumno terras ad concipiendas fruges patefecerit; hieme ad conficiendas relaxsarit; aestiva maturitate alia mitigaverit, alia torruerit. (Nonius v. *mitis* p. 343. ex Cic. l. IV. de Rep.)

Quom adhibent in pecuda pastores — (Nonius v. *pecuda* p. 159. ex Cic. l. IV. de Rep.)

Armillae, quae nunc vocant brachialia. Sic Cicero

corpore] Petrus Blesensis epist. LXXXV ait: *Cicero et Apuleius et, quod maius est, Augustinus et Hieronymus testantur plus esse animam quam corpus.* Adde et Lactantium inst. III, 9 ff. 16. Floruit saeculo post Christum duodecimo Petrus; qui utrum Ciceronis libros de rep. legerit nec ne, merito ambigendum est. Ad Petri Blesensis locum quod adtinet, conferatur Cicero fin. V, 21 et Off. II, 13. Maivs.

bonum] Hunc locum magnopere existimo e libris de rep. fuisse petitum, tum propter Africani mentionem, tum quia ibidem Augustinus non semel expilat politicum Ciceronis opus. Conferendus est idem Augustinus in ps. XCIX, 5; praesertimque Lactantius inst. III, 8, et epitom. XXXIII. Maivs. A Maio se dissentire profitetur Nobbius Fragm. libror. Ciceronis incertorum p. 8.

Eademque etc.] In Ed. Aldina ad calcem Cornu copiae Nic. Perotti p. 1312 sq. hic locus ita legitur: *Aptam, necessariam. M. Tullius de rep. lib. IV. Eademque obiectum vivo, atque umbram noctemque efficiat, cum ad numerum dierum aptum ad laborem quietum.* [Plane ita Nonii cod. Guelph.] In Edd. Fragm. Cic. est *eademque soli obiecta umbram* etc. Sed Sigonius reperit in libris: *eademque obiectam vivo*, annotavitque: His verbis, quamquam mendosis, satis certum est de terra disseri, quae obiecta soli diem noctemque ad humanorum laborum requietem efficiat. Sic enim etiam locutus est de Natura deorum [II, 19, ubi v.]: *Umbra terrae, soli officiens, noctem effecit.* Mosgavs. Cf. supra I, 16: *solem lunae oppositu solere deficere*, ubi v. not.

quom] Vulgo *cum* vel *quum*, ut etiam mox.

auctumno] Maius cum aliis *autumno*.

hieme etc.] In Edd. Fragm. Cic. hic locus ita legitur: *hieme ad conficiendas* (al. *concipiendas*) *compresserit, vere ad effundendas relaxarit* (Patr. *diffundendas*) *aestate ac maturitate alias* (Patr. *ad maturitatem alia*) *mitigaverit, alias* (Patr. *alia*) *torruerit.* Ubi Sch. in Ed. Fragmm. Cic. 1817 ait: lectio *ad maturitatem* sine dubio vera est: altera Patricii emendatione *diffundendas* facile caremus. Mosgavs. Pro *aestate* codd. Vaticani, teste Maio, *a fistula*, quod Guelph. quoque exhibet.

relaxsarit] Vulgo *relaxarit*.

Armillae etc.] Maio duce, qui in hac sententia sibi etiam in alt.

in IIII de re publica. (Priscian. super XII. ver. Virg. c. 2. §. 14.)

II. 2.*** gratiam. Quam commode ordines descriptei, p. 111
aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus: nimis multeis iam stulte hanc utilitatem tollei cupientibus, quei novam largitionem quaerunt aliquo plebei scito reddendorum equorum.

III. 3. Considerate nunc cetera quam sint provisa sapienter ad illam civium beate et honeste vivendei societatem: ea est enim | prima caussa coeundei, et id p. 112
hominibus efficei ex re publica debet, partim institu-

ed. constat, Nobbius, Moserus, Orellius, Zellius hoc fragmentum ita exhibuerunt: *Cicero in quarto de re publica Armentum et ab eo armentarius.* De hac scriptura et loci totius conditione rectum ut ferre possimus iudicium, opus est integra Prisciani verba adscribere, qualia nunc apud Krehlium T. II. p. 281 et Lindemannum Prisc. Opp. min. p. 13 leguntur: „Fac derivativum ab eo [*arma*]. *Armarium, armamentum, armamentarium* [Lindem. *armentarium*, fortasse operarum errore], *armillae*, quae nunc vocant *bracchialia* [Lindem. *brachialia vocantur*]. Sic [abest a Lind.] Cicero in IIII de Republica. *Armentum*, et ab eo *armentarius.* Dic verbum denominativum [*ab eo* addit Lind.]. *Armo, as, at* etc." In his cuius vocis gratia Cicero citetur, magnopere variant editores. Maius et qui eum secuti *armentarius;* Krehlius *brachialia.* Utrumque Ernestius. At nihil horum verum. Accuratius enim loci structuram intuenti patebit verba *armentum et ab eo armentarius* Prisciani esse, quibus in ceteris derivatis v. *arma* afferendis pergit: atque veterum de sententia eum ab *armis* recte *armentum* quoque derivasse, docent quae ea de re scripsit Scholiasta ad h. l. Prisciani a Lindemanno editus p. 288, conferenda cum Glossario Vatic. in Maii Auct. class. T. VIII. p. 25. Itaque, ipso usu vocis *sic* poscente (v. p. 325 Krehl.), Cicero aut *armillae*, aut *brachialia* dixisse putandus est. Hoc vero fieri nequit ob ea quae adiecit Priscianus *quae nunc vocant.* Non potest igitur non *armillae* ex Cicerone afferri: quae etiam Lindemanni sententia fuisse videtur. Heinrichius fragmentum prorsus omisit. In Edd. fragm. Cic. scribitur *armentum habeo.*

*] Folium unicum in vaticano codice superest cum inscripto titulo quarti libri. Etsi autem hae quatuor pagellae valde exiguam particulam habent, nihilominus id confirmant, quod edita fragmenta innuebant, nempe quarto libro actum fuisse de disciplina reip. deque moribus instituendis; quod ut fieret, postulavit a Scipione Tubero II, 38. Maivs.

in quo suffragia sunt etiam senatus] Heinrichio praeeunte post *sunt* comma posuerunt Nobb. Moser. Zellius, Orellius, qui probabilem esse adnotat Niebuhrii coniecturam *sex suffragia:* sed invito loci sensu, acute exposito a Madvigio Opusc. T. I. p. 74 sq. omnino de toto hoc loco consulendo, nunc etiam Mommsenio Röm. Tribus p. 89 sq.

multeis] Cod. *multi.*

plebei scito] Vulgo *plebiscito.* V. ad I, 3. p. 14.

nunc] Orellius hic comma ponit, Moserus post *cetera.*

caussa] Ita scripsi cum Nobbio.

teis, alia legibus. Principio disciplinam puerilem ingenueis, de qua Graecei multum frustra laborarunt, et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum neglegentiam accussat, nullam certam aut destinatam legibus, aut publice expositam, aut unam omnium esse voluerunt. Nam***

(Desiderantur paginae neque plus octo neque minus quatuor. MAIVS.)

Secundum Tullium, qui dicit, ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regantur. (Servius ad Virg. Aen. V, 546.)

Non modo ut Spartae, rapere ubei puerei et clepere discunt. (Nonius v. *clepere* p. 20 ex Cic. IV de rep.)

IV. 4. *Adeo ut Cicero dicat in libris de re publica*, opprobrio fuisse adulescentibus si amatorem non haberent. (Servius ad Virg. Aen. X, 325.)

puerilem ingenueis] Zachariae Betr. über Cicero's Werk vom Staate p. 244 coni. *puerorum ingenuorum*, bene refutatus a Mosero.

neglegentiam] Vulgo *negleg.*

accussat] Fortasse libro historiarum sexto, in quo Romanorum politiam accurate Polybius scripserat. Et quidem Polybius I, 64 promittit accurate descripturum Romanorum politiam, quod utrum peculiari opere fecerit, an sexto historiarum libro, lis criticorum est. Sed certe Cicero polybiano illo scripto in primis usus est, ore Scipionis discipuli recitans praeceptoris Polybii opus. MAIVS ed. alt. Vulgo *accusat.*

ad militiam etc.] Quamquam Servius ex incerto Tullii opere locum laudat, nihilominus haud vana coniectura est, eum ad hanc sedem pertinere. MAIVS.

Non modo etc.] Hoc fragmentum et sequens, quae Maius secuti editores post caput quartum collocarunt, eodem nunc duce rei convenientius visum hic statim inserere, alteroque caput quartum inchoare.

pueri] Omisit Lehn.

discunt] Hunc pessimum Lacedaemoniorum morem magnopere castigat Isocrates in panath. ed. Steph. p. 277; cuius sententias vix dubito quin in hoc Ciceronis loco, si integer esset, haberemus. MAIVS ed. alt. Notemus insolentem vocem *clepere*, qua Cicero ipse nunquam usus est, nisi ubi antiquum dicendi genus consulto imitatur, ut legg. II, 9, 22. Singulari huius verbi usu, quippe a prosae scriptoribus alieno, offensus Madvigius ad Fin. V, 25, 75 totum hunc locum pro veteris poetae verbis a Tullio orationi insertis habendum censet: cui coniecturae etiam favere ait v. *ubi* positionem.

in libris] Lambinus in notis ad prohoemium Nepotis tribuit hunc locum quarto de rep.: coniecturane an aliqua fretus auctoritate? Malo equidem ad Lambini, quam ad Schotti sententiam accedere, qui nod. Cic. III, 5 locum e quinto de rep. citat. MAIVS.

non haberent] Nempe de Cretensibus Spartanisque sermo est. Strabo X. p. 740 et Servius citato loco. Pergebat autem, ut arbitror, Scipionis invectio adversus Graecorum *παιδεραστίαν*; dissimulans tamen, hono-

***ri, nudarei puberem. Ita sunt alte repetita quasei p. 113
fundamenta quaedam verecundiae. Iuventutis vero exsercitatio, quam absurda in gymnasieis! quam levis epheborum illa militia! quam contrectationes et amores solutei et liberei! Mitto apud Eleos et Thebanos, apud quos in amore ingenuorum lubido etiam permissam habet et solutam licentiam. Lacedaemoniei ipsei quom |omnia concedunt in amore iuvenum praeter stuprum, p. 114
tenuei sane muro dissaepiunt id, quod excipiunt:

ris causa, quae Plato ipse de puerorum amoribus in convivio scripsit atque in Phaedro; quibus ceteroqui medicinam fecit idem leg. I. p. 363. Exin notavisse videtur Scipio quae circa puerorum iuvenumque institutionem in rep. viro romano sanioribus adsueto partim flagitiosa partim absurda videri debebant. Sane ipse Cicero tusc. IV, 34, licet Platonis reverentissimus, fatetur nihilominus hunc non iniuria fuisse accusatum qui amori auctoritatem tribuerit. Maivs ed. alt.

nudarei puberem] Vocabulum *nudari* superadditur in codice inter *ri* et *puberem*. Id nisi vocabulum fuisset superadditum, haud erat absurdum hiatus finem ita fere sarcire: *more romano cum patre filium non solere lavari puberem*; rem testantur Cic. Off. I, 35. de or. II, 55. Plut. in Cat. cens. XX et quaest. R. T. VII. p. 109. Ambros. off. I, 18. Valer. M. II, 1, 7; quem postremum auctorem ex hoc quarto de rep. multa in suum primum secundumque librum derivavisse, merito existimat censor lipsiensis apud Moserum [p. 411]. Ad locutionem *nudari puberem* num illud quoque referendum est, quod egressi pueritia primo anno iubebantur *brachium toga cohibere*? scilicet ne reiecta toga corpus iuvenile nudaretur, quum prisco more toga sine tunica uterentur, campestri cincti. Pronum autem mihi creditu est, hac fere lacuna laudavisse Tullium Ennii illum versum, ut tusc. IV, 33: *flagitii principium est nudare inter cives corpora*. De pudicitia Romanorum lege Dionysium halic. VII, 72. Citatur a Servio aen. IV, 45 Varronis de pudicitia liber, quem Cicero inspexisse credendus est. Maivs ed. alt.

verecundiae] Ita cod. 2 manu; at 1 *verecundae*. Maivs.

exsercitatio] Vulgo *exercitatio*.

gymnasieis] Notae suae Maius nunc sub finem addit locum Lactantii Inst. I, 20, Mosero allatum.

contrectationes] Ita cod. 2 manu; at 1 *contrectationis*. Maivs.

apud] Ex Cod. Maius *aput* hic et mox.

lubido] Vulgo *libido*.

Lacedaemoniei] Ex Cod. Maius *Lacuedemonii*, ut supra.

quom] Maius ex Cod. *cum*; sic alii. Alii *quum*.

muro] In eandem rem simili translatione τεῖχος Σεμῳράμιδος adhibuisse videtur Paulus Silentiarius epigrammate amatorio adductus a Ruhnken. Ep. cr. I. p. 159.

dissaepiunt] Ita ex Cod. Maius quod cum Steinack. Orell. Mosero repetivimus. V. ad I, 26. Est vox ex rarioribus, neque quoque loco, ex quo affertur, indubia. V. Forcell. Forma *dissipio* (unde *dissiptum*) usus est Bonifacius in Maii Auct. cl. T. VII. p. 548. Ceteri *dissepiunt*.

conplexsus] Ita [*conplexus*] ex Cod. Maius. Ceteri *compl.*

complexus enim concubitusque permittunt, pallieis interiecteis.

V. 5. Hic Laelius: Praeclare intellego, Scipio, te in eis Graeciae disciplineis, quas reprendis, cum populeis nobilissumeis malle, quam cum tuo Platone luctarei, quem ne attingis quidem: praesertim quom Plato in multis ita lapsus sit, ut nemo deterius erraverit, in primis quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. De patrimoniis tolerabile est, licet sit iniustum: nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus

pallieis interiecteis] In principe editione a me editum fuit *pallas inter pecus*; quod quasi proverbium non improbabili interpretatione munivi [susceperuntque editores subsequentes ad unum omnes]. Sane pagina codicis haec lectu omnium difficillima est, ut tum in scholiis affirmavi. Nunc ecce praeclaram interpretationem suppeditat mihi Ianuarius Nepotianus, Valerii M. breviator, a me nuper editus (coll. vat. T. III), qui cap. XV non unum expilat quarti huius tulliani libri locum. Ait ergo XV, 20: *Lacedaemonii osculorum licentiam dedere et concubitus, verum PALLIIS INTERIECTIS.* Statim ergo agnovi, me in oblitterata Tullii membrana sic legere debuisse, ad quam mox oculos referens, nihil reapse obstare videbam quominus ita legerem; immo eius fugientes apices cum Nepotiani verbis conspirare satis animadvertebam. Porro quod apud Valerium non sint haec verba, nil mirum est; ait quippe in praefatione Nepotianus a se Valerium aliquando fuisse auctum; id quod revera ab eo non semel praestitum, in loco demonstravi. Immo Nepotianus in eodem capitulo expilat manifeste alias libri huius tulliani sententias. Ait enim ff. 17: *Spartani docebant etiam filias furari.* ff. 18: *Elei Thebanique permisere passim, ut ingenui pueri amarentur: nec inhonestum putavere eosdem corrumpi.* ff. 20: *Apud Romanos triennio puberes inducebantur in castra ante militiam.* Maius ed. alt. His verbis caput quartum Maius finit.

Heic] Vulgo *hic*.

intellego] Vulgo *intellige*.

eis] Ita [*is*] cod. pro *his*. Maius. A Steinackero inde et Heinr. Edd. *his*.

reprendis] Ita cod. prisca orthographia, sicuti in palimpsestis ambrosianis et in palatino. Quin apud Ciceronem sic diserte legisse videtur Cornutus p. 2286. Maius. V. ad Apuleium gramm. p. 114. Edd. *reprehendis*. Utra forma prior sit, *prehendo* et *prendo*, et quomodo eae ortae sint, id unquam satis explanari posse desperat Schwenckius in Welckeri Mus. Rhen. V. VI. p. 61.

quom] Ex Cod. Maius *cum*, et sic plurimi; alii *quum*. In sequentibus Maium sequi par visum mihi est, qui Codicis scripturam post *quem* deficientem adscito Lactantii loco, quem antea idem in nota sequenti fragmento subiecta posuerat, nunc una serie continuavit: in quo quod apud Lactantium vulgatur *lapsus est*, ut verborum structurae accommodaretur, in *lapsus sit* tantummodo mutandum fuit. Lactantii locum Edd. omiserunt omnino, Moseo excepto, cui is in nota Maii repetenda afferendus fuit.

habet, aut prodesse, si sua culpa minus. Sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri. Etiamne coniuges, etiamne liberi communes erunt? Non erit sanguinis ulla distinctio, nec genus certum, nec familiae, nec cognationes, nec adfinitates: sed sicut in gregibus pecudum confusa et indiscreta omnia, nulla erit in viris continentia, nulla in feminis pudicitia. Quis esse in utrisque amor coniugalis potest, in quibus non est certus aut proprius adfectus? Quis erit in patrem pius, ignorans unde sit natus? Quis filium diliget, quem putabit alienum? Quin etiam feminis curiam reservavit, militiam et magistratus et imperia permisit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt? (Lactantius Epitom. cap. XXXVIII.)

Et noster Plato magis etiam, quam Lycurgus, omnia quei prorsus iubet esse communia, ne quis civis propriam aut suam rem ullam queat dicere. (Nonius v. *proprium* p. 362. indidem.)

reservavit] Buenem. mallet *reseravit*. Maivs ed. alt.

occupabunt] Addit Lactantius: *sed haec aliis latius*. Reapse eandem Platonis refutationem latius ipse ornat inst. III, 21 sq. Utrum autem breviatam an potius latiorem Lactantius orationem ex Tullio sibi vindicaverit, haud facile definierim. Maivs ed. alt. Ciceroniana quidem in istis ego agnosco, non Ciceronem ipsum.

quei] Omisit Sch. *qui* ut Edd. Fragmm. Cic. contra Nonii auctoritatem; videlicet, ut *Plato* referatur ad *iubet*. Sed cur nomen illud non ab alio verbo omisso pendeat? Neque etiam necesse est, ut *qui*, quod ad *Platonem* pertinet, referatur ad Lycurgum. Moserus.

ullam queat dicere] Lectionem optimam *queat* dicere exhibet nobis parisiaca Nonii editio, confirmatque praeclarus codex urbinas: pro qua lectione in aliis editionibus lego *ullam addiceret*; in codicibus autem occurrit corruptio *ullaque aduecere*, vel alia eiusmodi menda, quae plurima totum hoc fragmentum inquinant. Illud est insigne mendum unius codicis *et nunc populo* pro *et noster Plato*. Maivs. Ex Codd. in ed. Bas. vulgatum *ulla quead dicere*. De mutatione litt. *t* in *d* sequente eadem littera dictum in Zeitschr. 1837. No. 6. p. 58. Sed totum hoc loquendi genus, quod in assimilationis ratione consistit, ad certas leges non ante revocari poterit, quam diligentiore cura, quam adhuc factum est, codices excussi fuerint: interim iuvavit exempla quae ad manus sunt notare nonnulla. Atque ut a Nonio, ex quo profecti sumus, initium faciamus: *d* transiit in *t* ante *t* p. 99 ed. Gerlach. *at tibias*. Item *at te* pro *ad te* plures Codd. Parei et Bosschae in Plauti Capt. II, 3, 9, ubi mirum ab Avellinio varietatis nihil ex Codd. annotatum esse. Porro *im* (in) *meo* Codex Cic. pro Tullio in Maii Auct. cl. T. II. p. 340. IM MVRO lapis in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1834. No. 44. p. 359. *Prorsum me* Lucretius. *Quos* (quod) *si* Peyron ad Cic. fr. p. 166. *Ed* pro *et* ante *vitae* in titulo in Ephem. litt. Hal. 1834. Intell. 65. p. 532, comparandum cum *inquid benevolorum* c. 8. Ex Graecis ea, quae post alios ipse passim notavi, veluti ad Cornut. p. 233 sq. ubi adde "*Ερμιον ἀμπεδίον*

Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coroneis et delibutum unguenteis emittit exs ea urbe, quam sibei ipse fingit. (Idem v. *fingere* p. 308 sq. indidem.)

VI. 6. Censoris iudicium nihil fere damnato adfert nisei ruborem. Itaque ut omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. (Idem v. *ignominia* p. 24. indidem.)

Horum enim severitatem dicitur inhorruisse primum civitas. (Idem v. *horrendum* et *horridum* p. 423. indidem.)

Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, quei apud Graecos crearei solet; sed sit censor, quei viros doceat moderarei uxoribus. (Idem de num. et cas. p. 499. indidem.)

Ita magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres. (Idem v. *temulenta* p. 5. indidem.)

ap. Mimnerm. p. 46 ed. Bach., uno nunc exemplo augebo τοῦμμαραθῶνι, quod pro τοῦ 'ν Μαραθῶνι Cod. Rav. offert in Arist. Eq. 1345, idem scriptum fortasse oblaturus Vesp. 731, ubi τοῦ 'ν Μαραθῶνι exhibetur: alteram enim litteram μ ex vitiosa geminatione repetere, quod Elmsleius putasse videtur, eo minus probabile, quo certius in ea phrasi praepositionem addi posse ostendit Fritzschius Comm. de Aristoph. Thesm. p. 21.

eodem] Supplendum copiicit Moserus *modo* vel *iure*.

exs] Vulgo *ex*.

sibei ipse] Schütz. *ipse sibi*.

fingit] Notae prioris editionis Maius nunc adiicit: „Ceteroqui Tullii locum imitatus est apprime Aristides oratt. platonn. ed. Iebb. t. II. p. 326, observante Creuzero."

fere] *Ferre* habent cum editionibus codices Nonii omnes vaticani. In plantiniano meo exemplari vir doctus emendat *fere* et deinde *affert*: quae iure emendatio fieri videtur, praesertim quia tam in illa editione, quam in gothofr. additur corruptum vocabulum *offerrent* vel *offerent*, ex quo fit merito *adfert*. Sed, ut dixi, codices habent *ferre*, sine ullo additamento. Maivs. *Ferre* omnes quoque codd. ab Edd. Basil. excussi; potueris vero etiam rescribere *ferme*. In verborum vero ordine codicum auctoritati obtemperandum putavi, qui illud *offerrent* vel *offerent* post *damnato* inferunt: quod item Schützium observo fecisse. Scripsi interim *adfert* cum Edd., etsi quod ad codicum scripturam propius accedit *adferat*, nihil in se habet cur ferri nequeat.

ut] Patricius *quod*; Schütz. *quia*.

dicta] Codices plerique omittunt *dicta*. Maivs. Retinere vero videntur qui Edd. Basil praesto fuerunt.

enim] Edd. habent *in* pro *enim*. Maivs. Ed. Bas. *in* et mox *inruisse* pro *inhorruisse*, temere.

Ita] Omittit Schütz.

vim] Codd. ab Edd. Basil. adhibiti *viam*, neque aliter Parisiensis unus satis antiquus a me inspectus. De Vaticanis silet Maius. *Vim* deberi videtur H. Iunio.

mulieres] Testimonio Platonis de legg. II in nota ed. pr. apposito Maius nunc subiicit Eusebium Praep. ev. XII, 25, de mulierum absti-

Atque etiam sei qua erat famosa, ei cognatei osculum non ferebant. (Idem v. *fama* p. 306. indidem.)

Itaque a petendo petulantia; a procando, id est poscendo, procacitas nominata est. (Idem v. *petulantia* p. 23. v. *procacitas* p. 24.)

VII. 7. Nolo enim eundem populum imperatorem et portitorem esse terrarum. Optumum autem et in privateis familieis et in re publica vectigal duco esse parsimoniam. (Idem v. *portitores* p. 24. ex Cic. de Rep. IV. quamquam ex l. III. Io. Saresberiensis Policrat. III, 12.)

Fides enim nomen ipsum mihei videtur habere, quom fit, quod dicitur. (Nonius v. *fidei* p. 24. ex Cic. l. IV. de Rep.)

In cive excelso atque homine nobilei blanditiam, ostentationem, ambitionem notam esse levitatis. (Idem v. *blandimentum* p. 194. indidem.)

nentia a vino consulendum. Phrasis *carere temeto*, non bibisse vinum, Plautina est, Truc. IV, 3, 59.

cognatei osculum] Cf. Klenze De cognatis et affinibus (Zeitschr. f. gesch. Rechtswisswiss. T. VI) p. 18 sq.

optumum] Vulgo *optimum*.

parsimoniam] Sic diserte ait Maecenas in politica oratione ad Augustum apud Dionem LII, 35. Laudes parsimoniae, quas hoc loco scripsit late Cicero, a veterum scriptis derivavisse credendus est. Nam Catonis adversus luxum noti sunt sonitus. Laelii declamatio in luxum constat e lucilianis versibus apud Cic. fin. II, 8. De luxu, utrum esset cohibendus Romae necne, legenda est omnino insignis Tiberii imp. epistula apud Tacitum annal. III, 53 sq. Apud eundem auctorem cap. 55. invenies notatam sapienter causam cur nostra etiam aetate post publicas calamitates studium parsimoniae apud pecuniosos quoque perseveret. Leges Romanorum sumptuariae recensentur a Macrobio sat. II, 13. Athenaeus autem VI, 21 memorat inter eos qui legem fanniam sumptuariam studiose observaverunt Scaevolam, Tuberonem et Rutilium, huius dialogi personas. (Quare haud scio an Cicero unum vel plures ex his fecerit hoc in libro de parsimonia disputare.) Ibidem Athenaeus Romanorum parsimoniam laudat Posidonii verbis. Apud Plutarchum de san. tuend. t. VI. p. 478 seditionum non minimam causam esse luxum nimiosque sumptus docet Crates. Obsoletas queritur leges sumptuarias Tertullianus apol. cap. VI: *quonam illae leges abierunt sumptum et ambitionem comprimentes? quae centum aera non amplius in caenam subscribi iubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam et eam non saginatam?* etc. Pergit expostulare Tertullianus etiam de neglectis maiorum circa feminas institutis, Tullium nostrum fortasse spectans. Maivs ed. alt.

quom] Maius cum aliis *cum*: alii *quum*.

dicitur] Repetit hanc sententiam Cic. off. I, 7 et ad Tyron. ep. X. Maivs ed. alt. Post *ipsum* Moserus *inde* excidisse suspicatur.

nobilei] Ed. Bas. *nobilis*.

notam] Tres Nonii editiones, quas vidi [adde Bas.], itemque codex

Intuere paululum ipsos de re publica libros, unde illum affectum amantissimi civis ebibisti, quod nullus sit patriae consulendi modus aut finis bonis. Intuere, obsecro te, et cerne quantis ibi laudibus frugalitas et continentia praedicetur, et erga coniugale vinculum fides, certique honesti ac probi mores, quibus cum praepollet civitas, vere florere dicenda est. **(Augustini Ep. XCI. 3. Bened. CCII. Tom. II. p. 824 ed. Froben. 1569.)**

VIII. 8. Admiror nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. Sei iurgant, inquit. Benivolorum concertatio, non leis inimicorum, iurgium dicitur. *Et in sequenti:*

unus vaticanus (nam in ceteris nihil inveniebam) habent *meam* pro *notam*. Sigonius scribebat *nimiam*. Sed tamen in margine plantinianae editionis haec typis cuditur coniectura: *notam* (pro *meam*) *lego, nisi mavis scribi, meram esse levitatem.* Maivs.

Intuere etc.] Omisit fragmentum Schütz. Integra posuimus Augustini verba, ab Edd. praeeunte Maio contractius scripta.

affectum] In Frobeniana, qua sola nunc utor, *effectum*. Illud postulant quae in Nectarii epistola init. leguntur p. 823 Frob. *Quanta sit charitas patriae, quoniam nosti, praetereo. Sola est enim quae parentum iure vincat affectum.*

aut finis bonis] Ita legebat in Cicerone etiam Nectarius ad Aug. ep. XC. Maivs. Nempe verbis modo recitatis Nectarius continuo subiungit: *Cui si ullus esset consulendi modus aut finis bonis, digne ab eius muneribus excusari* [leg. *excusaris.*] Atque haec ex Cicerone Nectarium propinare, testantur quae istis Augustinus ep. initio respondet: *Iam senio frigescentibus membris fervere animum tuum patriae charitate, nec miror, sed laudo, teque non tantum tenere memoriter, verum etiam vita ac moribus demonstrare, quod nullus sit patriae consulendi modus aut finis bonis.*

continentia] Generatim Augustinus nos docet laudes frugalitatis et continentiae, quae in politicis libris recitatae fuerunt: sed enim quid specialiter dictum fuerit, vix dubito quin tradat Cicero off. II, 22, ubi dilaudat Africani, patrisque Pauli, abstinentiam in tot tantisque victoriis; itemque Mummii achaici fratris eius, qui his dialogis interest. Maivs.

erga — mores] Apud Nobbium et Orellium diductis litteris exhibentur, ac si ipsa Ciceronis verba essent: quod secus videtur.

inquit] Lex XII tabularum. [Imitatur Ciceronem Valerius M. II, I, 6. Item cap. V et VI, 1, ubi de frugalitate etc. imitatur superiora. Cens. lips.] Maivs ed. alt. XII Tabulis forma *iourcant*, quae nihili est, male obtrusa. Cod. Leid. *inquid*, de qua scriptura ad c. 5 dictum. Vocem Schütz. uncis seclusit.

Benivolorum] Maium et Schützium Moserus notat male scripsisse *benivolorum*: de qua scriptura supra monitum. Adde eandem exhiberi a Cod. Med. Epp. ad fam. I, 9, 21. II, 6, 4. XII, 2, 1.

iurgium dicitur] Ad nostrum locum conferri vult Censor lipsiensis l. c. Valerium Max. II, 1, 6, ubi est: *Quoties vero inter virum et uxorem aliquid iurgii intercesserat, in saccellum deae Viriplacae, quod est in Palatio, veniebant.* Moserus.

Iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. (Non. v. *iurgium* p. 430 sq. ex Cic. l. IV. de Rep.)

Eosdem terminos hominum curae atque vitae, seic pontificio iure sanctitudo sepulturae. (Idem v. *sanctitudo* p. 174. indidem.)

Quod insepultos reliquissent eos, quos ex marei propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necaverint. (Idem v. *excipere* p. 293. indidem.)

Nec in hac dissensione suscepei populei caussam, sed bonorum. (Idem de doct. indag. p. 519. ex Cic. l. IV. de Rep.)

Iurgare etc.] Refutari hinc videtur Odofr. Mülleri sententia (Rhein. Mus. für Iurisprud. 1832. I, 2. p. 202) *iurgare* esse iure agere, unde etiam verbum derivandum sit, statuentis. V. Funccii XII Tab. fragm. p. 364 sq. Doederl. Synon. Lat. T. V. p. 276.

putat] *Vetat* cum aliis contra sensum loci Sch. in Fragm. 1817. Nec placet: *lex verum putat*, id est, aequum. Orellivs. Doederleinius l. l. *vetat* omnino legendum censens, sensum ita explanat: „Das Gesetz untersagt den Nachbarn bei eintretender Uneinigkeit nur Zank und Streit, als unerlaubte Selbsthülfe, keineswegs aber den ordentlichen Weg der gerichtlichen Klage.“ Immo rationem legis, qualem Cicero exponit, hanc fuisse, diligentior totius loci contemplatio docere videtur: rixa inter vicinos vel affines exorta, eam non litem inimicorum putare legem, sed benevolorum concertationem, ita ut si legis formula *si iurgant* ad sensum supplenda sit, in eum fere modum restauranda videatur, *si iurgant . . . ne pro lite putator.*

seic] Censor lips. mallet *significat* pro *sic*. Màivs ed. alt.

sepulturae] Hanc et sequentem particulam de sepultura seu de iure manium heic colloco, quoniam Dionysius in ambrosianis fragmentis XX, 3 docet nos, hanc etiam curam fuisse romani censoris, nequis inferiarum traditas a maioribus caerimonias desereret. Quaenam autem huius mutili loci sententia est? Utique Cicero tusc. I, 12 excessu vitae non deleri hominem e pontificio iure et caerimoniis sepulchrorum intelligi ait. Maivs. De sententia loci mihi quidem accurate non liquet.

ex] Ita Schütz. quoque. Ceteri omnes *e*.

caussam] Ita cum Nobb. scripsi. Ceteri *causam*.

bonorum] De gracchanis seditionibus sermonem fieri iudicat censor lips. Maivs ed. alt. Censor lips. l. l. p. 48 hoc fragmentum et quod mox sequitur: *Cui quidem utinam* etc. existimat, mutato numero VI in IV, perperam huc illata esse librariorum culpa, cum libro sexto fuerint adscribenda. Fuisse enim ait (quantum perspici possit) in libro sexto praecepta de eo, quod viro bono in rei publicae tempestatibus fluctibusque sit faciendum, ut provide, prudenter ac constanter inter factiosos et ingratos cives versetur, eique fini persequendo salutem suam consecrare et devovere ne recuset. Quare verba *cui quidem utinam vere augura-verim* ad C. Gracchum videri referenda: cui Scipio, cum ad Numantiam de Ti. Gracchi morte nuntium accepisset, versu Homerico Odyss. *α*, 47 idem imprecatus esse dicitur: *ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι*. Vid. Plut. in Vita Ti. Gracch. extr. Moservs. Maius: „Num est illa nota Scipionis adversus Caium Gracchum imprecatio post Tiberii necem? C. lips.“ Atque mortis eius in his de rep. libris commemorationem factam esse testatur Augustinus de C. D. II, 21.

Non enim facile valentei populo resistitur, sei aut nihil impertias iuris, aut parum. (Priscian. XV, 4, 20. ex Cic. l. IV. de Rep.)

Quoi quidem utinam vere fideliter abunde ante auguraverim. (Nonius v. *auguro* p. 469. ex Cic. l. IV. de Rep.)

IX. 9. *Frustra hoc exclamante Cicerone, qui quum de poetis ageret,* Ad quos quom accessit, *inquit*, clamor et approbatio populei quasei magnei quoiusdam et sapientis magistrei, quas illei obducunt tenebras! quos invehunt metus! quas inflammant cupiditates! (Augustin. C. D. II, 14. Tom. V. p. 116. et Io. Saresberiensis Policr. VII, 9.)

aut parum] Locus hic tertio in libro satis apte concluderetur, nisi eum Priscianus diserte e quarto libro laudaret tam in editionibus, quam in vetere, quem inspexi, codice vaticano. Maivs. Totum locum, in plurimis codd. sane desideratum, Krehlius una cum iis verbis, quae Priscianus explicationis gratia continuo subiecit, *pro parvum*, quemadmodum idem versui ex Lucano ante citato eundem in finem *pro et multum et parvum* subdidit, plane omisit. Pessime. Codicum auctoritatem nihil hic moror, quoniam omissionis caussa facile ex eo cognoscitur, quod librariorum oculi a priore *parvum* statim ad posterius *parvum* aberrarint et sic intermedia verba neglexerint.

Quoi] Vulgo *cui*.

quidem] Ita paris. editio; at plantiniana et gothofr. *quidam*. Maivs.

abunde ante] Ita fit coniectura in margine plantinianae [item H. Iunius]; namque editiones aliae habent *abundante*, aliae *abundiente*. In codicibus, quantum vidi, desideratur hic Ciceronis locus. Maivs. Sch. omisit verba *fideliter abunde ante*, et ita certe fit sensus expeditus, si scribitur: *Cui quidem utinam vere auguraverim*. Heinr. nihil omisit, sed inter *ante* et *auguraverim* asteriscum posuit. Censor Lips. l. l. [cuius sententiam supra ad Fragm. *Nec in hac dissensione* etc. exhibuimus] cum loquitur de nostro loco, nonnisi verba a Sch. recepta affert. Moserus. Ed. Bas. *abundiente*. Verba *vere fideliter* in cod. Leid. super versum scripta: idem *abudiente* supra scripta n. Mihi quidem omnia in hoc loco incerta atque obscura. In mentem venit, an olim scriptum fuerit *obedienti* (Graccho) et *viro* pro *vere*.

quom] Maius cum aliis *cum*; alii *quum*.

accessit, inquit, clamor] Schütz. edidit: *accessit clamor, inquit*; et ita certe vitatur κακοφωνία duorum verborum sese excipientium *accessit, inquit*. Moserus. Quasi *inquit* Ciceronis esset!

approbatio] Maius cum aliis *adpr*.

quoiusdam] Vulgo *cuiusdam*.

metus] Apud Saresberiensem pro *metus* est in margine varia lectio *motus*, quae mihi videtur optima. Maivs. Atque suscepit Heinrichio duce Zellius. At *metus* bene habere, post Lehnerum Moserus demonstravit.

cupiditates] Hactenus Augustinus. Iam etsi invectio in poetas est apud Ciceronem N. D. I, 16. III, 31. tusc. II, 11. IV, 32; et quidem III, 2 partim similis huic loco; nihilominus videntur mihi Sigonius et Vivesius iure hanc particulam posuisse in fragmentis librorum de rep. tum propter verborum discrepantiam, tum propter incrementa sententiarum. Imitatur autem hanc reprehensionem poetarum Lactantius inst. I, 15. Ea scilicet platonica est, ut observat etiam Augustinus C. D. VIII, 13. Legesis ipsum Platonem

Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se

reip. III. p. 391; legg. IV. p. 719. reip. X; nisi quod p. 607 excipit hymnos in deos, laudationesque poeticas illustrium virorum. Heic autem oboritur haud absurda quaestio, utrum Io. Saresberiensis, qui policr. VII, 9 locum hunc continuat, Ciceronis opus de rep. viderit, an potius usque huc quidem Augustinum interpolaverit, reliqua autem de suo addiderit. Sic igitur Saresberiensis: *Cicero cum de poetis ageret ut diligentius audiatur, exclamavit: clamor et adprobatio populi, quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, et qui ad commendationem sufficiat plausu suo, quos vult facit authentieos. At illi, qui tantis laudibus efferuntur, quantas obducunt tenebras! quos invehunt metus! quas inflammant cupiditates! Hi stupra adulteriaque conciliant*; prosequiturque alia eiusmodi. Tum e Terentio (Eunuch. III, 2), *qui*, ut ait, *prae ceteris placet*, exemplum illud profert adulescentis, qui in tabula spectans Iovem lascivientem, malo exemplo abutitur. Atqui ut ego credam Terentii sermonem super illa Iovis pictura reapse in quarto de rep. extitisse, illo maxime indicio utor, quod Augustinus C. D. II, 12, postquam repetiit locum illum Ciceronis, quem cap. X posui, Scipionem mox adloquens ait: *et dignum fuit ut Terentius vester flagitio Iovis optimi maximi adulescentium nequitiam concitaret?* Idem Augustinus C. D. II, 7 ait: *quanto satis erat ad erudiendum iustitiam iuventutem, publice recitari leges deorum, quam laudari inaniter atque instituta maiorum!* Quis haud videt intelligi ab Augustino Tullium, qui ob erudiendam iuventutem toto quarto libro laudavit leges atque instituta maiorum? Atqui Augustinus ibi statim subdit historiam terentiani iuvenis: *hinc apud Terentium flagitiosus aduleseens speetat tabulam quandam pictam* etc. Et quidem Augustinus passim eo secundo de C. D. libro remp. Ciceronis expilat. (Legesis etiam confess. I, 16.) Iam quantum Terentius Scipionum, Laeliorum, immo et Furiorum domibus iucundus fuerit ac familiaris, docet duplex Terentii vita, altera quae Donati creditur, altera item vetus et perbrevis a me nuper edita Mediolani. Praeter quam quod ipse Laelius apud Cic. de am. XXIV dicit Terentium familiarem suum. Quod vero ait Saresberiensis *comicus qui prae ceteris placet*, id commode a Scipione aeque ac Laelio dictum fuerit, quia scilicet Terentii fabulae ab utroque praedictorum putabantur scribi. Cic. de Att. VII, 3. Quintil. inst. X, 1. Donat. vit. Ter. Quin adeo ipse Terentius valde nobis auctor est, ut illa verba *comicus qui prae ceteris placet* a Scipione aut a Laelio apud Tullium dicta credamus. Sic enim prolog. Adelph. *Nam quod isti dicunt malivoli, homines nobiles — eum adiutare, adsidueque una scribere: — quod illi maledictum vehemens esse existimant, — eam laudem hic ducit maximam, quum ILLIS PLACET, — qui vobis universis et populo placent* etc. Sane *homines illi nobiles* Scipio et Laelius et Furius sunt, teste Donato in commentario ad prologum, quibus se placere gaudet comicus: (namque in Donato pro *Furium Pium* scribere debemus *Furium Pilum*) apud Saresberiensem autem ipsi illi fortasse nobis comicum sibi placere aiunt. Denique auget suspicionem meam, quod illa mentio terentiani iuvenis, a Saresberiensi citata, in quarto de rep. extiterit, locus alius Augustini ep. XCI, 4: *illi doctissimi viri, qui remp. civitatemque terrenam, qualis eis esse debere videbatur, magis domesticis disputationibus requirebant, vel etiam describebant, quam publicis actionibus instituebant atque formabant, egregios atque laudabiles quos putabant homines, potius quam deos suos imitandos proponebant erudiendae indoli iuventutis. Et revera terentianus ille adulescens, qui spectans tabulam pictam* etc. Et statim post: *lege vel recole in eisdem libris* (de rep. ut nominatim

tempus, quo legat lyricos. Eodem loco dialecticos. (Seneca Ep. XLIX.)

X. 10. *Sicut apud Ciceronem Scipio loquitur*: Quom artem ludicram scenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere,

appellantur priore epistulae parte) *quum prudenter disseratur, nullo modo potuisse scriptiones et actiones recipi comoediarum, nisi mores recipientium consonarent. Ita clarissimorum virorum in rep. excellentium et de rep. disputantium auctoritate firmatur* etc. Fieri tamen potest ut Saresberiensis ex hac ipsa Augustini epistula occasionem ceperit connectendi terentianum iuvenem cum his quae apud eum praecedunt. Denique quae mox sequitur in eodem Saresberiensi commendatio poetarum, quaeque dicitur e Cicerone derivari, ea quidem apte in quarto de rep. libro ab aliquo poetarum defensore recitata fuisset; sed enim haud scio an pronius creditu sit, eam temere tribui Ciceroni a Saresberiensi. Certe ego totum tractum anglì auctoris, qui post augustinianam auctoritatem porrigitur, a meo libro exsulare malui, quam committere ut duodecimi saeculi sordes cum auro tulliano miscere viderer. Quod si forte quaedam interpolatio est, quis vera a spuriis satis tuto separet? Nonne enim eruditi adhuc laborant in excernendis tullianorum de gloria librorum reliquiis, siquae sunt apud Alcyonium? Maivs. De toto fragmento Augustini Maius nunc ita iudicat Add. ed. alt. p. 386: „Vocabulum *accessit* deest vulgo in edd. tusculanarum III, 2; sed adest in praestantissimo codice vaticano *στιχηρῶς* scripto fol. 43 recto col. 1. Immo iam arbitror Augustinum non ad Cic. de rep. heic spectare, sed ad tuscul. Quare hoc fragmentum fortasse eiiciendum est.“

Negat etc.] Libros nominatim de rep. non citat Seneca; commode tamen hoc fragmentum pertinere existimatur ad poetarum reprehensionem, quam Cicero in quarto de rep. exsecutus est. Habet ceteroqui id fragmentum hanc gravem dubitationem, quod Ciceroni loquenti, praeter prohoemia, in his libris nullus erat locus. Nisi forte Seneca ea quae Cicero alieno ore dici finxit, ipsi nominatim auctori tribuit. Exemplum invectionis sumpsit Cicero a Platone, qui Homerum e rep. expulit et generatim poeticen vituperavit. Quare haud scio an superius fragmentum, ubi mentio Platonis et Homeri est, huc fere sit trahendum. Maivs. At verbo *lyricos* Seneca continuo subiicit *Eodem modo* (vel potius *loco*, quod nunc Fickertus revocavit) *dialecticos*, quae verba editores ad unum omnes, Maium quippe temere secuti, omiserunt, nunc a me restituta. Quod additamentum sane ita comparatum est, ut an totus locus ex his libris de rep. depromatur dubitare liceat: quod non fugit Nobbium, qui Fragm. libror. Ciceronis incertorum p. 8: „Maius, inquit, hoc fragmentum in numerum eorum locorum et ordinem recepit, quos de poetis ad Platonis sententiam civitate excludendis scriptos, de Rep. IV, 9 undiquaque congesserat. Recte profecto. Sed omisit iste nomen ultimum illud, quod est apud Senecam, *Dialecticos* haud dubie e Ciceronis, sive eodem, sive alio loco repetitum. Quo fit, ut etiam magis dubium sit, utrum illa, quae in utramque partem possunt accipi, huc referre liceat. Quod, si ad solos ea poetas pertinent, concesserim; sin ad utrosque et poetas et philosophos, non item.“

Quom] Maius *cum*, ut alii: alii *quum*.

probro] Va lect. *in probro*. Maivs.

sed etiam tribu moverei notatione censoria voluerunt. (Augustin. C. D. II, 13. Tom. V. p. 113.)

11. *Quid autem hinc senserint Romani veteres, Cicero testatur in libris, quos de re publica scripsit, ubi Scipio disputans ait:* Numquam comoediae, nisei consuetudo vitae pateretur, probare sua theatreis flagitia potuissent. Et Graecei quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quandam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum, ut, quod vellet comoedia, de quo vellet, nominatim diceret. *Itaque sicut in eisdem libris loquitur Africanus:* Quem illa non attigit? vel potius quem non vexsavit? quoi pepercit? Esto: populareis homines improbos, in re publica

voluerunt] Repetitae notae longiori suae Maius nunc post Orosii locum allatum addit: „Traianus abolevit pantomimos. Plin. pan. cap. XLVI."

potuissent] Locum hunc rursus memorat Augustinus ep. CXI, 4 ad Nectarium: *lege vel recole in eisdem* (de rep.) *libris* etc. ut scripsimus ad c. 9. in nota. Quartum de rep. librum fortasse respicit Tertullianus de spect. XVIII: *saeculari litteratura lusoriam vel agonisticam scenam dispungunt; quod sint tragoediae et comoediae scelerum et libidinum auctrices, cruentae et lascivae, impiae et prodigae* etc. Consonat autem sibi Cicero tusc. IV, 32: *de comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino.* Universim vero Cicero, summus philosophus et politicus egregius, romanos ludos, licet magnificos, pedibus trahit ac stomachatur ad Marium scribens (ad fam. VII, 1) Crasso et Pompeio coss., nempe anno ante quam hanc in politicis libris vituperationem theatri recitandam curaret. Praeterea ad Att. XVI, 2 de ludis loquens ait: *mihi stomacho et molestiae est, populum rom. manus suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere.* Confer etiam Frontonem ad Verum ep. I ed. rom. p. 183. Maivs ed. alt.

Et Graecei quidem] In ed. L. Vivis scribitur *et Graeci quidam.* In seqq. ibid. minus concinne legitur: *ut quod vellet comoedia nominatim, vel de quo vellet, diceret,* Ferri posset: *ut, quod vellet, comoedia, et, de quo vellet, nominatim diceret.* Moservs. Nihil isto asyndeto sanius, nihil aptius. V. Madvig. ad Fin. II, 19. p. 247.

diceret] Tractus a verbis *et Graeci* huc usque utrum sit tullianus, an potius augustinianus, ambigo. Maivs. Equidem cum Lehn. existimo Ciceronis sermonem esse ab Augustino in brevius contractum. Moservs.

attigit] Maius *adtigit.*

vexsavit] Vulgo *vexavit* et mox *cui.*

populareis etc.] Ita interpunxi cum Nobb. Orellio, praeeuntibus iam Lud. Vivesio et Benedictinis. Maius *pop. homines improbos in re publica, seditiosos, Cleonem,* quem secutus est Lehn. De Heinrichii coniectura cum Schützio Moserus et Zellius *populares homines, improbos in rem publicam, seditiosos, Cleonem,* quasi popularium hominum eadem ratio cum seditiosis sit. Sed noli in hoc loco omnia ad elegantiam Tullianam exigere, quum vel illud ipsum toties inculcatum *inquit* perspicue ostendat, ad Ciceronis sermonem reverti Augustinum, totumque igitur locum Ciceronis ab eo compendifactum esse: id quod ipse Augustinus verbis mox subiectis *Haec ex Ciceronis* etc. satis indicasse videtur. Vulgo *populares.*

seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit? Patiamur, *inquit*; etsei eiusmodei civeis a censore melius est quam a poeta notarei; sed Periclem, quom iam suae civitatei maxsuma auctoritate plurumos annos domui et bellei praefuisset, violarei versibus et eos agei in scena, non plus decuit, quam sei Plautus, *inquit*, noster voluisset, aut Naevius Publio et Gnaeo Scipionei, aut Caecilius Marco Catonei maledicere. 12. *Deinde paullo post*, Nostrae, *inquit*, contra duodecim tabulae, quom perpaucas res capite sanxsissent, in heis hanc quoque sanciendam putaverunt, sei quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alterei. Praeclare: iudicieis enim magistratuum, disceptationibus legitumeis propositam vitam, non poetarum ingenieis, habere debemus, nec probrum audire, nisei ea lege, ut respondere liceat, et iudicio defendere. *Haec ex Ciceronis quarto de re publica libro ad*

Cleophontem] V. Schol. Eurip. Orest. 760 et 891 Matth. et quae de hoc homine nuper disseruit Fritzschius De Parabasi Thesmophoriaz. p. 9 sq.

maxsuma] Vulgo *maxima* et mox *plurimos*.

domui] Vulgo *domi*.

eos agei] Recte sensit *eos* alienum atque delendum esse Cobetus Observat. crit. in Platonis comici reliquias, Amstelodami 1840, quod doceor ex Iahnii Jahrbücher 1842. Vol. XXXV. p. 203. Subit tamen me suspicio, ne pro *eos agi* fortasse legendum sit *axigi*, eodem fere sensu, quo ea vox apud Terentium pluries legitur.

quam sei Plautus etc.] De hoc loco cf. Ritschelii Comm. de aetate Plauti p. 10.

inquit] Omiserunt cum Heinr. Schützius et Zell. Mox vulgo *Cnaeo*.

quom] Alii *cum*: alii *quum*. Item mox.

sanxsissent] Vulgo *sanxissent*.

occentavisset] Godofredi de sententia Schützius *actitavisset*: de qua lectione v. Moser.

iudicieis enim etc.] Recepi *ae* ex ed. L. Vivis, sed reposui eam voculam post *magistratuum*, cum ibi positum sit ante hoc substantivum. Heinr. et Lehn. cum Maio omiserunt *ae*. Sch. autem dedit: *Iudicis* [operarum errore pro *iudiciis*] *enim, ac magistratuum disc.* [quod exhibuit Orellius quoque]. Quae cur non receperim, ea causa est, quod id nostrum velle puto, (quantum ex Augustini verbis intelligere licet) debere vitam civium propositam esse et magistratuum iudiciis, ut accusetur, quicumque peccaverit, et legitimae partium coram iudicibus disceptationi. Mossrvs. Cum Mosero Nobbius facit, secutusque est Zellius, recte si de sententia loci agitur. Retinui autem Benedictinorum lectionem Maio probatam, maximopere ob eam caussam, quam commemoravi supra ad v. *populares* etc., ubi de conditione huius fragmenti verba feci.

legitumeis] Vulgo *legitimis*.

Haec ex Ciceronе etc.] Haec omnia usque ad *vituperari* duce Heinrichio omisit Zellius.

verbum excerpenda arbitratus sum, nonnullis propter faciliorem intellectum vel praetermissis vel paullulum commutatis. Dicit deinde alia, et sic concludit hunc locum, ut ostendat, veteribus displicuisse Romaneis vel laudarei quemquam in scena vivom hominem vel vituperarei. (Augustin. C. D. II, 9. Tom. V. p. 106.)

XI. 13. *Comoediam esse Cicero ait imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.* (Donat. de com. et trag. p. LVII. Terent. ed. Westerh.)

Siquidem, *quod in eo quoque* (*i. e. IV.*) *de re publica libro commemoratur*, Aeschines Atheniensis vir eloquentissumus, quom adulescens tragoedias actitavisset, rem publicam capessivit; et Aristodemum, tragicum item actorem, maxsumeis de rebus pacis et bellei legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt. (August. C. D. II, 10. T. V. p. 109.)

vituperarei] Locum hunc ipsum exhibet breviatum idem Augustinus C. D. II, 12: *Romani, sicut in illa de re publica disputatione Scipio gloriatur, probris et iniuriis poetarum subiectam vitam famamque habere voluerunt, capite etiam plectendum sancientes tale carmen condere si quis auderet.* MAIVS.

veritatis] Silet Donatus, quonam in opere haec Tullius dixerit: quae tamen dici ab aliquo videntur, qui poetas in quarto de rep. libro defenderit; et quidem fortasse a Laelio, qui praecipuus auctor fabularum terentianarum vulgo creditus est etc. MAIVS. Praeiverat Ciceroni in hoc dicto Livius Andronicus, qui referente eodem Donato, dixerat *comoediam esse quotidianae vitae speculum.*

Siquidem — commemoratur] Haec omnia omisit Sch., qui hoc fragmentum incipit a verbo *Aeschines.* Heinr. omisit vocem *Siquidem.* Vocem *et* ante Aeschines omittit etiam L. Vives. MOSERVS. Item omittunt Benedictini, quibus obtemperandum fuit. Retinuerunt cum Maio omnes praeter Orellium, qui uncis inclusit.

eloquentissumus] Vulgo *eloquentissimus*, ut infra *maxímis.*

quom] Vulgo *cum*, vel *quum.* Praemisit in ed. pr. Maius *qui*, quod ab Heinrichio inde abiectum est, quippe nulla auctoritate nisum.

adulescens] Vulgo *adol.*

tragoedias actitavisset] De Aeschine et de sequente Aristodemo lege Plutarchum vit. X rhet. cap. VI. MAIVS. Aeschinis tritagonistae mentionem facit Demosthenes de cor. p. 270, quocum confer Libanii et Apollonii Vitas Aeschinis p. 11 et 13 Aeschinis ed. Reisk. De Aristodemo adi Dissen. ad Dem. de cor. 21. p. 188.

actitavisset] Placidus Glossis in Maii Auct. cl. T. III. p. 500: *in theatro, in quo ludi actitantur.*

miserunt] Haec dici videntur in dialogo a persona defendente artem scenicam adversus Scipionem. Quod si hunc locum ipse Scipio recitat, vituperari ab eo Graecos puto qui scenicae arti honorem tribuerint. MAIVS. Idem in not. cr. ad h. l.: „Meibomius in not. ad Aristid. Quintil. tribuit Ciceroni de rep. etiam initium huius Augustiniani capitis:

XII. 14. *Οὔτε γὰρ ἅπασα τέρψις μεμπτὸν, οὔτε τῆς μουσικῆς αὕτη τέλος, ἀλλ' ἡ μὲν ψυχαγωγία κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, σκοπὸς δὲ ὁ προκείμενος ἡ πρὸς ἀρετὴν ὠφέλεια· ὅπερ πολλούς τε ἄλλους ἔλαθε, καὶ τὸν ἐν τοῖς Κικέρωνος τοῦ Ῥωμαίου πολιτικοῖς τὰ κατὰ μουσικῆς ῥηθέντα· οὐ γὰρ ἔγωγ' ἂν φαίην ἐκείνῳ τὰ τοιαῦτα εἰρῆσθαι· πῶς γὰρ ἄν τις αὐτὸν ἰσχυρίσαιτο μουσικὴν λοιδορεῖν τε καὶ ὡς φαύλην εὐθύνειν τέχνην ἁρμονιῶν τε καὶ ῥυθμιῶν ἀρετάς τε καὶ κακίας* διορίζουσαν, ἄνδρα, ὅς γε τηνικαῦτα ῥυθμοῖς μόνοις καὶ τούτοις ἀγενέσι καὶ φαύλοις ἐπιδεικνύμενον Ῥώσκιον τὸν ὀρχηστὴν οὕτω σφόδρα ἐξεπλήττετο, ὥστε φάσκειν αὐτὸν προνοίᾳ θεῶν ἐς ἀνθρώπους παρελθεῖν. Καὶ γὰρ εἴ τις αὐτὸν φάσκοι, τὰ μὲν ἐν ᾗ συγγέγραφε πολιτείᾳ λέγειν ἑκουσίως, τὰ δὲ περὶ Ῥώσκιον προκειμένης ἕνεκεν ὑποθέσεως, ἀντιστρέφειν μὲν καὶ ἡμᾶς οὐδὲν κωλύσει τὸν αὐτὸν λόγον. Ἀλλ' ὅμως καὶ οὕτως λάθοι τις ἂν ἀποδοκιμάζων μᾶλλον, ὅσον εἰς τὴν παροῦσαν σκέψιν, ἢ συνιστὰς τὸν ῥήτορα· ἀναξιόπιστος γὰρ πρὸς ἀληθείας εὕρεσιν, ἢ δικαίαν κρίσιν, ὁ ταῖς κατ' αὐλὴν, ἢ κατὰ τὴν αὐτοῦ*

Graeci scenicos actores tabularum non parvo civitatis honore dignos existimarunt. Siquidem etc."

ῥηθέντα] Meibomius immutare nititur *ῥηθέντα*, sed enim duo quoque Aristidis vaticani codices ita habent. Ill. Niebuhrius addebat heic recte *διαλεγόμενον*. Maius ed. alt. Receperunt in contextum *διαλεγόμενον*, uncis quidem inclusum, Nobbius et Orellius, Moserus sine uncis. Totum locum Sch. plane omisit. Ego cum Heinr. et Zellio arcendam vocem putavi, non quod *ῥηθέντα* sanum existimem, sed quod phrasis *ῥηθέντα διαλέγεσθαι* parum Graeca esse videatur.

ἀρετάς τε καὶ κακίας] Hoc ex Meibomii coniectura revocandum esse Maius monuerat et nunc, quum ceteri omnes moniti receperint, ipse scripsit. Ante vulg. *ἀρεταῖς τε καὶ κακίαις*, etiam in codd. Vat. servatum.

ὅς γε] Ita Meibomius *γε*; sed uterque codex vat. *τό*, ut Cod. Oxon. Maius. Omisit *γε* cum Heinr. Zellius.

οὕτω] Ita Meib. sed uterque codex vat. *οὕτως*.

φάσκειν αὐτὸν] In Rosciana oratione: qua de re v. Maium.

προκειμένης] Meib. *ᾗ προκειμένης*. Censet autem in notis omittendum *η*. Codex antiquior vat. habet *ᾗ προκειμένῃ*; recentior *εἰ* (tum superadditum *ᾗ*) *προκειμένης*. Maius.

οὕτως] Ita cum codd. Vaticanis et Oxon. scripsi pro *οὕτω*, quod vulgatur ab omnibus edd. Cur vero spernamus quod ab ipsis codd. offertur quodque indubiis locis Graecitati vindicatur? V. Syllog. inscr. p. 116. Paullo ante vero haud scio an recte fecerim quum *οὕτω* ante *σφόδρα* tolerarim, propter molestum duarum ς concursum.

ὅσον] Codd. vat. *ὅσον*; oxon. *ἴσον*. Maius.

ᾗ] Ita Meib. et codex antiquior vat.; at recentior omittit *ᾗ*, et interpungit post *ἴσον*. Maius.

δικαίαν] Codex recentior vat. *δικαίους*, nempe pro *δικαίου*. Maius.

προαίρεσιν, ἀλλὰ μὴ ταῖς κατ' οὐσίαν δουλεύων ὑποθέσεσιν. Οἶμαι δὲ, ὡς οὐδ' ἂν αὐτὴν ἔψεγε ῥητορικὴν διὰ τοὺς δεκαζομένους τῶν ῥητόρων. Οὕτω δὴ καὶ εἴ τινες τῶν τεχνιτῶν διὰ τὸ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν τὰ ἀγενῆ μελῳδοῦσιν, οὐ τῆς τέχνης τὸ αἴτιαμα. Ἀλλὰ καὶ ἡ πατρὶς αὐτῶν τοὺς μὲν ἐπὶ Νομᾶ καὶ τοὺς ὀλίγῳ μετ' αὐτὸν, ἔτι συγχάνοντας ἀγριωτέρους, μουσικῇ παιδευομένους εἶχε καθὰ καὶ αὐτός φησιν, ἰδίᾳ τε ἐν ψυχίοις, κοινῇ τε ἐν ἁπάσαις τελεταῖς σφίσι συνοργιαζούσῃ. (**Aristides Quint. de musica II. p. 69—71. ed. Meibom.**)

Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent. **(Valerius Maximus II, 1, 10.)**

αὐτοῦ] Ita pro αὐτοῦ, ut apud Maium ex codd. Vat. etiamnunc exstat, Heinrichio duce ceteri. Meibom. αὐτῶν.

δεκαζομένους] Ed. δικαζομένους; sed enim δε pro δι iustissima coniectura est ill. Niebuhrii. Maivs ed. alt. Et receperunt eam ab Heinrichio inde subsequentes Edd.

συνοργιαζούσῃ] Sic Heinrichio duce Nobb. Orell. Zell. Cum Meib. et Cod. Vat. antiquiore Maius nominativum συνοργιαζούση exhibet, Lehnero probatum. Cod. Vat. recentior συνοργιάζουσιν. De sententia loci Ciceroniani, quatenus ea ab Aristide explicatur, paullo fusius disputat Maius, verbis olim scriptis, leniter nunc hic illic mutatis, musicae reprehensionem Aegyptiorum ex Diodori I, 81 adiiciens insuperque monens, Lactantii locum allatum vel ipsum Tullianum imitatum esse Hieronymum Ep. XXI, 13.

Maiores etc.] Hanc sententiam fuisse in libris Ciceronis de rep., testantur nobis extrema Aristidis verba. Porro Valerium hausisse vel ipsa verba vel certe sententiam ex Cicerone, recte arbitratur censor lipsiensis [1824. No. 7. p. 50 sq.] apud Moserum. Recitatur autem sententia a musicae defensore. Maivs ed. alt. Valerii locum Maius primus nunc ausus est fragmentorum ordini inserere: ego inclinatis litteris saltem scriptum exhibui, ne quid omisisse quod in rem esset arguerer.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

LIBER V.

ARGUMENTUM.

Hoc libro Scipio Tullianus, qui ad unum modo principem summam totius rei publicae curam delatam vult, id maxime egisse videtur, ut perfectam eius imaginem informaret. Itaque, quantum videre licet, de paranda rei publicae gerendae scientia, de potestate summi magistratus sapienter definienda, de officiorum rationibus exposuit. Ad hunc de ineundis cautionibus locum Maius recte, opinor, refert Quinctiliani declamationem CCLXVIII. contra concionatores seditiosos ex hoc Ciceronis libro repetitam. Ipse quidem Tullius, ut supra in abumbrando civitatis gubernatore Politicum Platonis, sic eiusdem librum de Legibus undecimum in impugnandis importunis illis oratoribus ob oculos habuisse creditur. Nobbivs. *

] Huic argumento aliud subiicimus, quod his verbis concinnatum in altera ed. Maius libro V praeposuit: Laudatis in quarto libro Romanorum veterum moribus, deploravit deinde Cicero (teste Augustino C.D. II, 21) suo sermone ipse loquens in quinti libri prohoemio recentiorum Romanorum suique temporis corruptos mores, quorum causa iam resp. in summum discrimen ac prope perniciem devenerat. Porro ex maioribus fragmentis tribus, primo vaticano sex pagellarum, altero ex epist. ad Atticum VIII, 11, tertio ex Augustino C. D. V, 13, prorsus apparet, Ciceronem hoc libro egisse de reip. supremo gubernatore), quam rem minutiora quoque fragmenta confirmant. Est autem sane dolendum, quod tantam talemque operis partem amiserimus, in qua dotes Cicero excellentis rectoris exposuerat: idque ego ad imitationem Cyri xenophontei ab eo factum fuisse reor; tum quia fratri praetori in politica epistula**, idem Cyropaediae exemplum Cicero obiicit, tum praesertim quia in hoc de rep. opere loquitur Scipio lectioni illi xenophonteae prae ceteris deditus: *Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad*

*) Ciceronis ad Att. VII, 3 lectionem, ubi dicit *sexto* libro informatum a se fuisse reip. gubernatorem, emendandum fortasse *quinto*, iam dixi in testimoniis.

**) Lib. I, 1, 8.

I. 1. ***Quando res publica Romana non iam pessima ac flagitiosissima, sed omnino nulla erat, secundum istam rationem, quam disputatio de re publica inter magnos eius tum principes habita patefecit: sicut etiam ipse Tullius non***

effigiem iusti imperii, quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii. Nunc certe veluti per transennam divinandoque cognoscimus dixisse hoc libro Tullium de origine et de scientia iuris civilis legumque ferendarum, de fortitudine ac magnitudine animi, de prudentia, de honore, qui principi tribuendus est: quae omnia conveniunt egregio gubernatori; quem ita vult doctrinae studiis deditum, ut simul in negotiis publicis constanter versetur; tantumque iubet doctrina se imbuere, quantum reip. conducit, non privatae et otiosae oblectationi. Cuiusmodi porro gubernatorem reip. hoc libro finxerit Cicero, licet coniectare ex eius quodam dicto de or. I, 48. *Si quaereremus, inquit, qui esset is, qui ad remp. moderandam usum et scientiam et studium contulisset, definirem hoc modo: qui quibus rebus utilitas reip. pararetur augeturque, teneret, iisque uteretur, hunc reip. rectorem et consilii publici auctorem esse habendum: praedicaremque P. Lentulum principem illum et Tib. Graechum patrem, et Qu. Metellum, et P. Africanum et C. Laelium et innumerabiles alios, cum ex nostra civitate, tum ex caeteris.* Praeterea vix dubito, quin hoc quinto libro de minoribus quoque magistratibus verba Cicero fecerit, quam politiae partem graeci auctores permulti exornaverunt, neque neglexere latini*). Immo diserte Cicero (de leg. III, 5.) adfirmat se in libris de rep. disputationem accuratam scripsisse de magistratibus, quae ego verba iam in hoc volumine [ad II, 29 fin.] recitavi. In quinto item vel sexto libro disputatum a Cicerone arbitror de cognatis politicae scientiae doctrinis nimirum imperatoria, scientia iudiciaria et suasoria vi, quod facit Plato in politico p. 303 sqq. prolixeque docet mirabili illa texturae imagine. Profecto doctrinam rei militaris in his posterioribus libris non tradere Cicero haud potuit, id quod pedissequum eius politicum graecum vaticanum factitavisse in opere suo comperimus. Neque tantus imperator Scipio et de Polybii gremio profectus qui libro VI historiae tam accurate de militia egit, silere de militari arte in his dialogis potuit. Et quidem spurium Ciceronis de re militari fragmentum circumferri iamdiu videmus, quod ad veri alicuius imitationem effictum suspicor, e libris de rep. avulsi: sicuti fragmentum illud de memoria, quod in Ciceronis codicibus passim occurrit, ex rhetoricis ad Herennium detractum est." Quod res militares in quinto hoc libro Tullius probabiliter attigit, id Maium adduxit, ut eum Petri magistri *περὶ πολιτικῆς ἐπιστήμης* locum, quo ex Cicerone ibi nominatim laudato de armatura peditum Romanorum agitur, ex eodem hoc libro sumptum suspicatus sit Coll. Vat. T. II. p. 593, loci Tusc. II, 16, quo similiter idem argumentum tractatur, haud immemor: „solet enim, ut Maii utar verbis, Cicero sententias suas haud raro repetere." Sed haec omnia in coniectura posita sunt.

*) Adi sis in coll. vat. T. II p. 584 sqq. meum politicorum auctorum catalogum; in quo praeterea scribi possunt. 1. Ionas aurelianensis — de institutione regia. 2. Hincmarus rhemensis — de regis persona et regio ministerio; et novi regis institutio ad regiam administrationem. 3. Hugo floriacensis — de regia potestate.

Scipionis nec cuiusquam alterius, sed suo sermone loquens in principio quinti libri, commemorato prius Ennii poetae versu, quo dixerat,

Moribus antiqueis res stat Romana virisque:

quem quidem ille versum, *inquit*, vel brevitate vel veritate tamquam exs oraculo mihei quodam esse effatus videtur. Nam neque virei, nisei ita morata civitas fuisset, neque mores, nisei hei virei praefuissent, aut fundare aut tamdiu tenere potuissent tantam et tam iuste lateque imperantem rem publicam. Itaque ante nostram memoriam, et mos ipse patrius praestanteis viros adhibebat, et veterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes virei. 2. Nostra vero

quinti libri] Ex plurimis Augustini edd. Maius et olim et nunc *demonstravit* subiicit, applaudentibus edd. praeter Lehnerum et Orellium, qui quum illud verbum, teste eodem Maio, a codd. omnino absit, intelligique facile possit *patefecit*, deleverunt: quod et mihi faciendum putavi.

Ennii poetae versu] In Annalium ed. Spangenb. p. 71.

quem quidem etc.] Henricus de Hassia, qui totum hunc Augustini locum recitat libro de re publica MS., teste Creuzero in Ann. Heidelb. 1826. No. 63. p. 1001, *quem versum inquit vel quidem brevitate vel veritate* etc. Idem in seq. *nisi si ita morata.*

exs] Vulgo *ex*.

tam iuste lateque] Sch. scripsit ex coni. Patricii *tam longe lateque*; neque ego diffiteor, mihi parum convenire videri vocem *iuste* loci totius sententiae: nam *iustitia imperii* non erat id, quod difficilem faciebat imperii conservationem, sed illud, quod *longe lateque* fusum erat imperium Romanum, et in tantam molem excreverat, ut nisi *moribus virisque antiquis* stare non posset. Accedit quod *longe lateque* saepius hoc sensu dixit noster, . . . *iuste lateque* iunxit nusquam. Minus probabilis est altera Patricii coniectura *tam fuse lateque*. Nam quod est in Orat. 32, 113 facultas *fuse lateque dicendi* nemo est quin videat, cum nostro loco non convenire. Moserus. Merito illa voce intpp. offenderunt, quam Otto in schedis collato alio Augustini loco de C. D. XVIII, 3, quo *iuste lateque* sane recurrit, frustra ivit defensum. Hoc ut demonstretur et quidem ex dissimilitudine sententiae, qua uterque locus consistit, satis erit ipsa verba cognoscere: *Nam et Io filia Inachi fuisse perhibetur, quae postea Isis appellata, ut magna dea culta est in Aegypto: quamvis alii scribant eam ex Aethiopia in Aegyptum venisse reginam: et quod late iusteque imperaverit, hunc honorem illi habitum esse divinum.* Ut hic *iuste* optime habet, ita illo loco si res publica *iuste* imperare diceretur, profecto alio ad ipsius salutem tuendam fulcro non opus fuisset, quum in ipsa iustitia firmissimum haberet. Probarem Patricii *longe*, nisi a scriptura paullo longius distaret. Incideram in *vaste*. Vulgatum tuetur Henricus de Hassia l. l.

veterem morem] Viv. edidit *veterum morum*, Sch. ut Edd. Fragmm. Cic. *veterum morem*, videlicet ut *maiorum* et *veterum* sibi respondeant invicem. Sed hoc non est necessarium etc. Moserus. Immo vulgata egregie convenit cum consuetudine dicendi Tulliana, de qua dixi Adn. cr. in Quintil. X. Part. III. p. 9.

aetas, quom rem publicam sicut picturam accepisset egregiam, sed iam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus eisdem, quibus fuerat, renovare neglexsit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem eius et extrema tamquam lineamenta servaret. Quid enim manet exs antiqueis moribus, quibus ille dixsit rem stare Romanam? quos ita oblivione opsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de vireis quid dicam? Mores enim ipsei interierunt virorum penuria, quoius tantei malei non modo reddenda ratio nobeis, sed etiam tamquam reeis capitis quodam modo docenda caussa est. Nostreis enim vitieis, non casu aliquo, rem publicam verbo retinemus, re ipsa vero iam pridem amisimus. *Haec Cicero fatebatur longe quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de Re publica disputare.* (Augustin. C. D. II, 21. Tom. V. p. 132 sq. cf. II, 25. p. 144.)*

Ius civile per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum, Cn. Flavius libertino patre genitus et scriba, cum

quom] Vulgo *cum* vel *quum*.

vetustate] Locum a verbis *nostra vero aetas* usque huc citat c quinto de rep. etiam Nonius voc. *vanum*; sed mendose *ut nostra*; nam *ut* particulam recte praetermisit Augustinus. Additur tamen *iam* ante *evanescentem* apud Nonium, quae particula in Augustino desideratur. Maivs. Atque abest *iam* etiam ab Henrico de Hassia, qui, notante Creuzero l. l. p. 1002, totum hunc locum ex Augustino transcripsit. Idem Henricus mox *hiisdem* (pro *iisdem*) *eius extrema, abolatos* (pro *obsoletos*), *ut modo non colantur*.

neglexsit] Vulgo *neglexit*, mox *ex*, et *dixit*.

opsoletos] Vulgo *obsoletos*: mox *cuius*.

*] Post hoc fragmentum Maius in modum alius locum Taciti Ann. III, 26 a verbis *Vetustissimi mortalium* usque ad *Hinc Gracchi* etc. posuit hac nota sustentatum: „Ciceronem in his politicis libris (et quidem in quinto) egisse etiam de iuris romani originibus, cum alia indicia suadent, tum certe locus ille de Cn. Flavio, quem in proximo scholio laudaturus sum. Amisso autem praeclaro Ciceronis tractu, occurrebat mihi hic insignis Taciti de eodem argumento locus. Dicet aliquis; num idcirco Tacitus Ciceronem expilat? — Verba, inquam, sine dubio Taciti sunt; sententia tamen fortasse tulliana; vel certe digna quae vice eius fungatur.“ Mihi quidem ille Taciti locus a corpore contextus Ciceroniani omnino secludendus visus est. Ceterum hoc loco Tacitino et adsumpto fragmento sequente Maius nunc novum unum caput complevit, ordine capitum secundum, quo vulgata capitum series turbatur. Quod quum incommode factum videatur, priorem ordinem ita servandum duximus, ut fragmentum ex Val. M. adlectum, quamvis diversi argumenti, capiti primo adsignaverimus.

ingenti nobilitatis indignatione factus aedilis curulis, vul. *gavit; ac fastos paene toto foro exposuit.* (Valerius Maximus II, 5, 2.)

p. 247 **II. [III.] 3.** *** ***Nihil esse tam*** **regale quam explanationem aequitatis, in qua iuris erat interpretatio, quod ius privatei petere solebant a regibus: ob easque causas agrei, arvei et arbustei et pascuei, latei atque uberes**

exposuit] Locum hunc notavit censor lipsiensis; neque tamen iudicavit (quod mihi secus videtur) pertinere ad quintum de rep.; quamquam reapse Cicero Cn. Flavii fastos vulgantis meminerat in his politicis libris, teste ipsomet Cicerone ad Att. VI, 2; quem ego locum scripsi olim inter testimonia in principe editione; nunc autem heic in scholio libentius pono. Sic ergo Cicero: *irascitur, qui volet, patiar;* τὸ γὰρ ἐν μετ' ἐμοῦ: *praesertim cum sex libris, tamquam praedibus, me ipsum obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo. E quibus* unum ἱστορικὸν *requiris de Cn. Flavio Cn. filio. Ille vero ante X. viros non fuit; quippe qui aedilis curulis fuerit, qui magistratus multis annis post X. viros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse; ne me hoc vel potius Africanum, is enim loquitur, commentum putes.* Maivs ed. alt. Ibidem idem in Add. p. 386: „Valerii M. fragmentum videbitur quibusdam fortasse post caput III ponendum, quoniam Flavius post reges fuit." Rem in hoc fragmento tractatam Cicero retractat or. pro Muraena 11. Cf. Liv. IX, 46. Pompon. de orig. iur. §. 5.

Nihil etc.] Verba facit auctor de priscis regibus, qui iudicia per se ipsi exercebant. Loquitur autem, ut credo, Manilius, cuius si ullae fuerunt partes, qua de re dubitari nequit, eas fuisse defendendi laudandique iuris necesse est; idque se facturum Manilius ipse innuit de rep. I, 13. Maivs. Haec verba [*nihil esse tam*] Sch. ut verba Codicis expressit, Heinr. plane omisit, Steinack. nonnisi *tam* servavit. Censor Lips. (1824. 6. p. 44) dicit, sive folia, quae ex hoc libro exstant p. 247. 248 et 253. 254 esse transponenda, posteriusque loco prioris reponendum, sive quod separatum sine socio exstat folium 199. 200 illis videri interponendum. Nam et in fine cap. 2 *Illa autem — quod quidem huius civis proprium, de quo agimus,* et c. 4. 5 sermonem esse de rege, qualis esse debet, legum latore morumque auctore: *Nec vero tam* etc. Contra vero folium 253. 254. c. 3 de iurum peritia exercenda (*noster hic rector — civilis non imperitus —*) melius convenire principio c. 2 (p. 247. 248) ubi Manilio *nihil tam regale* videtur *quam explanatio aequitatis — quod ius privati petere solebant a regibus.* — Quae ratio admodum videtur probabilis. Moserus.

interpretatio] Cod. *interpraetatio*. V. ad I, 1.

easque] Cod. *qui*. Maivs.

caussas] Hoc cum Nobbio scripsi. Vulgo una *s*.

agrei etc.] Vid. Niebuhr. in Ind. Lat. v. *arvus*. Contra quem Steinack. ad h. l. ita disputat, postquam correxit *arvis et arbustis et pascuis*: „Scriptio Codicis etsi aliquo modo ferri potest, minime tamen concinna est. Ferri autem illa tum demum aliquo modo possunt, si *arvi, arbusti, pascui* altero casu dici putamus; non ut adiectiva sint:

quam simpuvia pontificum deis immortalibus grata sint Samiaeque, ut ibei scribit, capedines. (Nonius v. *Samium* p. 398. ex Cic. VI. de Rep.)

III. 3. *Imitatione Platonis Cicero de re publica scribens, locum etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam,*

„Vexatus in codd. Nonii locus. Verba *oratio extat*, vel *est*, absunt a vaticanis codd. itemque a plantin. editione. Vox *Laeli* item corrupta est, *Ledi*, et *Leni*: tres tamen codices habent *Laeli*, nullus *Laelii*. Cuncti codd. pro *simpuvia* habent *si imperia*: item pro *is scribit* habent *ibi scribit*, quod retineo. Unus corrupte *ibit*; alter pro *lib. VI* habet *lib. III.* Unus denique praetermittit totam exemplum. Quaestio autem eruditorum est, num heic *Laeli* sit secundus casus an quintus. Sane secundus casus ita scribitur in antiquis codd.; heic autem sermonem fieri de Laelii oratione satis arguitur ex Cic. N. D. III, 2 et 17, quibus in locis appellatur de religione nobilis et aurcola Laelii orationcula, in qua mentio erat capeduncularum Numae. Licet autem arbitrari, Ciceronem in hoc loco politico locutum esse copiose et pro dignitate de religione, sine qua resp. persevérare non potest. Cic. N. D. I, 2. legg. 1 ff. 21.“ Totum hunc locum longe aliter atque nunc vulgatur, a Cicerone exhibitum fuisse ex varietate codd. Vatic. et nunc vel maxime ex Nonii ed. Bas. cognoscitur, ubi ita scribitur: „M. Tullius de Re publica lib. III: *et non pauper uti oratio*, et in lib. VI: *Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpuia pontificum diis immortalibus grata sint Samiaeque, ut hi scribit, cappulines.*“ Ex his, etsi mendosa aperte et lacunosa sunt, tamen hoc prodire videtur, agi de duobus Ciceronis locis diversis, in vulgata scriptura confusis; utriusque vero quae olim ratio fuerit, plane ignoramus, quandoquidem prioris verba integra non esse ex eo perspicitur, quod Samiorum, quorum gratia is exempli loco affertur, in eo nulla mentio fit. Neque integrior alter locus potest haberi, quum absonum fuisset verba illa *Laeli — manibus*, quae abrupta ut sunt intelligi nequeunt, neque quidquam cum Samiis commune habent, apponere. Utram igitur scripturam exhibeamus, sive vulgatam sive ex Nonii codd. nunc erutam, nullo pacto Tullianam exhibebimus: quare in hoc rei discrimine et in summa de loco aliquando emendando desperatione nolui priorum editorum exemplum deserere.

Laelei] Praeter Maium, qui *Laeli* exhibet, ceteri omnes *Laelii*.

simpuvia] Latahinus *simpinia*, quae vox auctoritate destituitur. Speciosa vero emendatio plurium *simpula*, ut utra voce Tullius reapse usus sit dubites. De vasis his in sacris a Romanis adhibitis, quorum formas in nummis habemus (v. Rasche T. IV, 2. p. 1029), consulendus Moserus est. Scriptura Nonii *simpaia*, quam apud eundem alio quoque loco p. 545 codd. retinent, repetenda ex frequenti scribendi errore.

deis] Vulgo *diis*.

sint Samiaeque] Vett. edd. Nonii *sine Samio quae*, quae correxit Sigonius. De vasis Samiis fictilibus, quae magno non habebantur pretio, adi Parei Lex. cr. v. *Samia* p. 1111 et Dissen ad Tibull. II, 3, 47. Adde locum Tertulliani memorabilem ex Apolog. 25 supra p. 183 descriptum. Hinc *Samius* passim apud Plautum i. q. fictilis. De capedinum sive capeduncularum forma et usu in sacrificiis consulendus Rasche Lex. T. I, 2. p. 323.

Imitatione Platonis] De rep. X, 12. p. 626.

Eris] Editio Eulogii habet *regis*; sed mendum certum pro *Eris*. Maivs.

Pamphyli] Orellius in ed. Eulogii mavult *Pamphylii*, qua mu-

quei, *ut ait*, rogo impositus revixisset, multaque de infereis secreta narrasset, *non fabulosa, ut ille, assimilatione commentus est, sed sollertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans*, haec quae de animae immortalitate dicerentur, caeloque, non somniantium philosophorum esse commenta, nec fabulas incredibileis, quas Epicurei derident, sed prudentium coniecturas. *Insinuat Scipionem illum, qui Karthagine subiugata cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni, Paulli filio, futuras a propinquis insidias, et fatalis metae denuntiare curriculum, quod necessitate numerorum in vitae perfectae tempora coarctetur; ponitque illum aetatis suae quinquagesimo ac sexto anno, duobus in se coëuntibus numeris, absolutam caelo animam, unde acceperat, redditurum* etc. (Favonius Eulogius comm. ad somn. Scip. p. 438. Graev. p. 401. Orell.)

IV. 4. *Nonnulli nostri, propter quaddam praeclarissimum loquendi genus et propter nonnulla, quae veraciter sensit, amantes Platonem, dicunt eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse. Quod quidem sic tangit in libris de re publica Tullius, ut eum lusisse potius, quam id quod verum esset, affirmet dicere voluisse. Inducit enim hominem revixisse et narrasse quaedam, quae Platonicis disputationibus congruebant.* (Augustinus C. D. XXII, 28. Tom. V. p. 1386.)

V. 5. *In hoc vel maxime operis similitudinem servavit imitatio, quod quum Plato in voluminis* (*de rep.*) *conclu-*

tatione non opus, quum praesertim illam formam habeat Plato eo Politiae loco, quem Eulogius exscribit. V. ad c. 6.

revixisset] Vulgo *revixisset*.

haec, quae] Barthius *nec quae*.

non somniantium] Negationem h. l. prorsus necessariam esse viderunt Maius, Schütz., Nobbius, etsi negantibus Heinr. Lehn. Mosero. [Zellio]. Sed collocanda erat ante v. *somniantium*, non vero ante v. *esse* [ut illi fecerunt]. Orellius.

Epicurei] Si scriptura est Tullii, scribendum *Epicuriei*, de qua forma v. Excurs. XI.

duobus — redditurum] Haec omisit Maius [quem Nobbius secutus est], sed nos ea addenda censuimus ex ed. Heinr., quia sensum, incommode interruptum, plenum reddunt. Moserus. Huic cum ceteris atque cum ipso nunc Maio obtemperandum nos quoque duximus.

absolutam] Orellius in Eulogii ed. *absoluto* legendum proponit.

nostri] In exemplari Viyesii est *nostrum*.

imitatio] Os. *intentio*.

sione a quodam vitae reddito, quam reliquisse videbatur, indicari faciat, qui sit exutarum corporibus status animarum; adiecta his quadam sphaerarum vel siderum non otiosa descriptione; rerum facies non dissimilia significans a Tulliano Scipione per quietem sibi ingesta narratur. (Macrobius in Somn. Scip. I, 1.)

VI. 6. *Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reservans, quam ingenio repertus est. Postquam in omni reip. otio ac negotio palmam iustitiae disputando dedit, sacras immortalium animarum sedes, et caelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit; indicans, quo his perveniendum sit vel potius revertendum, qui rem publicam cum prudentia, iustitia, fortitudine ac moderatione tractaverunt. Sed ille Platonicus secretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylus, miles officio, qui quum vulneribus in praelio acceptis vitam effudisse visus, duodecimo demum die inter ceteros una peremptos ultimo esset honorandus igne, subito seu recepta anima seu retenta, quidquid emensis inter utramque vitam diebus egerat videratve, tamquam publicum professus in-*

his] Adieci ex Goth. Darm. Os. Omisit Ianus, mox *archana* exhibens.

sit] Addidi ex Os. et Goth., deleto ex eorundem librorum auctoritate *sit*, quod vulgo post *revertendum* adiicitur, probatum Iano.

prudentia, iustitia] Os. ordine inverso.

tractaverunt] Sic Edd. Macrobii, Heinr. Lehn., ut videtur, ex ipsius Macrobii Latinitate. *Tractaverint* Mos. Nobb. ex coni. *Tractaverit* Maius [ed. pr.], Schütz. Orellivs. Os. *tractaverint*, et ita Ianus; Goth. et Darm. *tractaverunt*.

Pamphylus] Proclus *τὸ γένος Πάμφυλος*. Quamobrem nolui cum aliis emendare, vel potius corrumpere *pamphylius*. [V. not. ad c. 3.] De Eris nomine ac genere, quem quidam Zoroastren putaverunt, multa ac praeclara disputat Proclus, quem nos aliquando luce donabimus. Citat autem in ea disputatione Proclus et sui ipsius et Zoroastris de natura libros: item auctores Cronium [De hoc Platonico philosopho v. ad Cornutum p. XXXVII.] et Theodorum Asinaeum. Arnobius lib. I. ed. plantin. p. 31 inter magos post Zoroastren numerat Armenium Zostriani nepotem, et Pamphylum familiarem Cyri. Vides autem quam haec quadrent ad illam controversiam, quam Proclus ineditus versat. Maivs ed. alt.

demum die] Ita Os. Goth. Darm. Vulgo *die demum*.

ultimo] Darm. *ultimus*.

honorandus] Os. *urendus*.

anima] Animae a corpore recessum ad tempus (quam nos extasim diceremus) admittunt apud Proclum libri sacerdotales, itemque Augustinus de civ. D. XIV, 24. Pueri exemplum, cuius anima virga *ψυχουλκῷ* educebatur corpore, scribit imperfectum propter codicis vitiati lacunam Morus ad act. XX, 10. Lege similia de Hermotimo apud Plinium hist. VII, 52 et apud Origen. contra Cels. III, 32. Maivs ed. alt.

dicium, humano generi enuntiavit. Hanc fabulam Cicero licet ab indoctis, quasi ipse veri conscius, doleat irrisam, exemplum tamen stolidae reprehensionis vitans, excitari narraturum, quam reviviscere maluit. (Idem ibidem.)

VII. 7. *Ac prius quam somnii verba consulamus, enodandum nobis est, a quo genere hominum Tullius memoret vel irrisam Platonis fabulam, vel, ne sibi idem eveniat, non vereri. Nec enim his verbis vult imperitum vulgus intelligi, sed genus hominum veri ignarum sub peritiae ostentatione: quippe quos et legisse talia, et ad reprehendendum constaret animatos. Diximus igitur et quos in tantum philosophum referat quondam censurae exercuisse levitatem, quisve eorum etiam scriptam reliquerit accusationem etc. Epicureorum tota factio, aequo semper errore a vero devia, et illa existimans ridenda, quae nescit, sacrum volumen et augustissimum irrisit naturae seria. Colotes vero inter Epicuri auditores loquacitate notabilior,*

indicium] Sic Edd. Macrobii; Mes. [quem vide] Nobbius [Zellius]; *iudicium* Maius, ceteri. Orellivs. Illud Os. Darm. Goth. firmant.

vitans] Goth. *devitans.*

ostentatione] *Ostentatione philosophum* scripsit Maius (Schütz. Lehn. Moser. quamvis dubitans, Nobb.) non satis gnarus Macrobianae Latinitatis. Delenda fuit interpolatio cum Edd. Macrobii, et Heinr. Orellivs. Nihilo secius Maius *philosophum* in ed. nov. retinuit. Ignorant Codd. mei.

constaret] Fabulam tuetur contra Colotem Proclus, simulque docet quot ei loco illustrando docti platonici curas impenderint, nempe Numenius, Alcinus, Gaius, Maximus nicaenus, Harpocration, Euclides, [De his philosophis eorumque in Platonem lucubrationibus disputavi Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 600.] et denique Porphyrius prae omnibus, qui Proclo videtur abditorum in fabula sensuum praecipuus interpres. Legesis etiam Origenem contra Celsum II, 16. Maivs ed. alt. Ordo verborum *constaret animatos* Codd. meorum fide nititur: vulgo *anim. const.* quod repetiit Ianus.

accusationem] Sequuntur apud Macrobium haec: *et postremo quid pro ea duntaxat parte, quae huic operi necessaria est, responderi conveniat obiectis: quibus quod facile est, enervatis, iam quidquid vel contra Ciceranis opinionem etiam in Scipionis somnium seu iaculatus est unquam morsus livoris, seu forte iaculabitur, dissolutum erit.* Quod vulgo ante *vel contra Ciceronis* inseritur *vel contra Platonis* ut pravam interpolationem cum Goth. Darm. Os. delevimus. Delevit Ianus quoque.

Colotes] V. not. ad argumentum huius libri VI. Longiori adnotationi ex ed. pr. nunc repetitae Maius addidit Tac. Agr. 46 consulique iubet Tullium de sen. 23, ubi *minutos philosophos* appellet, qui morte animum exstingui censuissent. Paullo ante Ianus *aestimans.*

loquacitate] Praemittuntur vulgo *famosior et*, quae ex auctoritate Codd. laudatorum sustuli. Item sustulit Ianus.

etiam in librum retulit, quae de hoc amarius cavillatus est. Sed cetera, quae iniuria notavit, siquidem ad somnium, de quo hic processit sermo, non attinent, hoc loco nobis omittenda sunt: illam calumniam persequemur, quae nisi supplodatur, manebit Ciceroni cum Platone communis. Ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi: quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona casusque excogitata novitas, et composita advocati scena figmenti, ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt? Haec quoniam, dum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani nostri somniantis incusant, resistamus urgenti et frustra arguens refellatur etc. (Macrob. l. 1. cap. 2.)

VIII. 8. *Scipionem haec occasio ad narrandum somnium provocavit, quod longo tempore se testatus est silentio condidisse. Quum enim Laelius quereretur, nullas Nasicae statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, respondit Scipio post alia in haec verba:* Sed quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum am-

cavillatus est] Vulgo *reprehendit*. Illud Os. Goth. Darm., hic addita alterius m. scriptura *calumpniatus est*.

notavit] Veluti de poenis apud inferos, de Eris corpore post tot dies incolumi, de incredibilitate, ut aiebant epicurei, reviviscendi, deque aliis; quae omnia obiecta Proclus copiose dissolvit. Et quidem etiam Chrysippus apud Lactantium inst. VII, 23 possibilem ait corporum resurrectionem generalem. Idem Proclus, cum Macrobio, aptissimam ait esse hanc fabulam ad demonstranda futurae vitae seu praemia seu poenas; id quod divinae providentiae prorsus esse consentaneum diserte confirmat. Maivs ed. alt.

supplodetur] Ita Darm. et Os. et nunc Ianus ex codd. Vulgo *supplodatur*.

notionem] Darm. *notationem*.

dum] Ita Os. Darm. Goth. Vulgo *eum* vel *quum*.

resistamus etc.] Haec a Maio omissa cum aliis ex Macrobio addidimus. Paullo ante Ianus *incusant*.

Scipionem] Apud Macrobium est: *Scipionem ipsum*, quod susceperunt Heinr. et Orell.

Quum enim Laelius quereretur etc.] V. Cod. Vind. 3 Somnii Scipionis praescriptionem. De Scipionum statuis v. Bergk in Zeitschr. f. d. A. 1845. p. 793.

in publico] MDarm. *publice*, sed 2 m. ut vulgo.

remunerationem] Heinr. *remuneratione*.

plissumum virtutis est praemium; tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerenteis, nec triumphos arescentibus laureeis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tandem ista sunt, inquit Laelius? Tum Scipio, Patiminei me, quoniam tertium diem iam feriatei sumus *et cetera, quibus ad narrationem somnii*

amplissumum] Vulgo *amplissimum*.

est praemium] Schütz. *praemium est*.

inhaerentes] Catoniana sententia haec est. Noluit enim Cato sibi statuam poni: quod diceret, malle se iam quaeri cur non, quam cur sibi statua esset posita; Plut. reip. ger. pr. t. IX. p. 263 et apoph. t. VI. p. 750. Vel sententia petitur ex Ennio, qui de maiore Scipione sic loquitur apud Trebellium in Claudio cap. VII. In eandem fere sententiam loquitur etiam Maecenas ad Augustum apud Dionem LII, 35; et magnifice, ut cetera, Tacitus Agr. fin. Confer Catonis dictum apud Frontonem de fer. als. II. Cur statuae poni debeant bene meritis de rep. viris, docet Symmachus ep. X, 32. Maivs ed. alt. Non possum mihi temperare quin egregium de virtutis praemiis locum hic adscribam ex Sallustio de mundo 21: *Αἱ δὲ κατ' ἀρετὴν ζήσασαι ψυχαί, τά τε ἄλλα εὐδαιμονοῦσαι καὶ τῆς ἀλόγου χωρισθεῖσαι καὶ καθαραὶ γενόμεναι σώματος, θεοῖς τε συνύντουσαι καὶ τὸν ὅλον κόσμον συνδιοικοῦσαν ἐκεῖνος. Καί τοι καὶ εἰ μηδὲν αὐταῖς ταύτων ἐκίνετο, μὴτή γε ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ ἐκ τῆς ἀρετῆς ἡδονή τε καὶ δόξα, ὅτε ἄλυπος καὶ ἀδέσποτος βίος εὐδαίμονας ἥρκει ποιεῖν τοὺς κατ' ἀρετὴν ζῆν προελομένους καὶ συνηθέντας.* Sed apvius videbitur *statuas plumbo inhaerentes* quid sit, quod interpretes silentio transeunt omnes, verbo explicare, et quidem adiuvante Olympiodoro, qui ad illa Aristotelis Meteor. I, 12, 18: *χρῶνται γὰρ τῷ κρισταλλῳ, ὥσπερ τῷ μολίβδῳ, ἵν' ἠρεμῆσαι οἱ κάλαμοι* adnotat p. 238. ed. Ideler: *Οὐχ ὥσπερ αὐτοὶ κέχρηνται τῷ μολίβδῳ ἀποδεσμοῦντες ἐν τῇ ὁρμιᾷ, οὕτω κέχρηνται καὶ νῦν τῷ καλάμῳ, ἀλλ' ὥσπερ οἱ τὰ ἀγάλματα ἱστῶντες κέχρηνται αὐτῷ χάριν τοῦ στηρίξαι καὶ ποιῆσαι ἠρεμῆσαι ἐπὶ τὸν βώμον τὸ ἄγαλμα.* Adde Basilium Quomodo leg. Gr. libri p. 91. Grot. *Μίλων — οὐκ ἐκθετος, ἀλλ' ἀντεῖχεν ὠθούμενος οὐχ ἧττον ἢ οἱ ἀνδριάντες οἱ τῷ μολίβδῳ συνδεδεμένοι*, de quo loco v. Welckerum Mus. Rhen. 1832. I. p. 76. Intelliguntur statuae singulae in symplegma, vel partes statuae in unum iunctae et plumbo conglutinatae.

tandem] Sic Edd. Cic. Lamb. Ern. Schütz. Maius, sequentes praeter Heinr. [et Zell.], qui cum Edd. Macrobii *tamen*. Omittit *tandem* Cd. Rehd. Orellivs. Codd. mei *tandem*. Ianus *tamen*.

Patiminei me] Vulgo addunt *inquit*, quod delevi cum MOs. MDarm. et R. Uncis inclusit Schütz.

quoniam tertium diem iam] Omittunt *iam* Edd. Cic. Lamb. Ern. *Quoniam iam tert. d.*, vel *quoniam tertium iam d.* Moserus suspicatur, ac revera Cd. Rehd. *quum iam tertium d.* Orellivs. Exhibenda hic sunt quae prooemii loco ad somnium exstant in R., hic transcripta ex Moseri repetitione p. 541: „[Cum in Africam venissem] Platonem, Stoicae quidem sectae principem, sex libros constituisse, qui de re publica inscribuntur, scripsit Macrobius. [Comm. in Somn. I, 1.] Constat etiam Ciceronem totidem de republica volumina confecisse. Perspicuum autem est, in hoc inter se utrumque interesse. Ille enim, quemadmodum respublica gubernanda sit, praecepta tradidit. Hic vero qualiter a maioribus esset instituta, disseruit. Inter se nimirum haec est servata imitationis similitudo. In suorum namque operum extremo de animae im-

venit, docens illa esse stabiliora et viridiora praemiorum genera, quae ipse vidisset in caelo bonis rerum publicarum servata recteribus. (Idem I, 4.)

SOMNIUM.

(Numerus posterior parentheseos signo circumscriptus notat caput separatae olim Somnii editionis.)

IX. [I.] 9. Quom in Africam venissem M'. Manilio consulei ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum:

mortalitate, de caelestibus circulis, orbibus et globis uterque disputavit, sed Plato quendam natione Pamphilum, cui nomen Er fuerat, hac ut de re loqueretur, introduxit. Is enim, ut disertissimi Macrobii [l. l.] plana sententia est, tot in proelio, dum pro patria pugnaret, accepit vulnera, quod cunctis extinctus esse videbatur. Post autem duodecimum diem, dum cum aliis, una secum occisis, ultimo esset honorandus igne, ipsum de animarum aeternitate, de siderum stellarumque cursu, de globorum situ et denique de praemiis bene de republica meritis in coelo destinatis narrantem vitae restituit Platonica persuasio. Cicero vero, cum hoc etiam idem declaraturus esset, e somno dormientem excitari, quam vita privatum reviviscere maluit. Publium namque Scipionem assumpsit, et haec omnia, cum Carthaginem petens ad quartam legionem tribunus a Manilio tum consule destinatus apud Masinissam regem, hospitatus esset, cum a patre suo Paullo Aemilio, tum avo, maiore Africano, se per quietem habuisse simulavit. Postremi igitur libri Ciceronis de Republica pars hoc opus est; potestque iis, qui [leg. cum Mos. *quae*] antecedentia sunt, hoc pacto subnecti. Cum Laelius, P. Scipio, Fylus, Manilius et alii plures eos, qui de republica bene meriti fuerant, simul commemorarent, in Nasicae denique mentionem inciderunt, conquerebaturque Laelius, nullas ei statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, atque respondit Scipio post alia multa haec verba: *sed quam quam sapientibus conscientia factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen illa divina virtus, non statuas plumbo inhaerentes, nec triumphos arescentibus lauris, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae ista sunt? Laelius. Tum Scipio, Patimini me, quum iam tertium diem feriati sumus.* Tandem Laeli verbis victus Scipio sic exorsus est: *Cum in Africam venissem.*"

Quom] Edd. aut *cum*, aut *quum*. Goth. *un*, omissa prima littera, scilicet rubro serius pingenda.

Africam] Vind. 1. Goth. Arn. Os. *Affricam*, et sic ii constanter per duo *ff*.

venissem] Arn. *venisset*.

M'. Manilio] Ita Sigonii de sententia, uberius exposita apud Moserum, omnibusque Edd. probata. A. V. M. *Anitio Manilio*. Cr. Uff. Dresd. 2. Herb. A. Rom. Dav. *A. Manilio*. R. *a mutio manilio*. Dresd. 1. *M. Mallio*. Vrat. *A. Mallio*. Os. *Amallio*. Vind. 3. *Anicio Manlio*. Arn. Darm. *A. Manlio*. Goth. *M. Ma'llio*. *Manlio* multae Edd. vett. servant. S. *Anicio Mallio*. Bern. et Bb. *Manlio*. Planudes Ἀνικίου Μαλλίου (vel Μαλίου, vel Μανλίου) et continuo ὑπατεύοντος. A Vind. 1. ambo nomina una cum *consuli* abstmt: quod mihi aliquando scrupulum iniecit, ne ex chronologia male a quopiam inserta totus locus vitiatus esset.

consulei] Arn. Goth. Cr. Uff. Darm. Os. Bern. Bb. Vind. 2. 3. Dresd. 2. Vrat. R. Rom. Dav. multaeque aliae Edd. *consule*, susceptum

nihil mihei fuit potius, quam ut Masinissam convenirem

a Iano quoque: quod si probaretur, Ochsnerus monuit, scribendum esse cum Pighio *Marcio Manilioque eoss*, id quod etiam Bouherius, teste Orellio Cic. Anal. T. IV, 1. p. 575, suadebat. Praeterea Krebsium Antibarb. ed. 2. §. 28 Pabstius Var. lect. Somnii p. 7 conferri iubet. Eadem constructio supra II, 40 *tibi quom eisem legatus*, et or. pro Flacco 3, 6.

ut scitis, militum] Vind. 3 *militum ut scitis*. R. *militum ut scitis destinatus*. Edd. nonnullae *ut scitis trib. mil.* Post *militum* Goth. addit *esse*. Vulgatum firmat Planudes ἐπὶ τὸ τέταρτον τάγμα δήμαρχος (nisi scrib. χιλίαρχος), ὡς ἴστε, τῆς στρατιᾶς.

nihil mihei] Os. *michi nihil*.

nihil] Darm. *nichil* et sic constanter. V. infra monita.

fuit potius] Ita pro *potius fuit* Vind. 1. 2. Goth. Vrat. Conf. Os. S. Rom. B. Iu. Asc. I. quod in tanto auctoritatum consensu reponendum fuit, etiam a Iano ad fidem codd. suorum tantum non omnium susceptum, quum praesertim Tullius *potius*, ubi adverbii certe vim sustinet, cum *quam* continuo iungere soleat. V. Of. III, 2, 6. II Verr. I, 34, 95. 32, 96. Fin. IV, 8, 20 binis locis. 14, 39. Tusc. II, 22, 52. Ep. ad Att. VII, 7. Ex aliis scriptoribus v. Sallust. Iug. 106. Contra Cic. Div. in Caec. 2, 5: *non potius accusatio quam defensio est existimanda*. Fin. I, 2, 4: *Synephebos ego, inquit, potius Caecilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam*. Quibus locis diiudicandarum vocum alia est ratio. Bb. *fuit mihi potius*. Ceterum Vind. 2 *procius*, ut etiam Arn. et Os. tam in hac quam in aliis eiusdem generis vocibus, ut *socior*, *sileucio*, *tocius*, de qua scriptura v. Pabst p. 5. SOLACIA titulus sepulchralis valde recens, in Iahnii Jahrb. Suppl. T. III. p. 286. QVOCIESCVNQVE Grut. p. 232, 1. 10. V. not. ad III, 3 *adventitium*. Ceterum de horum adiectivorum in *itius* desinentium scriptura aliter statuit H. Hattemer Ueber Ursprung, Bedeutung und Schreibung des Wortes Teutsch, Schaffhausen 1847, p. 22, qui libellus doctissimus scribenti haec mihi in manus venit: nec tamen ita persuasit mihi ut sententiam mutem.

Masinissam] Nomen regis Lamb. scribit *Massanissam*. Est enim apud alios scriptores huius regis nomen in Codd. scriptum *Masanisa*, in aliis *Massanisa*, apud Graecos scriptores *Μασσανάσσης* et *Μασσανισσης*. Mossrvs. Atque etiam alio modo in scribendo hoc nomine in Codd. vel Graecis vel Latinis fluctuari, perspicitur ex varietatum farragine quam congessere Leop. Schneider Gramm. lat. I, 1. p. 440. Hessius Spec. Somn. Scip. Graec. p. 2 seq. Alschefski ad Liv. lib. XXX. p. LXXVIII. Reinesius Not. in Manil. p. 20 Elcsnio laudatus. Nos interim antecessores nostros secuti eam formam exhibuimus, quae et Silii Italici auctoritate, qui XVI, 117 *nomen Masinissa superbum* dixit, firmata, atque etiam aliis, veluti Gernhardio ad Cat. mai. 10 (ubi tamen v. Ursin.), Zumptio ad II Verr. IV, 46 Silii haud immemori, in scriptoribus certe Latinis praeferenda visa est. Atque huic scripturae aliquatenus favet lapis Carthagine nova repertus, in quo huius regis nomen MASINISA exhibetur, apud Shaw Reisen in der Barbarei p. 418. *ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ*, quod une in nummo hactenus repertum exstat apud Haym Thes. Brit. T. II. tab. 18, 1, perdubium est propter dubiam ipsam nummi originem, qui Lacedaemoniis accensendus ab Haymio p. 157 seq. videtur, ita ut an regis nostri nomen exhibeat, admodum incertum sit. Ceterum Arn. et Vind. 2 *Massinissam*, 3 *Maxinissam*. Rom. *Maximissam*.

convenirem] Vrat. *convenissem*.

regem, familiae nostrae iusteis de causseis amicissumum. Ad quem ut venei, complexus me senex collacrumavit, aliquantoque post suspexsit in caelum et: Grates, inquit, tibei

regem] Cum Vind. 1 et Darm. hic interpungere malui quam post *convenirem*, ut vulgo non apte me iudice fit. Vocem omittit Arn.

iusteis] Cr. Dav. et Rom. *multis*.

causseis] Ita cum Nobbio scripsi: vulgo *causis*.

amicissumum] Vulgo *amicissimum*.

ut venei] Cr. Dresd. 2 et Dav. *cum* pro *ut*.

complexus me senex] Vind. 3 *senex me complexus*. Rom. *compressus* pro *compl.* Vulgo *complexus*.

collacrumavit] Vulgo *conlacrimavit*, quod expressit Ianus, ut antea *conplexus*, hac scribendi ratione in eiusdem generis verbis usus, verius fortasse ad consuetudinem Tullianam: in ceteris vulgarem scripturam secutus est, quod quoque loco notare superfluum visum est. Litteras u usus in scriptura recepta antiquioribus temporibus vindicatur testimonio Cornuti vel potius Varronis apud Cassiodor. de orthogr. T. II. p. 576, alteram formam demum auctore I. Caesare in consuetudinem receptam esse: qua de re conferantur monita in Excursu IV. Tertiam vero formam per y antiquos plane repudiasse, recte Pierius adnotavit ad Virg. Aen. VI, 1, de ceteris omnino conferendus: quandoquidem in verbis Graecis mutuandis antiquos y in u vertisse constat. V. Bentl. ad Hor. Epp. I, 15, 5. Heusing. ad Cic. Off. III, 14, 5. Act. soc. Lat. Ien. T. IV. p. 49. Praeterea de vocis scriptura adeundus Cellarius Orthogr. Lat. T. I. p. 271 et quantum ad adspirationis usum idem p. 13.

aliquantoque] Mon. *vel aliquandòque*, sed ab hl. in. supra corr. *aliquantoque*, quod firmat Planudes *καὶ μετ' ὀλίγον*.

suspexsit in caelum] Pro *in* exhibent Os. Vind. 1. 2. 3. Uff. R. Arn. Goth. Darm. Vrat. S. Bern. Bb. O6x. cum Dav. *ad*, quod glossatoris esse Moserus monet, Ianus vero suscepit. Glossatori utrumque, et *ad* et *in*, tribuerunt Pabstius p. 7 et Gernhardius Comm. II. p. 5, qui tamen quod Masinissa non coelum contemplaturus suspiceret, sed gratias acturus divinis numinibus, *in* aptissimum censuit: quibus viris doctis paene assentior, quum sine vitii suspicione *suspexit caelum* de N. D. II, 2 legatur, atque nostro loco praepositio revera Dresd. 2 omittatur. Sed *suspicere in caelum* non modo Or. de harusp. resp. 9, sed etiam supra exstat III, 2. Ceterum Os. *suspexit post ad caelum*.

Grates, inquit, tibei ago] Codd. Cr. et Uff. [Dav.] *grates tibi ago inquit*. Ed. Ven. *gratas ago inquit*, omisso *tibi*. [Ita Dresd. 1. 2 et Dav.] Ed. Asc. verbum *ago* post *Sol* repositum habet. [Ita Vrat.] Poeticum habere colorem vocem *grates* et universe totum hoc somnium monet Ochsner., huno vero locum usque ad *coelites* ex veteri quodam poeta depromptum videri posse. Moserus. Postrema in somniis referenda, neque secus esse mihi persuasit, qui Ochsneri sententiam firmaturus ita disputat, Moserus Symb. crit. in Ciceronem Spec. III (Ulmae 1833) p. 12: „Accuratius inspicienti locum nostrum nihil videbitur certius quam principium [orationis Masinissae, non tantum inde a voce *summe*, poetae alicui deberi, sed a voce *Grates*, ut iambici senarii clausulam excipiat senarius integer, legendumque sit: *Suspexit in caelum et*

Gratés (inquit) *tibi*
ago súmme Sol, vobisque reliqui Caélites,

quod, antequam etc. Nec vero impedio, si quis hunc locum continua orationis serie in posterum etiam typis exscribi velit: modo ne ea verba soluta oratione scripta esse contendat." Ceterum Darm. Goth. Conf.

ago, summe Sol, vobisque, reliquei Caelites, quod ante, quam exs hac vita migro, conspicio in meo regno et in heis tecteis P. Cornelium Scipionem, quoius ego nomine ipse recreor; itaque numquam exs animo meo discedit illius optumei atque invictissumei virei memoria. Deinde ego il-

Vind. 1 et 3 *grates tibi, inquit, ago*, quod praestare mihi quidem videtur et a turbata scriptura Codd. Cr. et Uff. nonnihil praesidii nanciscitur. Praeterea Planudes quoque: *χάριτάς σοι, φησὶν* etc. Ceterum an *gratais*, scribendum sit, ambigo.

summe Sol] R. *summe pater sol.* Rom. *sol summe.* Os. *o summe S.*

reliquei] Male *reliquis* Conf. B. M. P. Mon. Darm. Edd. nonnullae vett. Planudes: *ὑμῶν τοῖς ἄλλοις θεοῖς.*

Caelites] Quae dicitur inesse in quibusdam libris prava lectio *ecclestes pro coelites*, eam ego neque in tribus nostris Codd., neque in una ex viginti septem, quae ad manus sunt, Somnii Scipionis Editionibus reperi. Moskrvs. Conf. *caelitis*, quod Kleinio tertius casus esse videtur pro *caelitibus*.

quod] Arn. *quia*. Mox sequens *quam* omittit Bern.

exs] Vulgo *ex*, ut mox.

meo regno] Arn. Cr. Uff. Dresd. 2 et Ed. Ven. *regno meo*.

in heis tecteis] Revocavi praepositionem vulgo omissam ex Vind. 2. O2x. Darm. Vrat. Conf. Os. Ed. Asc. aliisque apud Orell. V. ad II, 11.

heis] Vind. 1. Conf. *hiis*.

quoius] Vulgo *cuius*.

ipse] Uff. Mon. Os. O3x. Arn. Vrat. S. Bb. cum Rom. aliisque et Edd. ap. Mos. et Orell. *ipse*, perperam. Omittunt Dresd. 1. R. Conf. et Bern. Vind. 1 *nomine recreor ipse*.

recreor] Ed. Ven. *vereor*.

itaque] Obtemperandum fuit Vind. 1. 2. 3. Vrat. Conf. Goth. Darm. Dresd. 1. 2. Cr. Uff. Mon. O4x. R (de hoc tacet Klein.) Edd. Rom. Dav. aliisque Edd., in quibus pro *ita*, quod vulgatur, quodque Ianus suscepit, *itaque* exstat, quod licet Moserus a correctore parum sagace profectum dicat, tamen in hoc auctoritatum consensu spernere nefas duxi. *Itaque* vero non vi consecutiva, sed copulativa positum, ut sit pro *et ita*; ut in Or. pro Fonteio fragm. ed. Niebuhr. p. 53: *ita ego defendo M. Fonteium, itaque contendo*. Cf. Madvigii Ep. cr. ad Orell. de Cic. Verr. p. 84. Alia sat multa exempla congesserat pridem Heumannus Poecil. T. II. p. 366 sq., etsi is frequentior particulae usus, ut excipiatur a seq. *ut*. Adde Nepotis Vit. Attici 11. fin. Eutrop. II, 14. In frequenti autem vocum *ita* et *itaque* commutatione in MSS. permultis locis utram Cicero scripserit, dubium manebit, ut de inv. II, 1. Cf. Goer. ad Legg. II, 11. p. 109. 13. p. 154.

meo] Abest a Rom.

numquam] Os. *nunquam*.

discedit] Vind. 1. Darm. aliique Codd. et Edd., notantibus Mosero et Orellio, *discessit*, quod etiam Planudes legit scribens *ἀναχωρήσαντος*. Graevius *descendit*, ut Os. Eadem praesentis ratio in Quintiliani X, 1, 50, de Homero discentis: *in verbis, sententiis . . . nonne humani ingenii modum excedit?* ubi eadem exstat varietas scripturae in libris nonnullis, *excessit* exhibentibus.

optumei] Vulgo *optimi*, et mox *invictissimi*, cuius loco Uff. *instissimi*; sed illud in marg. Arn. *iustissimi*. Aliud quidpiam denique in Godice suo legisse Planudem, testatur *πρωτεύοντος*, quo posterius epithe-

lum de suo regno, ille me de nostra re publica percunctatus est: multisque verbeis ultro citroque habiteis, ille nobeis consumptus est dies.

X. 10. Post autem apparatu regio acceptei „sermonem „in multam noctem produxsimus“, quom senex nihil nisei

ton reddidit. Ianus *optumi*, sed mox *invictissimi*, suam scribendi normam in talibus non secutus.

illum] Omittit Vind. 1.

suo regno] Arn. *regno suo*.

percunctatus] Vrat. *percontatus*. R. *percontatus*, ut Ianus.

multisque verbeis] Cr. Dresd. 2 cum Edd. Ven. et Dav. *deinde multis verbis*. Cum vulgata facit Planudes.

habiteis] Arn. *habitus*. Ad phrasin compara Liv. IX, 45, 2: *oratione ultro citroque habita*. Os. *citraque*.

nobeis consumptus est dies] S. Os. et Dresd. 1 *nobis est consumptus dies*. Vind. 1 *nobis dies consumptus est*. Dresd. 2 cum Cr. Uff. Arn. Edd. Ven. Herb. et Dav. *dies nobis consumptus est*. Goth. omittit *est*. Eadem verbi substantivi positio c. 8: *amplissimum virtutis est praemium*.

autem] Abest a Vind. 1 et Bb.

apparatu regio] Ita Darm. Os. Vind. 2. 3. 5. Bb. Dresd. 1. Goth. R. Rom. aliaeque Edd. vett., quibus obtemperandum fuit. Vulgo *regio app.*

acceptei] Dresd. 2. Vind. 3. Cr. Uff. Arn. Conf. Ed. Ven. Dav. et Herb. *suscepti*. Vrat. Macrobii *refecti*. Pabst p. 7 de verbo *accipere* conferri iubet Kritz. ad Sallust. Iug. 10, 1.

sermonem — produxsimus] Locum citat Fronto exempl. eloc. voc. *in noctem*. Mars.

produxsimus] Vind. 1 et Os. *perduximus*. Apte confert Moserus de sen. 14: *quod* [convivium] *ad multam noctem vario sermone produximus*. Alia ratio loci emend. libri c. 17: *M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse*, ubi quidam *produxisse*; illud vero unice verum, scilicet intellecto *vitam*, quod Codd. nonnulli, quos inter noster est Dresd. 2, perperam adiiciunt. Verbi *perducere* usum absolutum Guilielmus a Gernhardio laudatus optime adstruxit ex libro vetustissimo Censorini c. 17 afferentis: *Multos suorum civium ad hanc aetatem perducere videbant*, ubi item vulgatur *ad hanc aetatem vitam producere*. At eandem loci lectionem, quae a Guilielmo excitata est, moneo in cod. Darmstadino valde antiquo me deprehendisse, ita ut ea satis nunc firmata esse videatur.

quom] Vulgo *cum*, aut *quum*.

senex] Addit Os. *ille*.

nihil] Vind. 1 *nichil*, et sic constanter; ita etiam *michi* pro *mihi*. De vitiosa hac medii aevi ratione scribendi dixi ad Vitalis Bless. Eclogas p. 2. Adde *michi* in titulo Christiano in Maii Coll. Vat. T. V. p. 5. Quid? quod Leonardi Arretini temporibus inter viros doctos de praestantia alterius utrius scripturae quam acerrime dimicatum esse, docent lepide quae ea de re conscripsit Iovianus Pontanus de aspiratione II. p. 30 b. ed. Ald., unde iuvat transcribere, quae de pravae illius consuetudinis origine monentur: „Nam posteaquam Barbari Italiam occupavere, cum nostras litteras nequirent exacte, ac more nostro exprimere, sed earum sonos inculcarent, aspirationem efferebant horridius quam latinitas postulabat, quae, ubi sequente *i* crassius sonat in gutture, prae nimia crassitudine c litteram quamvis subobscure videtur referre. Ger-

de Africano loqueretur, omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via fessum, et quei ad multam noctem vigilassem, artior quam solebat somnus complexus est.

mani enim, quod notare quotidie possumus, et Mauri aspirationem in coartant, et quodammodo conglomerant in ipsis faucibus, ut non quemadmodum latini graecique eam efflent, sed vehementius obdensent in gutture, hinc effectum est, ut cum barbari id est gothi et postea Longobardi aspirationem in his vocibus raucius efferrent, homines eiusdem temporis nequeuntes illos imitari nec ipsam aspirationem adeo coartare ut illi *nichil* et *michi* pronuntiarent, quin et *vehemens* dixere. Turcae et Mauri *mahomet* enuntiant, *o* aspirantes more suo, quorum sonum cum implere ipsi nequeamus, *machomet* dicimus."

de Africano] Planudes Africani nomini adiicit τοῦ υἱοῦ πάππου, quae ab ipso interprete profecta videntur. Nullum eorum in Ciceronis MSS. vestigium.

eius] Abest a Bern.

facta solum] Vind. 1. Bb. Conf. Vrat. Macrobii cum Edd. vett. multis *solum facta*.

sed etiam] Arn. *sed eius eciam* (sic).

cubitum] Arn. *in cubitum*.

et de via fessum] Quod post *et* interposuit Maius post alios *fessum*, id abest et ab aliis Codd. et a nostris, itemque ab Edd. Asc. 1 (ubi etiam omittitur *et*) Ven. Grut. Verb. Ern. Heinr. Goez. Sch. [Nobb.] eamque vocem iam abesse volebat Lambinus. Ad eam defendendam laedant Acad. I, 1: *nisi de via fessus esset*. Hotting. recte monet *de via* esse i. q. *propter viam*. Moserus. Hic igitur vocem omisit eamque eo Orellius, vocem illam etiam in suis Codd. nonullisque Edd. omitti admonens, inque aliis Edd. scribi *et defessum via* et *de via et fessum*; unde satis appareat, esse *fessum* ex glossa. Credam' simulatque idoneo exemplo demonstratum fuerit, primo *de via* tam absolute dici, deinde si ita dicatur, id recte hoc loco dici, ubi quod sequitur *et qui* aliam orationis formam postulare videtur quam illud iusto concisius membrum *me de via*. Igitur pace virorum doctorum, quibus et Gernhardius Comm. II. p. 5 et Ianus adstipulati sunt, codicum eorum auctoritatem secuti, *fessum* revocavi, alio autem loco possi, scilicet eo, quo reapse ponunt Dresd. 1 et Arn., ita ut de auctoritate vocis nulla amplius dubitatio esse possit. Adde Vind. 1 (a ceteris duobus abest, sicuti etiam ab Os.), in quo quidem vox omittitur, sed ab eadem manu in margine adiicitur, ita ut quod alioquin pro glossae indicio haberi potuisset, id nunc speciem correctionis verae ostendat. Ceterum *fessum* ignorat Planudes, qui simpliciter vertit ἐκ τε τῆς τροφῆς, quod ita interpretantur, ut eum in codice pro *de via* repetisse *de victu*, vel ita certe falso legisse statuant. Conf. *et defatigatum de via*, quod sane cum Kleinio pro interpretamento habendum est. R. *etiam de via*.

quei ad] Uff. *quia*. Arn. et Conf. *quia ad*. Eandem scripturae varietatem Pabstius p. 8 notavit in Velleio II, 64. collato Kritzio ad h. l. in Proleg. p. XCIV. Adde Drak. ad Liv. VI, 23, 5. Copula, quae praecedit, abest a Vind. 2.

multam noctem] Vrat. *noctem multam*. Mox vulgo *complexus*.

artior] Vind. 1 et 2 *aretior*, quod edidit Nobbius: de quo scripturae discrimine quantum ad Tullii usum mihi adhuc non satis liquet. Tu interim conferas Mosero monita, quibus tamen res minime profligatur.

Heic mihei (credo equidem exs hoc, quod eramus locutei: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostrei pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissume vigilans solebat cogitare et loquei) Africanus se ostendit ea forma, quae mihei exs imagine

Uff. et Arn. *acrior*. Bern. *arcior*. Fateor praestare mihi videri quod in Dresd. 1 et Os. exstat, non quod plane negem *artus somnus* dici posse, etsi quid comparem non habeo nisi *arctissimae tenebrae* apud Suetonium, quod simile tantum: sed quod nulla caussa adest, cur Cicero a vulgari dicendi consuetudine hoc loco recesserit, quae *altior* postulat. Ex uno hoc loco *artus somnus*, tanquam phrasis usu recepta, Lexica occupat. Solemni autem more somnus dicitur *altus*, *gravis*, *levis*, neque aliter Graeci. Ut Lexica non exscribam, exempli loco unum Livium VII, 35 affero. Praeterea succurrit Planudes, eadem lectione, quam revocavimus, usus: *βαθυτέρῳ τοῦ εἰωθότος ἐληφθην ὕπνῳ*, ubi v. Hess.

Heic mihei] *Hic ergo mihi* B e. cod. Erfurt. P. Orellivs. Eandem varietatem Herb. Vrat. Macrobii et Conf. *hic ego mihi*, quod eodem redit.

credo etc.] Heinr. parenthesin non incipit a *credo*, sed a *fit*: minus bene, cum constructio inde a *credo* interrumpatur. Moservs. *Equidem* abest ab Arn.

exs hoc] Omittit Cr. Pro *hoc* Vind. *eo*. Vulgo *ex*.

quod eramus] Interponit Vind. 3 *simul*, ex glossa, ut videtur.

fere] In Edd. Asc. 2. Crat. Ven. [B. M. Dresd. 2] est *saepe fere*, glossa iuxta probam lectionem in contextum recepta. Vocem *fere* extrusit *saepe* in uno Cod. Uff., ubi sola verba *credo equidem* in parenthesi sunt posita. Moservs. *Saepe fere* etiam Bedam Opp. T. II. p. 283 ed. Bas. exhibere, adnotavit Kleinius. *Saepe* pro *fere* Conf. Arn. Bern. Vind. 2 (in hoc tamen in marg.) et 3: idem Rom. Scriptura recepta, in qua *fere* pro saepe vel plerumque positum, nihil vel apud Ciceronem frequentius. V. de inv. II, 2, pro Manil. 9. Celsus Med. VI, 2: *fere id in capillo, rarius in barba*. Cf. Sarpii Anal. in Quintilian. p. 52.

cogitationes sermonesque] Vind. 1 *cogitationesque sermonesque*. Dresd. 1 *cogitationes nostrae sermonesque nostri*. Ald. *cogitationes sermonesque*. Os. *cogitaciones serm.*

pariant aliquid] Vind. 3 *aliquid pariant*. Bb. et Conf. *pariant in somno aliquid*, ille tamen *somnio*. Omisso *pariant* Bern. *aliquod in sompno*.

scribit] Dresd. 2. Conf. et Dav. *scripsit*.

Ennius] Annal. fragm. lib. 1. [*In somnis mihi visus Homerus adesse poeta*] Maivs. V. Mos.

videlicet saepissume] Vrat. *saepissime vid.* Ceterum vulgo *saepissime*.

videlicet] Omittunt Cr. Uff. Dresd. 2. Edd. Rom. Ven. Herb. ac sane multo maior suspicio est, sapientia librariorum eam vocem additam, quam negligentia omissam esse. Nihil morbi, quod apud Planudem exstat *δηλονότι*.

et loquei] Dav. *atque loqui*.

se ostendit] Dresd. 1 *ostendit se*.

ea] Ita rescripsi pro *illa* ex Codd. Cr. et Uff. et Edd. Asc. 1. 2. Crat. Rob. St. Ven. Verb. Ern. Bip. Goez. Bern. Sch. Moservs. Neque aliter Darm. Vind. 2 et 3, Arn. Os. S. Bb. Bern. aliaeque Edd. Orellio laudatae. Maius *illa* etiam nunc retinuit.

quae] Edd. nonnullae ap. Mos. et Bouher., adnotante Orellio Cic.

eius, quam exs ipso, erat notior; quem ubei agnovei, equidem cohorruei: sed ille, Ades, inquit, animo, et omitte timorem, Scipio, et quae dicam, trade memoriae.

XI. [II.] 11. Videsne illam urbem, quae, parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Karthaginem de ex-

Anal. T. IV, 1. p. 575, *qua*, et sic Planudes: ὁ Ἀφρικανὸς ἑαυτὸν ἐμφάνισε ταύτῃ τῇ μορφῇ, ᾗ μοι ἐκ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ μᾶλλον ἢ ἐξ αὐτοῦ ἐκείνου γνώριμος ἦν. Arn. *queque* (*quaeque*), omissis verbis seq. *mihi – quam ex.*

exs] Vulgo *ex*, ut etiam mox.

eius] Omittit Dresd. 2. Si abesset, non desideraremus: *atque id* interpolatori deberi, docere videtur incerta eius sedes; nam in R. legitur *ex eius imagine.*

ipso] Dresd. 1 *eo.*

erat notior] Nonnullae Edd. ap. Orell. et Vrat. *notior erat.*

ubei] Vulgatur *ut.* Illud ut praeferrem, adductus sum consensu codicum tantum non omnium, Os. Vrat. R. O5x. R. Cr. Uff. Mon. Vind. 1. 2. 3. Bern. Bb. S. Arn. Dresd. 2. Darmst. et Cod. apud Verburg. in margine, cum Edd. Ven. Herb. Rom. et Dav.

agnovei] Uff. *cognovi.*

cohorruei] S. R. B. Iu. Asc. 1 *corrui.* Vulgatam tuetur Planudis quoque ἐφρίξα. Bb. in marg. *vel arrui.*

Ades, inquit] Dresd. 2 *inquit, ades.* R. *addes inq.*, litteras geminans in his quoque *trædde, oppertet, allacrior, incollunt, ellucent.* Notae suae ed. pr, nunc Maius Add. p. 386 haec adiecta vult: „Ad colloquium spirituum quod adtinet: sic Didymus de sp. s. ff. 34. *Non secundum consuetudinem nostram, qua ad nos invicem sermocinamur et loquimur, sed iuxta formam incorporalium naturarum, et maxime trinitatis, quae voluntatem suam inserit in corde credentium.*"

et omitte] Copulam omittit Goth., a Tullio merito positam in eadem phrasi etiam pro Mil. 2: *adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite.* Bern. *obmitte.*

trade memoriae] Absunt a Vind. 1, sed relicto spatio vacuo. R. Iu. Vi. Asc. 1 *memoriae trade.*

illam urbem] Dresd. 2 cum Conf. Cr. Edd. Dav. et Ven. *urbem illam.*

populo Romano] Dresd. 1 *Romano populo.* Vrat. *pop. rei p.* Conf. *publicae rei.* Asc. 1 *rei publicae est.* Quae vitia repetenda esse constat ex tralatitio illo scripturae compendio *P. R.* In I Verr. 6, ubi hodie vulgatur *fortuna populi Romani*, Lambinus, Hottomannus aliique *fort. rei publicae* ediderant, quod postrema in MSS. nonnullis *R. P* scripta invenissent. V. ad c. 12. Confert Kleinius Heusing. ad Off. II, 8, 26. III, 29, 105. Neque omnibus locis utro modo legendum sit, facile est dictu.

coacta per me] Os. et Bb. *per me coacta.*

coacta] Abest a Vind. 1, qui *per me* post *parere* interponit. Post *per me* R. et Uff. addunt *alias.* Rom. *per me coacta.*

autem] Conf. *enim.* Eandem scripturae varietatem Kleinius notat in Off. III, 29, 107.

Karthaginem] Ita nunc Maius quoque, qui olim *Kartaginem*, ut est in Goth. et Os. hanc scripturam constanter tuentibus. Arn. constanter *Carthago*, teste Pabstio p. 8. *Carthaginem* Bern. V. ad I, 1. Codd. fluctuant inter scripturam litt. *K* et *C*. Iunus *Carthaginem.*

celso, et pleno stellarum, illustrei et claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles? Hanc hoc biennio consul evertes, eritque cognomen id tibei per te partum, quod habes adhuc a nobeis hereditarium. Quom autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum apsens consul bellumque maxsumum

stellarum] R. *stelarum*, et sic constanter.

et claro] Uff. *ac claro*. Rom. *et pleno*.

tu oppugnandam — miles? Hanc hoc] Absunt a Goth.

tu oppugnandam] Conf. *opp. tu*, improbante libri correctore.

oppugnandam] A. *oppugnandum*, de qua lectione v. ad c. 13 init. Rom. *expugnandam*.

paene miles] Adverbii substantivo iuncti exempla quaedam ex Cicerone collegit Weissenbornius in Iahnii Jahrb. 1842. Vol. XXXIV. p. 441. Adde *vere mulier* ap. Inc. poetam de figuris 49 ed. Schneidewin. Dresd. 1 *paene novus miles*, ex glossa. Arn. *pene milites*. Os. *pene miles*. Rem illustrat Moserus.

hoc] Abest a Vind. 1. Tuetur etiam Planudes *τυύτῃ τῇ διετίᾳ*. Eius loco Arn. *ego*; Rom. *autem*.

evertes] Arn. *evertas*.

cognomen] Vind. 3 *agnomen*.

cognomen id tibei per te partum] R. *cognomen tibi idem*. Vrat. *tibi idem cognomen*. Verba *id tibi* a Rom., *per te* ab Arn. absunt. Pro *id* Cr. cum Edd. Dav. Herb. et Ven. *hoc*; idem Darm., sed punctis notatum, et *id* supra scriptum. Post *tibi* addit *hic* Vind. 3. *Partum per te* Bern.

habes] Omittit Conf.

adhuc a nobeis] Dresd. 2. Bern. Cr. Uff. Arn. Edd. Herb. Dav. et Ven. *adhuc ex nobis*. Mon. Conf. et Edd. quaedam vett. ap. Mos. et Orell. *a nobis adhuc*: aliae *ex nobis adhuc*. Asc. 1 et R. *adhuc hereditarium a nobis*.

Quom] Vulgo *cum*, vel *quum*, ut mox.

triumphum] Praemittit Arn. *consul*, ex glossa. Bb. *triumphus*.

censorque] A *censor*.

obieris] Vind. 1 et 2 *abieris*, sed in hoc margini al. m. *obieris* adscripsit. Bern. *obieris*, sed corr. *abieris*. Pro *et obieris* R. *et ob id ieris*. Rom. *ambiens*. Verba *obieris legatus* omittit Dresd. 1, sed cum lacunae vestigio. Demosthenes Latinus ap. Quintilian. IX, 3, 55: *non obii legationem*.

Aegyptum] Vind. 2. Uff. *in Aegyptum*, quod legebatur *abieris* pro *obieris*: quamquam in Uff. *obideris* ferri Moserus notare videtur.

Graeciam] Asc. 1 *Graeciamque*.

deligere] Multae Edd. ap. Mos. et Rom. *delegere*, et ita Bern. Bb. R. Conf. Vrat. Dresd. 1. Vind. 1. 2. 3 Os. Arn. et Darmst. neque aliter Ianus. *Dilegere* L.

apsens consul] Ita Dresd. 2. Arn. Os. S. Bern. Codd. quidam Iani, vulgatam servantis, Dav. aliaeque Edd. vett. ap. Mos. et Orellium, qui suscepit. Vulgo *consul absens*, quod expressit Planudes quoque vertendo *καὶ ἀποδημῶν*. Audiamus vero Gernhardium Comm. II. p. 6: „Constat Scipionem Romae tum fuisse, cum iterum consul quaturdecim an-

conficies, Numantiam exscindas. Sed quom eris curru in Capitolium invectus, offendes rem publicam consiliis perturbatam nepotis mei.

XII. 12. Heic tu, Africane, ostendas oportebit patriae

nis post Carthaginem deletam ad conficiendum bellum Numantinum crearetur: ut *absens* intelligatur a campo Martio, a comitiis (cf. intpp. ad Liv. IV, 42), qui non petierat consulatum: cui ultro (v. Liv. Ep. LVI et Cic. Lael. 3, 11 de Scipione, *qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis*) delatus est consulatus. Nollem *iterum* a voce *consul*, quacum arctissime solet illud coniungi, interposito *absens* secerni, nisi *absens* postpositum ad alterum consulatum pertineret, non item ad primum. Plus quidem honoris tribuitur ei, qui absens a comitiis iterum consul creatur, quam qui praesens; Scipioni vero contigit, ut etiam bis absens, vel iterum absens consul fieret; nostroque loco Africanus in summorum honorum enumeratione, quibus futuro tempore Scipio ornaretur, eximium illud decus certo non praetermisit, neque imminut." Vulgo *absens*. Vind. 3 *consul iterum absens*.

bellumque] Vrst. et Asc. 1 *et bellum*. Nonnullae Edd. vett. sp. Orell. copulam omittunt omnino.

conficies] Vind. 1 *efficies*. Conf. *confecies maximum*, sed invito correctore. Vulgo *maximam*.

Numantiam] Uff. Edd. Lugd. Tig. Boul. *Numantiamque*. Copulam agnoscit Planudes quoque.

exscindes] Vulgatam expressimus, quippe plurimorum codicum auctoritatem secuti. *Excides*, quod auctore Beiero ad Off. T. I. p. 178 Orellius praetulit, quodque sane in quibusdam Edd. vett., ut etiam in Dav. legitur, codicum omnium, quorum accuratam habemus notitiam, quantum sciam, solus suppeditat Uff. et fortasse S. Reliqui aut *exscindes*, aut talia, quae ex hac scriptura derivanda videntur: quale est *exscides* in Cr. Vind. 1 *conscindes*. Ab Dresd. 1 vox plane exsulat, sed non sine lacunae vestigio. Os. cum Bb. *excindes*, quod vulgavit Ianus. Alteri tamen lectioni quodammodo favet Planudis ἐκκόψεις. Pabstius p. 8: „Propter maiorem quandam soni gravitatem et poetici sermonis usum (Virg. Aen. II, 177. XII, 643) nostri loci magnificentiae ac ponderi magis convenire *exscindes* quam *excides* iudicat Gernhard Opusc. p. 396." Eandem lectionem commendarat Bouherius, in pluribus codd. et Ald., ut ait, repertam.

quom] Vulgo *cum*, vel *quum*. Mox Vind. 1 *ieris* pro *eris*.

in Capitolium] Praepositionem, vulgo omissam, monitu Heinrichii revocarunt Moserus, Orellius, Zellius, suppeditatam ab Uff. Vind. 3. (hic *invectus in Capitolium*) Darm. Goth. Conf. Os. S. Bb. Bern. Dresd. 1. O4x. R. B. V. L. P. Rom. Ita etiam Vrst., sed a correctore.

invectus] Uff. *ductus*, sed in marg. „al. *invectus*." Cr. supra lin. *devectus*. Arn. *infectus*.

offendes] Arn. *offendas*.

consiliis perturbatam] Ita scripsi ex Cr. Goth. Arn. Conf. Os. Bb. Bern. Mon. Dresd. 1, 2. Darmst. R. Vind. 1. 2. 8. et Edd. Ven. Herb. Rom. Dav. et P. Vulgo *perturbatam consiliis*, quod admodum languere videtur.

nepotis] Subiungit Conf. *Graeci*, ex glossa manifesta. Notanda tamen nominis scriptura sine adspiratione. V. Exc. III. sub fin.

tu] Arn. *rei*.

ostendas] Bern. *ostendes*. Item Vind. 1, sed hic, omisso verbo *oportebit*. Vind. 3 *tu ostendas*.

definiebantur, quei essent regiei, quique colerentur sine regum opera et labore, ut eos nulla privatei negotei cura a populorum rebus abduceret. Nec vero

quae Niebuhrii sententia ut plurimum insolentiae habet, ita nullis similium locorum auctoritatibus confirmari potest. Praestat vero maxime tertio casu, quem relitui *arvis, arbustis, pascuis*; cuius structurae ignoratio imbecillam librarii mentem, simul in eius, quod praecessit, *agri*, et casu et terminatione definxam transversam egit." Quem contra monet Nieb. in libello, quem inscripsit *Duplik* etc. p. 17, *arvus* et *arbustus* esse adiectiva, et utrumque esse in Forcellini Lexico. Ad vocem arvus laudat etiam Varr. de L. L. IV, 4, ubi est in Cod. Flor. *a novando novalis. Ager arvus, et arationes ab arando.* Utrumque adi. habet etiam Gesn. in Thes. qui ad v. *arvus* laudat Plaut. Truc. I, 2, 47 *non arvus hic, sed pascuus est ager.* Censor. Ienens. (Ergbl. 1824. 41. p. 325. C. R. Th.) dicit, probavisse quidem Niebuhrium, adiectiva esse illa verba, sed nostro tamen loco ea durius posita esse neque ad morem Ciceronis. Quae nobis quamquam vera videntur, noluimus tamen a scriptione Codicis recedere, cum in re ad prisca tempora spectante uti etiam potuerit verborum formis paulo insolentioribus. Ad rem conf. Niebuhr. R. G. I. p. 258 sq. II. p. 350 sq. Mosrvs. Tantum abest ut Steinackeri sententiam probem, ut unice veram ducam cum Orellio et Bettio Niebuhrii rationem, tum propter ipsum insolentius dicendi genus, tum quod, si verba *arvi — pascui* explicationis caussa in appositione subiecta putamus, egregie ea conficiunt id quod Tullius procul dubio explicaturus erat, videlicet, agros regios continuisse in se omnia genera, quibus agri omnino constabant, arva, arbusta, pascua. Haec enim nullum dubium est quia responderint tripartito illi agrorum generi, quod teste Varrone de R. R. I, 6 fuit vel *campestre*, vel *collinum*, vel denique *montanum*; quae tria genera pro diversa eorum conditione mox ita discernuntur: *Propter haec tria fastigia formae discrimina quaedam fiunt sationum, quod segetes meliores existimantur esse campestres, vineae collinae, silvae montanae.* Praeterea ex eodem Varronis loco cognoscitur, *lati* agri qui sint: scilicet late patentes et aequabiliter decurrentes, eoque ipso calidiores. Sensus igitur, regibus quos commiserunt agros omnium generum, eos fuisse et latos et uberes.

regiei] Hsic *regi* [ut est in Cod.] positum est pro *regii*, solita in hoc codice crasi. Heinr. Manvs, qui in contextu *regi* edidit; ceteri paene omnes *regii*.

quique colerentur] Cod. et Edd. omnes *qui colerenturque*. Sed non solet Cicero secundo vocabulo addere *que*; nisi praecedit praepositio monosyllaba, veluti paullo ante scripsit *ob easque*. Post relativum coniunctio *que* alteri vocabulo addita non magis apud nostrum reperitur, quam Tibullianum illud (I, 3, 56): *Messalam terra dum sequiturque mari.* Mosrvs. Melius fortasse deleas *que*, sic distinguens: *qui essent regii; qui colerentur* scil. tamen. Alius fortasse *qui* deleandum suadebit. Orellivs, qui cum Maio prioribusque Edd., quibus accessit Zell. *qui colerenturque* edidit, dum Maius nuno mutata sententia *quique colerenturque*. Nos cum Mosero dedimus id, quod Ciceronis usui accommodatum unice videtur. Copulae in medio commate collocatae exempla sunt postarum (v. Wellauer in Iahnii Jahrb. Suppl. I. p. 398): Ciceronis vel similis scriptoris nuspiam video allata alla.

opera et labore] Eorundem verborum iunctura ap. Caes. B. C. II, 16.

negotei] Ex Cod. vulgo *negotii*.

quisquam privatus erat disceptator, aut arbiter litis;
p. 248 sed omnia con|ficiebantur iudicieis regieis. Et mihei quidem videtur Numa noster maxsume tenuisse hunc morem veterem Graeciae regum. Nam ceterei, etsei hoc quoque munere fungebantur, magnam tamen partem bella gesserunt, et eorum iura coluerunt. Illa autem diuturna pax Numae mater huic urbei iuris et religionis fuit; quei legum etiam scriptor fuisset, quas

maxsume] Vulgo *maxime*.

veterem] Ita cod., non *veterum*, ut mallet Creuzerus [Annal. Heidelb. 1823. 3. p. 67]. Mauvs ed. alt. Festinantius Creuzero obsecutus est Nobbius.

autem] Cod. *aut*.

quei legum etc.] Inter *fuisset* et *quas* Heinrichius asteriscum ad lacunam vel corruptelam significandam posuit. Praeter hunc nemo hoc loco offendit nisi Moserus, qui sanum quidem eum esse negavit, sed in lacunae vicinia nihil tentare ausus est. Non vero una hoc loco offendendi causa mihi videtur adesse, etsi nemo vel unam monstravit. Ante omnia explicanda est ratio perobscura coniunctivi conditionalis *fuisset*: deinde quo sensu prioribus nectantur verba *quas scitis exitare*, et rursus quomodo quae subiiciuntur accipienda sint *quod quidem huius civis proprium, de quo agimus*, quae et a sensu maximopere impedita sunt; denique qui *civis* intelligatur. Ac primum quum antea dictum fuit, Numae maxime tempore praeter religiones etiam iura condita esse, qua in re demonstranda Cicero hic aperte versatur, eo magis mihi haerendum in phrasi *legum scriptor*, si de eo qui leges tulerit accipienda est, quo Numam in legibus ferendis inprimis excelluisse certius apud omnes constabat, deque hac ipsa regis virtute Cicero iam antea II, 14 verba fecit. At ea ipsa vocis ratio rectam explicandi viam monstrabit, uno solo praeterea loco apud Ciceronem reperta, Or. pro dom. 18, 47: *at quid tulit legum scriptor peritus et callidus?* ubi Clodius, cuius de lege agitur, quum ob rationem legis, tum vero maxime ob formulam absurdam exagitatur, qua lex ab eo lata concinnata fuerit. Postquam enim Cicero dixit, istam legem si eius vis sola spectetur, crudelem, nefariam, civi sine iudicio non ferendam esse, subdit: *hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua*: UT INTERDICTVM SIT, *cui non fuit* [ita ut pro *sit* legatur, postulare verborum *cui* etc. connexus videtur, non ex legis, sed ex orantis mente dictorum] *interdictum*. Clodio enim, si sana mente esset, INTERDICATVR scribendum fuisse pro altera illa formula plane absurda, continuo demonstrat idem. Mox etiam de *legum scriptoribus* sermo fit, quibus aliquis legem laturus in formula legis scribenda uti possit. Atque *latorem* legis a *scriptore* plane diversum fuisse vel unum huius operis fragmentum ex Lactantio adductum III, 22 docere potest. His expositis perspicuum videtur, *legum scriptor* non simpliciter de quovis legis auctore vel latore dici, sed de eo qui ipse legem a se ferendam verbis conscribat litterisque mandet. Iam de Numa si Cicero dicit *qui legum etiam scriptor fuisset*, minime is negat legum eum auctorem fuisse, quod excordis fuisset, sed leges, quas tulisset, eum litteris mandasse: quae sensus ratio adiuvatur ipsa particulae *etiam* accessione. Nexum igitur sententiarum hunc puta: Numa quum in le-

scitis exstare: quod quidem huius civis proprium, de quo agimus ***

III. 4. Sed tamen ut bono patrifamilias colendei, aedificandei, ratiocinandei quidam usus opus est. (Nonius de num. et cas. p. 497. ex Cic. l. V. de Rep.)

5. *** *s.* radicum seminumque cognoscere, num te offendet? *m.* Nihil, sei modo opus exstabit. *s.* Num id studium censes esse vilicei? *m.* Minume: quippe p. 253

gibus ferendis multus fuerit, tum idem legum etiam scriptor fuisset, si.... Alteram iam huius periodi partem mente Tullius supplendam voluit, et ex eius quidem aevi indole, quo artis scribendi aut rarus, aut nullus usus fuisset: quo factum ut Numa multa institueret, quae legis instar haberentur, ipse tamen a se instituta in legis formulam litteris conceptam non redigeret, ita ut quae etiamnunc exstent leges Numae, eae postmodum scripto exceptae esse putandae sint. Quae omnia ex Ciceronis mente reputa disputari, quae an vera sint nec ne, nunc non disquiro. Cum qua sententia loci convenit ea ratio ambigua, qua idem supra II, 14 de Numae legibus locutus est: *propositis legibus his quas in monumentis habemus*, ubi caute *propositas* a Numa leges, non latas scripsit, atque verbis *quas in monumentis habemus* significare voluisse videtur, Numae leges superesse tales, quales apud scriptores traditae habeantur. Neque veteres aliter de primitiva illa legum latarum conditione censuisse videntur: quandoquidem caute rem tractavit Tacitus Ann. III, 26, apertius vero Pomponius D. I, 2 de orig. iuris, ubi leguntur: *Initio civitatis nostrae populus sine certa lege, sine iure certo, primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur.* Cur vero lex non certa, ius non certum? quod scriptum id non fuit. *Civis* denique intelligitur politicus ille homo, sive rector civitatis, in quo informando et describendo loquentes occupati sunt: cuius ex sententia Ciceronis fuerit, civitatem ius condendo, leges ferendo bene constituere.

exstare] Ex Cod. Maius *extare*, quod expresserunt Steinack. et Heinr. Item etiam cap. seq.

Sed tamen etc.] Fragmentum hoc a Nonio e quinto de rep. citatum vel heic collocandum est, vel inter tertium quartumque libri caput. Maivs.

offendet] Videtur plena sententia fuisse: *si vilicus studeat naturas radicum seminumque cognoscere, num te offendet?* Heic vero nec non in noniano praecedente fragmento loquitur, ut censeo, Scipio cum Manilio; quorum postremus quum rectorem reip. iuberet prudentissimum iuris fieri, in eoque plurimam operam ponere; respondet Scipio, id eatenus esse faciendum, quatenus vir politicus a procuranda rep. non impediatur. Quod confirmat vilici et dispensatoris exemplo, quorum neutrum impedit, quominus muneris sui fines paulo liberius egrediatur, ita tamen ut eos a quotidiana interim vilicandi et dispensandi opera cessare vetet. Maivs ed. alt. omissis iis, quae in ed. pr. sequebantur.

exstabit] Cod. *extabit.* V. ad cap. praecedentis *exstare.*

vilicei] Ita ex Cod. hic et mox et denique *vilicare* cum Maio, quem Heinr. et Steinack. secuti sunt, scripsimus, ceteris alteram formam exhibentibus et in his Mosero, qui codicis scripturam, de qua v. ad I, 38, ne commemoravit quidem. Adde Orellii Inscr. T. I. p. 565.

Minume] Vulgo *minime*, ut mox *saepissime.*

quom agrei culturam saepissume opera deficiat. *S.* Ergo ut vilicus naturam agrei novit, dispensator litteras scit, uterque autem se a scientiae delectatione ad efficiendei utilitatem refert: seic noster hic rector studuerit sane iurei et legibus cognoscendeis, fonteis quidem earum
p. 254 utique per|spexserit, sed se responsitando et lectitando et scriptitando ne impediat, ut quasei dispensare rem publicam et in ea quodam modo vilicare possit; sum-

quom] Ex Cod. Maius *eum*, et sic nonnulli: alii *quum*.

agrei culturam] Sic scripsi pro *a. culturu* [ut in Cod. est] cum Steinackero et Wolffio, qui longe melius quam Stein. verum sensum, qui etiam Odescalchium non prorsus fugit, est assecutus. Is simpliciter hic est: Vilicus, *si* nimis curiose radicum seminumque naturam investigabit, agriculturam ipsam, proprium suum opus, negliget: „opera eius deficiet agri culturam." Probabilior autem est haec emendandi ratio, quam Wolffii altera: *agricultura — opera deficietur*; etsi huius quoque constructionis exempla exstant ap. Cic. Orellius. Sic Zellius quoque. Codicis scripturam cum Maio retinuerunt Moserus et Nobbius. Heiar. ante *agri* asteriscum posuit. Ceterum cum plurimis *agri culturam* disiunctim scripsi, Klotzii hac de voce monitis obsecutus, Jahrb. Vol. XXXIII. p. 201.

refert] Cod. *refertur*; quod si retines, dele ante *se*. Maivs. Mirum Maium a Mosero acerbe castigatum verba ista in ed. alt. repetiisse.

iurei] Ita cod. 2 manu; at 1 *iure*. Maivs.

fonteis] Ex Cod. Maius *fontis*. Edd. *fontes*. V. ad I, 34 *civitatium*.

vilicare] V. supra ad v. *vilicei*. Orellius: „Etsi hanc formam act. defendit Creuz., vide tamen, ne librario eiusque aetati potius debeatur, quam Tullio, isque scripserit *villicari*."

summei iuris] Quonam pacto summum ius heic a civili distinguatur, quaerent docti legulei. Summo quidem iure agimus, cum litem e legum formula, non ex arbitri aequitate definiri postulamus. Heic tamen ius naturale intelligendum videtur. Maivs ed. alt. Apte confert Moserus Legg. I, 6, unde huc potissimum pertinent: *Constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta. . . Quoniam igitur eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et servandus status, omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus; serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem iuris a natura, qua duce est nobis omnis disputatio explicanda.* Rem ipsam nemo Cicerone melius explicuit ibid. I, 15: *Est enim unum ius, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam.* Conf. etiam II, 4, ubi praeter alia sub finem leguntur: *quae non tum denique incipit lex esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est; orta autem simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad iubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Iovis.* Adde huius de rep. operis III, 22 et Iustiniani Inst. I, 2, 1 et 9 sq.

mei iuris peritissumus, sine quo iustus esse nemo potest, civilis non imperitus, sed ita, ut astrorum gubernator, physicorum medicus; uterque enim illeis ad artem suam utitur, sed se a suo munere non impedit. Illud autem videbit hic vir ***

IV. 6. *** *civi*tatibus, in quibus expetunt laudem p. 199
optumei et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus. Nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est constituta legibus, quam verecundia, quam natura hominei dedit quasei quendam vituperationis non iniustae timorem. Hanc ille rector rerum publicarum auxsit opinionibus perfecitque instituteis et disciplineis, ut pudor civeis non minus a delicteis arceret, quam metus. Atque haec | quidem ad laudem pertinent, quae dicei latius p. 200
uberiusque potuerunt.

V. 7. Ad vitam autem usumque vivendei ea descripta ratiost iusteis nuptieis, legitumeis libereis, sancteis Penatium deorum Larumque familiarium sedibus; ut omnes et communibus commodeis et sueis uterentur, nec bene vivei sine bona re publica posset,

iuris peritissumus] Haud scio an hic locus quicquam valeat ad reprobandum Probi praeceptum in Eichenfeldii Anal. Gramm. p. 225: „*Peritus iuris* dicitur, Cicero tamen *iure consultum* dixit.“ Posterius quidem vere habere videtur, etsi etiam *iuris consultus* recte dici affirmat Heusing. ad Off. p. 685. Vulgo *peritissimus*.

imperitus] Cod. *imperditus*.

Illud] Ex Cod. Maius solus *illut*.

optumei] ita [*optumi*] cum Cod. Maius: ceteri praeter Steinack. *optimi*.

civeis] Ex Cod. Maius solus *civis*. Reliqui *cives*. V. ad I, 34 *civitatium*.

quendam] Nobb. *quemdam*.

auxsit] Vulgo *auxit*.

a delicteis] Cod. *adflictis*.

potuerunt] Hinc vides auctorem varias scripsisse politicae scientiae technas, quibus rector reip. uti debet. Maivs.

ratiost] Ex Cod. Maius *ratio st*. Ceteri omnes *ratio est*.

familiarium] „Cod., ait Maius, *Larumque familiarum*: nisi mavis *familiarium*.“ Posterius necessarium est, ideoque receptum ab Heinr. Sch. St. et Lehn. Solebat enim Cicero dicere *Lar familiaris*, *Lares familiares*, nusquam *Lar familiae*. Mosenvs. Idem scripserunt posteriores Edd. omnes praeter Maium, qui in Codicis scriptura retinenda perseverat. V. ad I, 34 *civitatium*.

nec esse quicquam civitate bene constituta beatius. Quocirca permirum mihei viderei solet, quae sit tanta doc***.

VI. 8. *Consumo igitur omne tempus considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus. Tenesne igitur moderatorem illum rei publicae, quo referre velimus omnia? Nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio:* Ut enim gubernatorei cursus secundus, medico salus, imperatorei victoria, seic huic moderatorei reei publicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copieis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; huius enim operis maxsumei inter homines atque optumei illum esse perfectorem volo. (Cic. ad Att. VIII, 11.)

Et ubei est, quod et vestrae litterae illum laudant patriae rectorem, quei populei utilitatei magis consulat, quam voluntatei? (Augustini Ep. ad Nectarium CIV. ed. Benedict.)

VII. 9. *Tullius dissimulare non potuit in iisdem libris, quos de re publica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe civitatis, quem dicit* alendum esse gloria: *et consequenter commemorat* maiores suos multa mira atque praeclara gloriae cupiditate fecisse. (Augustinus C. D. V, 13. Tom. V. p. 309. Io. Saresberiensis Policr. VIII, 5.)

Tullius in libris de re publica scripsit: scilicet principem civitatis gloria esse alendum, et tamdiu stare rem publicam, quamdiu ab omnibus honor principei exhibere-

esse] Cod. 1 manu *ecee*; 2 *esse*; sed fortasse dicendum *esset*. Maivs.

quicquam] Nobb. et Orell. *quidquam*.

Tenesne igitur etc.] Nonnulli distinctione post *publicae* sublata post *igitur* incidunt.

honesta] Patricius malebat *onusta*.

maxsumei] Vulgo *maximi*, ut mox *optimi*.

perfectorem volo] Sic loquitur Cicero etiam in illa ad Q. fr. politica epistula. Tum idem ad Lentulum anno hoc ipso scribens (ad fam. I, 9) ait: *omnibus nobis in administranda rep. propositum esse debet, id quod a me saepissime dictum est, cum dignitate otium.* Maivs ed. alt.

cupiditate fecisse] Non est dubitandum quin hoc loco Augustinus intelligat tulliani quinti libri politicum. Respondet enim illa epistula Nectario ethnico, cuius litterae ad Augustinum mentionem habent manifestam operis de rep. Maivs.

exhiberetur] Locum hunc etsi partim in Augustino legere Petrus

tur. (Petrus Pictaviensis Epist. ad calumn. Bibl. PP. Lugd. T. XXII. pag. 824.)

Tum virtute, labore, industria quaereretur summei virei indolem; nisei nimis animose ferox natura illum nescio quo — (Nonius v. *anima* p. 233. ex Cic. V. de Rep.)

Quae virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animei, mortis dolorisque magna contemptio. (Idem v. *contemptus* p. 201. indidem.)

VIII. 10. Marcellus ut acer et pugnax; Maxsumus ut consideratus et lentus. (Idem v. *lentum*. p. 337. ex Cic. V. de Rep.)

Quei contuderit eius vim et exfrenatam illam ferociam.

potuit, tamen propter additamenta legisse potius in ipso Cicerone videtur. Nisi forte in iis, quae adduntur, Augustini quaedam interpolatio atque explicatio fit. Maivs.

Tum virtute etc.] Mancum atque imperfectum hoc fragmentum esse, perspexerunt omnes qui et olim et nostra aetate tractarunt: nemo vero adhuc repertus est, qui ei reficiendo cum aliqua probabilitate quidpiam commentus esset. Neque melius mihi cessit: quare satis visum eam scripturam repetere, quae adhuc vulgata est, quaeque tam plurimis editionum vetustiorum, quarum de lectione v. Moserum, quam codicum ab editoribus Basileensibus collatorum auctoritate nititur; a qua unus Maius recessit, qui quum olim in hoc loco non offendisset, nunc ex coniectura Leopardi *indoles* edidit, quo quidem ratio loci grammatica restituitur, sensus vero haud valde iuvatur. Post *quaereretur*, cuius loco Codd. nonnulli et Edd. vitiose *quereretur*, Heinrichio duce Orellius et Nobbius asteriscos posuere. Lambinus *quaeret*; cum Patricio Ernestius *quaereret*; Mercerius coni. *tueretur*. Porro Schütz. *indole*. Mox pro *nisi nimis* Patricius alios refert legere *nihil minus*. Pro *ferox* Edd. quaedam *ferax*. In fine Mercerius supplendum arbitrabatur *quo impelleret*.

in qua] Seh. *in quo*.

Maxsumus] Vulgo *Maximus*.

contuderit] Certissima Rothii emendatio vulgatae *comperit*, derivata ex codicum quorundam lectione vitiosa *contuperit*, uti in Ed. Bas. editum. Plane convenit Ciceronis usui, qui *contundere* dixit audaciam, contumeliam. Sigonius suspicatus erat *compescit*; Moserus *compressit*.

exfrenatam] Maius et Edd. Basil. *ecfrenatam*, de quo scribendi vitio supra monitum est. Vulgo *effr.*

ferociam] Edd. plantin. et gothofr. tribuunt hoc fragmentum libro quinto; at paris. sexto, mendose, ut puto. Maivs. At etiam sexto assignatur in Ed. Bas. Huic fragmento aliud praeeunte Maio, quem socordia incredibili editores operis Tulliani secuti sunt omnes, vulgo subiicitur ex Nonio v. *contingere* p. 268, quod nunc exsulare iussi: *Quod non modo singulis hominibus, sed potentissimis populis saepe contingit* (in Ed. Bas. *contigit*), hac nota a Maio instructum: „Edd. plantin. et gothofr. citant ex incerti operis Tullii libro V; paris. e tuscul. V.“ Huic editioni utinam V. D. fidem habuissent, quum praesertim falsum sit quod Orellius a Nobbio deceptus narrat, ex V. *de re publica* locum a Nonio citari, in quo nihil est nisi *M. Tullius lib. V.* Etenim illa verba, quod commodum me docuit Otto, re vera exstant Tusc. V, 6, 15,

(Idem v. *ferocia*. p. 492. ex Cic. de Rep. V. ed. Plantini et Gothofr. aut VI. ed. Paris.)

Orbei terrarum comprehensos. (Charisius lib. I. p. 112. ex Cic. libr. V. de Rep.)

Quod molestias senectutis suae vestreis familiis impertire posset. (Nonius v. *impertire* p. 37. ex Cic. V. de Rep.)

IX. 11. *Cicero in libris de re publica*: Ut Menelao Laconei quaedam fuit suaviloquens inconditae. *Et alio loco*: Breviloquentiam in dicendo colat. (Seneca apud Gellium XII, 2.)

ubi Moserus, si Nonii mentor fuisset, meliorem, ut confidimus, exhibiturus loci scripturam fuisset quam ea est, quam cum Orellio exhibuit: *quod non singulis hom. sed potentissimis populis saepe contigit.* In qua lectione si bene *contigit* ex codd. revocatum est, quod nunc etiam apud Nonium exstat, tanto peius habet, quod *modo* post *non*, scilicet ex interpolatione ortum, quae etiam Orellii prava est suspicio, delevit, ut quod abesse recte possit, quum *non — sed* pro *non modo — sed etiam* Latine dicatur: id quod non probavit is, quem in subsidium Moserus affert, Goerenzius ad Acad. II, 23. p. 136, neque unquam probare quisquam poterit. Etenim quem ille affert locum cr. pro Arch. 4, 11 *qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit*, nemo est quin ubi propius adspexerit, illo modo expleri non posse, sed rhetoricam esse gradationem eam intelligat, qua duo membra ita componuntur, ut prius a posteriore excludatur. At vero illud *modo*, quod desideramus, non solum nunc Nonius suppeditat, sed suppeditarat iam unus Oxon. edideratque Davisius ed. sec. *non singulis modo hominibus*; atque cod. Rehd. certe *non sedum singulis*, hoc quidem ex interpolatione, sed tali, quae librarium perspexisse prodat, locum illa particula destitutum integrum non esse. Eiusdem fere rationis est scriptura cod. Vind. 1 *quod nedum singulis*. Denique *potentibus*, quod in Cicerone vulgatur, an praestet Nonii lectioni *potentissimis*, hoc in medio relinquere malo: quamquam nullam caussam video, cur non etiam hoc in vocabulo scribendo testem omnium antiquissimum, qualis est Nonius, et quem nunc constat integriore exemplari usum esse, sequi debeamus.

Orbei] *Orbi* in sexto casu pro *orbe* scribit Rutilius apud Charisium ibidem. Num ergo apud Ciceronem quoque loquitur heic Rutilius, cuius idcirco sermonem belle imitatur auctor? Mayv.

Orbei terrarum] V. ad III, 14.

Quod molestias etc.] Edd. paris. et gothofr. *molestiis*, ed. plantin. *molestiis*; tum in margine ms. *molestias*. Mayv. Codd. ab Edd. Bas. excussi *molestis* et *familias*.

suaviloquens] Ut sit mutuatus hanc vocem ceterequin non usitatam Cicero ab Ennio, quae Senecae sententia fuit, a Gellio l. l. exagitata, tamen vana est Moseri coniectura de Enniano versu trochaico octonario vel senario iambico, quem hic Ciceronis locus redolere videatur. Eius rei ego quidem nullum vestigium reperio: neque omnino probabile, quoniam is Ennii locus, quo illa vox hodie quidem servata est, versu heroo constat, ab ipso Cicerone Brut. 15 allatus.

colat] Hi loci a Seneca laudati collocantur in quinto libro propter

Quarum artium scaevitate, ut Tullius asseverat, nefas est religionem decipi iudicantis. Ait enim: Quumquie nihil tam incorruptum esse debeat in re publica, quam suffragium, quam sententia; non intelligo, cur, qui ea pecunia corruperit, poena dignus sit; qui eloquentia, laudem etiam ferat: Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio iudicem corrumpit: quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. (Ammianus Marcellinus XXX, 4.)

Quae quom Scipio dixsisset, admodum probans Mum-

illud fragmentum, quod Nonius citat e quinto quoque a nobis postremum ponitur, in quo fragmento sermo esse videtur de rhetoribus etc. Maivs.

Quarum artium etc.] Etsi Ammianus ex incerto Tullii opere locum hunc profert, Patricius tamen eum in quarto fragmentorum de rep. libro collocavit, analogia quadam ductus: quum enim eo libro reprehendantur poetae, haud absurdum videtur improbos quoque causidicos ibidem fuisse vituperatos. Certe et Macrobii locus a me sub Aristidis textu graeco laudatus, et ipsius Aristidis verba quaedam, hanc opinionem quodammodo suadent. Sed tamen ego hoc, quod debemus Ammiano, frustum in quintum librum transtuli, propter fragmentum quinti libri a Nonio servatum, ubi rhetorum mentio est secundum certe codicum nonnullorum editionumque lectionem. Alio quoque iudicii utor, ut in quinto libro collocem; quia scilicet superius cap. III. docuit Cicero nihil esse tam regale dignumque principe civitatis, quam iudicia exercere iusque dicere: porro Ammianus ut in causidicos invehatur hanc ansam arripit, quod pessimi aulici Valentem Caesarem ab audiendis litibus studioque iudicandi averterant, adserentes infra imperiale culmen causarum esse minutias privatarum: amoto igitur a tribunalibus principe, advocatorum forensium pravitas rapinis ilico malisque fraudibus habenas laxavit. Itaque et Cicero fortasse cavens ne princeps civitatis iudicia omitteret, eundemque simul admonefaciens ut a rhetorum technis caveret, sic de abusu eloquentiae locutus est. Sed tamen haec omnia satis incerta esse fateor, et me undique pungi dubitationibus. Immo si respicias ad Hieronymi epistulam LII, 8. non temere suspicaberis, Ammianum ex oratione potius, quam e politico scripto Tullii id fragmentum hausisse. Sic enim Hieronymus: *nihil tam facile quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguae volubilitate decipere; quae quidquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius in oratione pro Q. Gallio quid de favore vulgi et de imperitis concionatoribus loquatur adtende, ne his fraudibus ludare.* Maivs. Omisere Heinr. et Orell.

scaevitate] Alii *saevitate*.

intelligo] Maius *intellego*.

Quae quom etc.] Ita totum hunc locum [ego quidem solum *quom* pro *eum* et *dixsisset* rescripsi] se correxisse vetusti exemplaris adminiculo ait Pighius ad an. urbis DCXI; qui tamen pro *probans* scribit *probat*. Iam mihi de hoc fragmento tria observanda sunt. 1. Citatur id e quinto de rep. a Nonio in editionibus, et in cunctis codicibus vaticanis. 2. Nomen *Mummius* neque in codicibus vaticanis legitur, neque in editionibus, quas vidi, excepta plantiniana, cuius in margine legitur *Mummius*. 3. Vocabulum *rhetorum* legitur in edd. parisiaca, in gothofre-

mius; erat enim nimis odio quodam rhetorum imbutus. (Nonius v. *imbuere* p. 521 ex Cic. V. de Rep.)

diana et in plantiniana; sed idem in codicibus variat. Nam tres codices vaticani habent *Numius erat enim odio quorum reorum imbutus.* Alius codex vat. habet ut supra, sed *nimium* pro *Numius.* Alius cod. *Numius erat enim odio quodam et eorum imbutus.* Alii duo *Nummius, erat enim odio quorum rhetorum imbutus.* Alius *quae cum satis dixisset, admodum probatis . . . erat odio quarum rerum imbutus.* Quis hunc aethiopem lavet? Sane nomen *Mummius* mire variat etiam apud Val. M. IX, 7, 3 et Aur. Vict. cap. LVIII; invasit autem alienam sedem apud Cic. pro Sextio XI. XXXI, ubi legendum est *Ninnius*, pro quo exemplaria habent *Mummius*, *Mumius*, *Mimius*, *Numius.* Ceterum *Numius* legitur in base quadam musei capitolini. De *Numisio* pro *Nummio* videsis cl. Feam fragm. consular. p. XLIII. 16. Sane quod Mummius noster, homo a popularibus partibus, apud quas regnat eloquentia, valde abhorrens (de rep. III, 35) eloquentiae vituperationem suffragio suo comprobaverit, non est mirandum. Accedit quod Mummiorum familia parum elegans ingenium habuit, si certe coniectura de Corinthi eversore facienda est, cuius novimus stoliditatem. Praeterea Spurius noster hic Mummius in disciplina stoicorum fuit (Cic. Brut. XXV) quae haeresis, ut ait Cic. parad. prohoem., nullum sequebatur florem orationis. Ceterum et Rutilius oratoriam artem, praesertim illam fucatam et callidam aspernabatur: quin et in suo capitali iudicio noluit a summis oratoribus Crasso et Antonio defendi, sed dixit ipse ieiune et stoice pro se, ita ut innocens damnatus sit. Cic. de or. I, 53. 54 et Brut. XXX. Val. M. VI, 4, 4. Nihilominus Rutilii adolescentis partes aliquas in disserendo coram gravissimis senibus fuisse, aegre mihi persuaserim.

Quominus igitur rhetoricae reprehensionem a quinto in quartum librum submoveam, Nonii me auctoritas uncis unguibus retinet: quamquam, quod toties in hoc opere vidimus, ista auctoritas non admodum firma est, propter eius grammatici innumeras corruptiones: quam si propterea auctoritatem spernere licet, hi loci commode equidem ad quartum librum retrahentur, in quo instituta Graecorum Romanorumque comparatione, illorum levitas prae istorum gravitate et constantia contemnitur. Rhetores, quos Mummius oderat, illa aetate graeci erant omnes: colebantur in Graeciae oppidis; romanae iuventuti placere incipiebant; a severis hominibus repudiabantur, quos inter a Catone *apud* Plut. vit. XXIII, qui Carneadem ipsum ob eloquentiae lenocinia Roma ociter dimittendum censuerat. Quin adeo non multis ante hunc de rep. dialogum annis, nempe urbis anno DXCIII, consulari auctoritate pulsi fuerant Roma rhetores ac philosophi, cuius rei luculentum testimonium est apud Gell. XV, 11. Liv. XLVI, 40, aliosque auctores. (Confer v. gr. Athenaeum XIII, 9. Sextum empiricum p. 292. 294. auctorem de corr. eloq. cap. XXXIV, qui ait cum Tullio: *rhetores M. Crasso et Domitio consulibus eludere ludum impudentiae iussi sunt.*) Praedictum decretum postea instauratum fuit. Gell. ibid. Denique auctor operis Cicero in quarto rectius quam in quinto caput collocavisse videtur. Simplex enim bonoque scriptore dignum est, ea omnia, quae unius generis sunt, eodem libro absolvere; multo minus in eum cadere, ut relicta disputationis parte, ad illam postero die absolvendam, aliis interpositis, redeat. Vituperatis igitur theatro, musica ac poetis, sponte fluit ut forensis quoque eloquentiae abusus coarguere tur. Ita certe fit apud Cyprianum a me supra citatum [in argumento

libri IV]; multoque evidentius apud Lactantium, quod item paulo ante docui [ad libri IV fin.]

Errorem denique coarguere licet Rufini rhetoris, qui ed. Putsch. p. 2721 ait: *Cicero in dialogis de rep. multa dicit referens asiaticos oratores ditrochaeo clausulas terminare.* Atqui dicendum est *Cicero in oratore cap.* LXIII. LXIX; quamquam id opus caret dialogo. Maivs ed. alt. In Ed. Ald. est p. 1422, itemque in Ed. Paris. 1583: *Quae cum Scipio dixisset admodum probans, nimis enim erat odio rhetorum imbutus.* Ex Ed. Paris. Lehnerus hanc lectionem affert: *Quae cum Scipio dixisset, admodum probans Nummius, erat enim odio quorum rhetorum imbutus.* Heinr post *probans* asteriscum posuit, et vocem *nimis* omisit. Cum Edd. Nonii Aldina et Paris. nostra faciunt Edd. Ciceronis Vict. C. Steph. et Sylb. Sed Lamb. Gothofr. Verb. Ern. et Bip. habent *nimis*. Posses coniicere legendum esse: *Quae cum Scipio dixisset, admodum probans Mummius: (erat enim nimio quodam odio rhetorum imbutus:) . . . . inquit, . .* Moserus. Ed. Nonii Bas.: *Quae cum Sc. dixisset, admodum probans Nummius (erat enim odio quorum rhetorum imbutus.* Valde placet Moseri ratio orationem per *inquit* continuantis. In *quorum* latere *Graecorum*, Lion opinatur.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

LIBER VI.

ARGUMENTUM.*

Quas res sexto libro complexus Cicero fuerat, plerasque ignoramus; etenim minutiora et dissoluta fragmenta parum oppido nos erudiunt: quamquam, si ea emendate a grammaticis citantur, constat in sexto etiam libro continuatum fuisse de reip. rectore sermonem; item dictum de seditionibus, rerumq. publicarum conversionibus, earumque causis, v. gr. luxu, ambitione, libidine, depravatis moribus. Sed tamen de religione certe in hac postrema operis parte disputatum fuisse non dubito; nam et Laelii de religione oratio commemoratur, et ad illam somnii admirabilem clausulam nonnisi hac via pervenire auctor potuit. Actum praeterea fuit de virtutis praemiis et de immortalitate animorum, cuius utriusque rei testem habemus Macrobium in somnii commentatione; eaque Platonis imitatio fuit, qui magnam postremam de rep. libri partem in eo argumento consumpsit. Igitur enumeratis quae inter homines habentur virtutis praemiis, quum ea sufficere haud viderentur, immo nulla aliquando essent, eo sermo Ciceronis paulatim delapsus est, ut in dialogo confirmaret, bonis viris et bene de rep. meritis post obitum aeterna praemia et caelestia esse rependenda. Quod quum ita sit, immortales esse animos necesse est; de quo dogmate et alibi praeclare disseruit Cicero, et in hoc libro non perfunctoria oratione disputavisse credendus est. Tum quia Plato in suae politiae fine virum quemdam ad vitam revocatum confinxit, eumque praemia bonorum, malorumque supplicia, quae viderat, narrantem introduxit; noster quoque Cicero, defensa prius contra nescio quos derisores platonica narratione**, aliam paris

*] Sexto his libro praefatus est Maius ed. alt., cui in argumento similit e exponendo Nobbius praeiverat.

**] Qui contra Platonis de re publ. libros ante Ciceronis tempora

artificii historiam concinnat hominis haud quidem reviviscentis, sed somnium narrantis, quo demonstraret spatiosiora virtutum manere praemia, quam humanae vitae gyrus esse solet. Atque ita hic nobilissimus de rep. tractatus conclusus fuit.

I. 1. Totam igitur exspectas prudentiam huius rectoris, quae ipsum nomen hoc nacta est ex providendo. (Nonius v. *prudentia*. p. 42. ex Cic. VI. de Rep.)

In Politia sua dicit Tullius rei publicae rectorem summum virum et doctissimum esse debere, ita ut sapiens sit et iustus et temperans et eloquens, ut possit facile currente eloquentia animi secreta ad regendam plebem exprimere. Scire etiam debet ius; Graecas nosse litteras: quod Catonis facto probatur, qui in summa senectute Graecis litteris operam dans indicavit, quantum utilitatis haberent. (Commentarius Ms. in Cic. de invent.)

Quam ob rem se comparet hic civis ita necesse est, ut sit contra haec, quae statum civitatis permovent, semper armatus. (Nonius v. *comparare* p. 256. ex Cic. VI. de Rep.)

disputarint, eorum praeter Aristotelem, cuius de reprehensionum caussis peculiari libello Pinzgerus disseruit, unum novi Colotem Epicureum, de quo v. monita in Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 602, et quae infra c. 7 huius libri ex Macrobio afferuntur. Serius vero exstitit obtrectatorum Platonis caterva de quibus adi Pinzgerum p. VI et nobis l. l. allata.

rectoris] Cicero ad Att. VII, 3 ait se virum politicum in sexto informavisse: quae tamen lectio utrum emendata sit, subdubito; quoniam in quinto etiam libro de rectore reip. dictum fuit. Ad prudentiam heic commemoratam quod attinet, Victorinus prohoem. ad Cic. rhet. ait: *virtus in rhetoricis* [in Hortensio puta, ut colligi posse videtur ex Nonio] *a Cicerone dicitur quae sapientia, in libris vero de rep. illa virtus dicitur quae prudentia.* Respicit igitur Victorinus vel hunc locum vel lib. II, 40. Augustinus autem C. D. XIX, 4, 4 hunc ipsum locum tacite spectans, scribit *quae prudentia dicitur*. Maivs ed. alt. Iis Ciceronis locis, quibus eandem vocis *prudentia* originem respicit, quosque post Nonium Moserus congessit, adde Legg. I, 23, 60.

In Politia etc.] Commentarii ms., ex quo hanc particulam Tulliani operis promo, edendi mox dabitur occasio. De sede eius, quo omnia summatim comprehendantur, dubium non est.

rectorem] Cod. *rhetorem*.

eloquentia] Supra scriptum in Cod. *vel oratione*.

Catonis] V. Cic. Acad. II, 2.

necesse est] Libri Nonii MSS. *nec est*, non sine indicio, scriptum olim fuisse *necessest*.

permovent] Editiones nonnullae habent *pervertunt*. Mr. Maivs ed. alt. illud firmant Nonii Codd. atque etiam Perottus Cornu cop. col. 1321 ed. 1526. Moserus susp. *commovent*.

Eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur. (Idem v. *seditionis* p. 25. indidem. Cf. Servius ad Aen. I, 149.)

Et vero in dissensione civilei, quom bonei plus quam multei valent, expendendos civeis, non numerandos puto. (Nonius de doct. indag. p. 519. ex Cic. VI. de Rep.)

Graves enim dominae cogitationum lubidines infinita quaedam cogunt atque imperant; quae quia nec explerei, nec satiarei ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebreis sueis incenderunt. (Idem v. *expleri* p. 424. indidem.)

II. 2. Quod quidem eo fuit maius, quia, quom in caussa

Eaque] Servius Cassellanus, teste Duebnero in Zeitschr. f. d. Alterth. 1834. No. 153. p. 1227, *ea quae*, quod minime probo, quoniam si *quae* recte habet, nulla caussa fuisset, quod *ea* a grammaticis addiiceretur. Cf. nunc etiam Bergk De Servio Cassellano Part. III. p. 29.

dissensio] Sic bene Servius; at Nonii editiones [et Codd.] *dissensione.* Maivs.

seorsum] Cod. Cassell. *seorsim.*

quom] Edd. *eum* vel *quum.*

civeis] *Cives* emendavit Cuiacius obs. XI, 9, quum vulgo scriberetur *ab his*, unde ego malui facere *civis.* Maivs. Cuiacii emendationem omnibus probatam firmant Nonii Codd., ex quibus nunc *cibis*, retenta prava vocis orthographia, vulgatum.

lubidines] Ed. paris. *lubidines.* Maivs. Idem ex libris scripserunt Edd. Bas. Vulgo *lib.*

quos illecebreis etc.] Ita ed. paris. At plantin. et gothofr. *qui illecebris suis incendantur.* Maivs. Illud ex Codd. Edd. Bas.

quidem] Ciceronis quidam editores et hos inter Ern., nuper etiam Villem., *equidem.* Secundae vel tertiae personae Ciceronem *equidem* non iunxisse, in comperto nunc habemus, atque si qui fuit locus, quo id Ciceroni excidisse videretur, is nunc restituta meliorum codicum scriptura purgatus est, ut Epist. ad Att. XIII, 26. V. Heusing. ad Off. I, 12 init. et quos laudat Barkerus in Classical Journ. Vol. VIII. p. 355 sq. ubi de toto huius locutionis usu deque dubia eius origine fuse agitur. Haud minus vero certum est, nsum illum relinquendum esse aliis permultis scriptoribus, non solum poetis, ut Persio, Propertio, atque ex antiquioribus Plauto, sed etiam prosae orationis auctoribus, ut Sallustio, fortasse Tacito, aliis. Quae Barkerus l. l. hac de re congessit, ea augeri possunt iis quae ad Dial. de orat. 27. p. 51 attuli et quae admonuit Schmidtius de pronomine Graeco et Lat. p. 99. Ciceronis loco, quem ibi ex Servio excitavi, doceor nunc a Cortio ad Sallust. p. 306, quem Barkerus laudat, *ego equidem* legendum esse; quo simul eorum sententia refutatur, qui *equidem* ex *ego* et *quidem* ortum censerent. Neque melius habere quod ab aliis putatur, contractum esse ex *et quidem*, Schmidtius l. l. bene statuit, qui *e* litteram ad verbi vim augendam additam existimat, ut in *enim* aliisque in vocabulis aliae vocales additae essent. Transcribere iuvat quae ex Prisciani codice Halberstadiensi nunc prompta leguntur in Iahnii Jahrb. Suppl. T. VII. p. 273: *Equidem coniunctio est et non compositum ab eo quod est Ego quidem, quamvis*

parei collegae essent, non modo invidia parei non erant, sed etiam Claudei invidiam Graccei caritas deprecabatur. (Gellius VI, 16. Nonius v. *deprecor* p. 290. ex Cic. l. VI. de Rep.)

Quei numero optumatium et principum optulit heis vocibus; et gravitatis suae liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. (Nonius v. *triste* p. 409. indidem.)

Ut, quemadmodum scribit ille, quotidiano in forum

ita esse quidam putaverunt, sed male. Nam equidem facio, equidem facis, equidem facit dicimus. Ego autem facis et ego facit nemo dicit; sed ad primam tantum personam refertur, ego facio. Et equidem simplex esse etiam Sallustius ostendit in Catilinario [c. 51]: *Equidem ego sic existimo, patres conscripti. Quod si esset compositum equidem ab eo quod est ego quidem, postquam equidem dixisset, ego non addebat.* Alia eiusdem compositionis *ego equidem* exempla ex eodem Sallustio apud Barkerum p. 356 laudantur.

quom] Edd. vel *cum* vel *quum*.

caussa] Cum Nobb. ita scripsi pro *causa*. At vero mihi non persuadeo, ut Ciceronem *caussa pari collegae essent* absque adiecta praepositione *in* dixisse credam, quemadmodum olim apud Gellium et in Edd. Ciceronis reapse vulgatum fuit. Atque *in meliore caussa esse* ipse dixit Off. III, 27. Neque praepositio omissa defendi potest eo, quod item absit a seq. *invidia pari*, quorum verborum alia ratio est. Quare haud dubitavi *in* revocare, quum ex praecedente *m* facile oblitterari potuerit. Ceterum Cod. Guelph. Gellii pro *caussa* exhibet *eam*, scilicet errore scriptum pro *causam*, unde prodiret *caussa in pari*, ex quo apparere videtur, in contextu olim *in* fuisse.

Claudei] Vulgo *Claudii*: Nonii libri *Claudi*. Pro *Claudi — caritas* Guelph. mendose *dicendi invid. grechitaristas*. Mox vulgo *Gracchi*.

numero] Ita habent *numeros* editiones nonnullae fragm. Cic. At aliae et Non. *numero*. Mr. Maivs ed. alt. Quam lectionem idem his nunc firmare studet: „Num sermo est de fistula Gracchi oratoris? quam festivam narrationem habemus apud Cic. de or. III, 60 sq. Certe in hoc sexto libro Gracchorum seditiones commemoravisse Tullium constat. Vide infra cap. VIII.“ In priore ed. scripserat *numero*, quod quum a Nonii Codd. comprobetur, cum reliquis edd. in obscurissimo hoc loco interim servare tutissimum mihi visum est. Unus Cod. Bas. *numerum*. Orellio neutra lectio placet.

optumatium] *Optumatum* Nonii Codd. ut mox *opt.*; Edd. *optimatum* et *obtulit*. De genitivi forma nunc reposita supra monitum.

heis] Nonius Basil. *is*, et mox *linquit*. Unus Cod. Bas. *liquit*.

vocibus] Cod. Genev. Nonii *vocis*.

quotidiano] *Cotidiano* adverbium etiam apud Frontonem in fragmentis miscellis. Maivs ed. alt. Hic ablativus pro *quotidie* alibi non legitur apud Ciceronem. V. Parei Lex. cr. p. 1655. Moservs. At auctore Beckio ea forma recte nunc II Verr. IV, 8 revocata est a Zumptio, hac de voce conferendo, insuper etiam probata a Madvigio Ep. cr. ad Orellium de Cic. Verr. p. 60, haud male monente, nostro loco non ipsum Tullium, sed alium, cuius verbis utatur, loqui. V. etiam Anal. cr. p. 55, ubi quam emendationem Varronis proposui, posthac vidi occupatam a Ruhnkenio ad Rutil. Lup. p. 11. In Plauti Capt. III, 5, 67 nolim invito Bentleio a Bosscha *quotidianus* revocatum, quum nonnullorum Co-

mille hominum cum pallieis conchylio tinctis descenderent. (Idem de num. et cas. p. 501. indidem.)

In heis, ut meministis, concursu levissumae multitudinis et aere congesto funus de subito esset ornatum. (Idem v. *desubito* p. 547. indidem.)

Firmiter enim maiores nostrei stabilita matrimonia esse voluerunt. (Idem v. *firmiter* p. 512. et Priscianus XV, 3, 13. ex Cic. VI. de Rep.)

Oratio exstat Laelei, quam omnes habemus in manibus,

dicum Camerarii et Avallinii ipsiusque V. C. lectio — *nos* voci *sesquiopus* praemissa doceat, e illud unde adhaesorit. Ceterum cum *Mosero* et Orellio servavi scripturam *quotidiano*, cuius loco vel *cotidiano* vel *cottidiano* ab editoribus exhibitum, v. Excurs. XIV.

mille] Intelligi *Xilioos* illos ap. Xenophanem ostendit Schneidewin. ad Heraclid. p. 80 not.

pallieis] Edd. Bas. ex MSS. *palleis*. Eandem scribendi rationem sistit adverbii forma *palleolatim* apud Frontonem obvia.

descenderent] Edd. Bas. *discenderent*: oportebat saltem scribi *discederent*. Illa enim vox omnino nullius auctoritatis. Sed gravioris momenti est observatio Garatonii ad Or. pro Mil. 20, Orellio ceterisque Edd. neglecta, qui ut in Miloniano loco de sententia Gellii et Macrobii *mille hominum versabatur* (pro vulg. *versabantur*) legatur (cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 116), ita etiam hic *descenderet* rescribendum esse censuit. De illo verbi *mille* usu quae nuper disputavit Klotzius Jahrbücher T. X. p. 413 sq., ea mihi adhuc non persuaserunt, ut substantivo *mille* (*hominum*) pluralem verbi recte iungi credam. Nam primum minime anceps est iudicium, commendatam lectionem utrum Gellius (Macrobium enim quippe Gellio aperte usum cum Klotzio omitto) ipse finxerit, an ex codicibus accuratius ceteris scriptis, ut fas est credere, producat; deinde haudquaquam indubius est locus Nepotis Datame c. 8 *cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidissent*, quum in aliis libris sit *cecidisset*, quod Bremius probavit prudenterque de toto hoc dicendi genere disputavit. Nihil denique conficitur comparando formulam sermonis vernaculi *Tausend von Umständen hinderten mich daran*, quandoquidem nos in hac ratione non *Tausend*, sed *Tausende* dicimus, qui pluralis aliam habet rationem. Iuretum ad Symmachum, qui eadem de re disseruerit, conferre nunc non vacat. Quare non repugnaverim *descenderat* reponenti.

leviasumae] Vulgo *levissimae*.

et aere] Copulam omisit Villem. Schütz. *aëre*. Intelligitur aeris quidquid arte factum ad ornandum funus aptum visum. Mox Edd. Bas. *congestu*, quod merum vitium esse videtur.

Firmiter etc.] Nonius aeque ac Priscianus citant ex VI de rep. Quare non sum ausus transferre hoc fragmentum ad quartum librum cap. VII post Augustini locum, ut censor lipsiensis mallet. Et quidem Augustinus ibi loquens non unum, sed plures de rep. libros spectare videtur. Maivs ed. alt.

Oratio etc.] Hoc item fragmentum mallet censor lipsiensis translatum ad lib. IV, 8 post aliud item ex Nonio v. *excipere*; sed tamen quia hoc, quod est in manibus, citatur a Nonio ex *sexto* libro, illud autem ex *quarto*, nihil immutandum putavi. Maivs ed. alt. Idem ex ed. pr.:

lumen animei, ingenei, consilique tuei. Sed eius temporis ancipitem video quasei fatorum viam. Nam quom aetas tua septenos octiens solis amfractus reditusque converterit, duoque hei numerei, quorum uterque plenus, alter altera de caussa, habetur, circuitu naturalei summam tibei fatalem confecerint: in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas; te senatus, te omnes bonei, te sociei, te Latinei intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac ne multa, dictator rem publicam constituas opor-

lumen animei etc.] Uff. *lumen ingenii, consiliumque animi tui.* Bb. *lumen animi ingeniique tui consiliique.* Crat. *consilii tui*, omisso *que*. Vulgatam refert Planudes. De *lumine ingenii* dixi Adnot. cr. in Quintilian. P. I. p. 15.

ingenei] Rom. *naturalis ingenii.*

ancipitem video] Vind. 3 *video ancipitem.*

quom] Vulgo *cum*, vel *quum*.

aetas tua] Cr. Dresd. 2 cum Dav. *tua aetas.*

octiens] Ita Maius. Vind. 3 *otties.*

solis amfractus] De legg. II, 8: *annuis amfractibus.* Bb. *amfractus solis.* Alii *anfr.*

reditusque] MGoth. *redditusque.*

converterit] Cr. vitiose *convertit.*

hei] Dresd. 1 cum Ald. *ii.* Vind. 1 Vrat. Macrobii Conf. MGoth. *hii*, h. e. *ii.* Cr. Dresd. 2 (hic *hii*) Dav. et Ven. *cum hi.* Planudes *δύο οὗτοί γε ἀριθμοί.*

quorum — habetur] Uff. *quorum uterque alter altera de causa filenus habetur.*

caussa] Ita Nobb. Vulgo *causa.*

naturalei] Conf. *naturalem.*

fatalem] Addunt *dierum* R. et Uff. Bern. *natalem*, sed in marg. *fatalem.*

fatalem confecerint] Dresd. 1 *conficient fatalem.* Arn. *fatalem fecerint.*

atque] MDarm. *adque.*

in tuum] Praepositio abest a Cr. Dresd. 2 et ab Edd. nonnullis vett. ap. Mos. et Orell. et Dav. Male. V. ad c. 9.

se tota] MGoth. *tota se*, quod valde arridet.

bonei] R. addit *viri*, ex glossa.

sociei] Vind. 1 *sociiy.* Arn. *socy*, ut alibi *ingenys*, littera *y* pro *ii* posita, de quo usu v. Pabst p. 5. MGoth. *te Latini, te socii.*

te Latinei] Ita cum ceteris omnibus Vind. 2, sed alia m. in marg. correxit *et* pro *te.*

eris unus] Uff. *eris solus unus*, ex glossa.

quo] Conf. *quem.*

nitatur civitatis salus] Post primam vocem addunt *omnis* Cr. et Dresd. 2 cum Dav. Dresd. 1 *civitatis nitatur salus.* MGoth. *civitatis salus nitatur.* Goth. *innitatur c. s.* Vrat. *tota nitatur c. s.* R. *tota innitatur c. s.* Rom. *nitatur totius civ. s.*

ac] Uff. *at.* Arn. *atque.*

ne multa] Addit *dicam* Dresd. 1. Omittit *ne* Arn.; quae inde nascitur sententia, eam miror a Pabstio p. 9 probari.

rem publicam] Dresd. 2 *populi Romani*, quae lectio ex eodem

tet, sei impias propinquorum manus effugeris. Heic quom exclamasset Laelius, ingemuissentque ceterei vehementius: leniter arridens Scipio, Quaeso, inquit, ne me ex somno excitetis: parumper audite cetera.

vitio repetenda, de quo supra monitum c. 11. Vulgatam bene explicuit Moserus. Ceterum ante *rem* Vind. 1 *ut* inserit. Arn. *reipublicae*: idem MOs. et *constituaris*.

constituas oportet] Ma *const. oportebit*. Vind. 2 et R. *statuas* pro *const.* Vind. 3 *oportet constituas*.

oportet] Scipionis ambitionem notat Cicero off. I, 30. Speravisse autem dictaturam videtur ex hoc somnii loco Scipio. Quod autem reip. salus in rectoris saepe virtute nitatur, praeclare adfirmat cum Platone Proclus. *Νῦν ὁ Πλάτων περὶ τῆς πρώτης διαδοχῆς πολιτείας, μιμεῖται τὸν* [adde *τῶν*] *ὅλων δημιουργόν· οἷα γὰρ δὴ ἐκεῖνον ἄλυτον εἶπεν εἶναι τὸν κόσμον, διὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν μέγιστον οὖσαν δεσμόν, οὕτω καὶ ταύτην τὴν πολιτείαν οὐκ ἄλυτον μὲν, ἀνθρωπίνην οὖσαν, δύσλυτον δὲ εἶναί φησιν, διὰ τὴν τῶν ἀρχόντων ἀρετήν.* Maius ed. alt.

impias] MDarm. *impiarum*.

propinquorum manus] MGoth. Bb. *manus propinquorum*.

effugeris] De Scipionis morte Gerlachius scripto peculiari, Basileae 1839 edito, disseruit; neque tamen quae de auctore eius facinoris vir doctissimus statuit, mihi probavit, neque magis Hildebrando, qui totam quaestionem novo examini subiecit, ad liquidum nunquam fortasse perducendam, in Iahnii Jahrb. 1840. Vol. XXIX. p. 396, huius loci Tulliani sane gravissimi non immemor.

quom] Vulgo *cum*, aut *quum*. Arn. *dum*.

exclamasset] Darm. Vind. 1. Conf. Vrat. Bb. R. B. Iu. V. L. P. Steph. *exclamavisset*.

exclamasset Laelius] Vind. 1 *Lelius* (sic) *excl.*

ingemuissentque] R. *ingemissentque*. Rom. *ingemuissetque*.

ceterei vehementius] Vind. 1. Darm. Goth. Bb. R. Conf. cum V. et Rob. Steph. *vehementius ceteri*, et ita scripsit Ianus. Rom. *vehementius quam ceteri*.

leniter] Bern. Vind. 1. 2 (in marg. ab al. m. *leniter*) 3. R. Vrat. Conf. Darm. Os. Dresd. 2 cum Rom. et Dav. *leviter*, ut edidit Ianus, tralatitio errore. Verr. I, 60, 194: *tantum dicam, paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes, hoc adiutore Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus evertisse*, ubi corr. *lenissime*. Cicero Acad. II, 41, 126: *Hoc ergo, credo, dubium est, uter nostrum sit, leniter ut dicam, verecundior*. Cf. II, 4, 11. Aliud vero est *orationis lenitas*, aliud *orationis levitas*; hoc quum in vitiis materiae ponitur (v. Acad. II, 17, 53), illud ad virtutes elocutionis pertinet: v. quae collegit Heusingerus ad Off. I, 37, 4. *Lenis* et *levis* si ad mores hominum referuntur, quid inter utrumque intersit, in aprico est: de *leniter agere* vide Livium III, 50. VII, 31. XXI, 10. Receptam lectionem firmat *ἠπίως* apud Planudem.

Quaeso] Darm. Vind. 1. 2 (sed *et* cum linea subterducta). Dresd. 2 Oxx. Bb. B *et quaeso*. Idem Conf. Rom. et Dav. non invitis Vrat. correctore et libris Iani, qui ex coniectura *at* scripsit, scilicet corruptum in *et*, ingeniose quidem, sed non vere, ut opinor. Ciceronem enim hac sermonis vulgaris voce usum esse, non ante mihi persuadebo, quam exemplum eius usus sincerius loco Ep. ad fam. XVI, 24, quem excitavit Ianus, afferri videro. Praeter hoc autem exemplum, cuius lectio correctioni deberi videtur, aliud adhuc ostendi non potuit, nisi apud

XIII. [III.] 13. Sed quo sis, Africane, alacrior ad

Comicos, apud quos solos eam vocem reperisse se insuper testatur Velius Longus p. 2213. Praeterea mirum fuerit, eam vocem, quam toties in dialogis et epistolis usurpandi Tullio occasio oblata fuit, indubio loco adhuc non repertam esse. Adde, quod in epistolico genere licitum putare potuerit, id in sublimiore, quale est Somnium, aspernari debuerit.

ex somno] Vrat. Os. Cr. Dresd. 2. Ven. Dav. aliaeque Edd. vett. ap. Mos. et Orell. *a somno*. Uff. *de somno*. Ceterum *ex* dedi ex Dresd. 1. Praepositio abest a Conf.

excitetis] Arm. *excitaris*. R. *excitaveritis*. Cod. M. Iani *suscitetis*.

parumper audite cetera] Textus gravissimus *et parum rebus*, quam lectionem excludit auctoritas permultorum codicum apud Lagomarsinium. Sane et Planudes interpretatur *ἀλλ᾽ εἰρήνη ἔστω* [ed. pr: *ἤτω*; ut nunc Hessius quoque] *τοῖς πράγμασιν, ὡς ἀκοῦσαι καὶ τὰ λοιπά*. Aliorum criticorum coniectura est *et parumper*. Quod autem heic scribit Heinrichius *et rumpatis visum*, mihi id certe non probatur. Maivs ed: ait: Hanc ego Heinrichii amplexus sum coniecturam, quamquam non satis intelligo, quomodo, si ita scripsit Cicero, oriri potuerit lectio Codd. antiquorum *et parum rebus*, vel recentiorum *et pax sit rebus*. Priorem habent ex nostris libris Cod. Mon. Edd. Lamb. Plant. Verb. Wolf. Ern. Sch. Reliqui habent posteriorem, nisi quod Goez. suam coniecturam: *et parca sitis rebus*, parum illam probabilem, in contexta recepit, Lehnerus vero Buherii coniecturam, quam Maius [ed. pr.] Niebuhrii esse ait, *et parumper audite cetera*, ut est Tusc. V, 24 *isque animo parumper et cogitatione fingatur*. Lamb. existimabat *parum rebus* esse: parum rebus temporis tribuite: qua ellipsi nihil esset durius. Hier. Wolf. *pax sit rebus* explicat: pacati estote et missam facite sollicitudinem vestram, vel: quicquid erit, bene vertat; vel: *εὐφημία ἔστω*. Neque vero ei satisfacit lectio. Gronovius coniecit: *et, per aurum, de his audite cetera*. Grutero placebat *pax sit rebus*, quod legit etiam Th. Gaza [immo Planudes], ut videmus ex versione eius Graeca. Sed recte monet Goez. illam scriptionem bibliorum versioni vulgatae, neque vero Ciceroni convenire. Graevius coniecit: — *excitetis. pax! — verum audite cetera*: quod comoediae potius conveniret, et est apud Plautum Mil. III, 1 et Terent. Heaut. IV, 3. Clericus neminem assentientem habuit coniiciens (de arte crit. II. p. 340) *ne me e somno excitetis his pavoribus*: neque magis Heumannus, corrigens: *his clamoribus*. Sch. ait: „mihi dubium non est, quin vera lectio sit: *pax sit rebus* h. e. *omittite res ipsas*, nisi forte malis: *parcite rebus*, ut dicitur *parce verbis*.“ Nobis illud valde dubium est, hoc non malumus. Mosarus Sic [*et parum rebus*, sed apposito crucis signo] Codd. antiquiores. [Vrat. Macrobii et plurimi libri Iani] L. B. 3. 1. 2. *Et pax sit rebus*. R. [Bern. Dav.] B. Iu. A. V. Ma. Vi. Utrumque corruptum. *Et rumpatis visum* Heinr. Mos. Nobb. [Zell. cui Bouherii coniectura omnium maxime probabilis videtur]. Huius tamen correctionis poenituit postea Mosarum p. 594. *Et parumper audite cetera* Bouhierii et Niebuhrii susp. *Pax! verum audite cet.* Graevii susp. *Pax: audite cetera* Ochsneri susp. quae inter omnes praestare videtur, nisi malis: [*et*] *pax parumper; audite cet.* Obiicit Mos., hoc *pax!* comoediae potius convenire. Sed eiusdem plane generis est in his libris (3, 5) *heia vero!* A talibus postea abstinuisse videtur Cicero. Osannvs. Morgensternius Dörptsche Beiträge T. II. p. 463 lectionem *pax! verum* commendat, ita explicandam, ut vocis *pax* sensus ab illa mysteriorum Cereris Eleusiniae formula solemni *κόγξ ὄμπαξ* derivetur: ingeniose scilicet, si modo illa mysterum vox non explosa esset a Lobeckio in Seebodii Misc. crit. I, 4. p. 626 et Aglaoph. T. I. p. 775. Torkillus

tutandum rem publicam, seic habeto: omnibus, quei pa-

Baden in Iahnii Jahrb. Suppl. II. p. 358 coni. *et parumper visa audite cetera*, „und hört ein Weilchen den übrigen Traum", ut ipse vertit. C. F. Matthaei ad Anonymi hist. animal. -Mosquae 1801, teste Hessio ad Planudis locum, legendum proposuit *et parcite fletibus*. His ingenii lusibus Moserus, qui postquam Indice editionis suae v. *Pax* scribendum *date operam rebus* sibi placere significaverat, nunc toto loco retractato Symb. crit. in Cic. Part. III. p. 13 sq., coniecturam iam alteram addidit: *date operam parumper et aud. cet.* Nuperrime Brüggemannus in Somnii Graeci editione a. 1840 vulgata legendum proposuit: *ne me e somno excitetis et perturbetis*. Sed satis horum commentorum, quorum plurimam partem oblivioni tradere tutius fuerat, nisi in loco tam desperato res flagitabat, ut nihil iuris cuiquam derogaretur. In lectione *et pax sit rebus* conspirant Vind. 1. 2. 3. Arn. Conf. Os. cum Uff. et Cr. Goth. *et pax sit*. In restituendo hoc loco proficiscendum a Bouherii coniectura, Gernhardio Comm. II. p. 6 sq. unice probata, meo quidem iudicio improbanda, si copulam, qua oratio elumbis redditur, admittamus. Sed quae offensioni etiam aliis, ut puto, fuerat copula, ea omittitur in Dresd. 1, praeterea exhibente *partim per*, sive PARTIMPER, in quo neminem palaeographiae vel paullulum peritum fugit latere PARUMPER, id ipsum quod feliciter suspicatus erat Bouherius ex lectione mendosa codicum nonnullorum, quibus Darm. accedit, *et parum rebus* exhibentium. Solus, ni fallor, Dresd. 2 *et pax rebus*. Phrasin *parumper audire* dudum firmarunt allato Ennii versu Ann. VI. p. 66. Hess. *Di hoc audite parumper*. Simile quod ad sustentandam suam ipsius coniecturam admovit Moserus ex superiori loco I, 7: *dent operam parumper atque audiant eos, quorum* etc. Ianus ex coni. *et parumper eius audite cet.*, scilicet ut lectionis *rebus* elementa extrema servarentur; sed *eius cetera* scil. verba duriuscule dictum.

quo seis — revertuntur] Ern. uncinis inclusit et in annotat. scripsit: Haec ut e L. V. de Rep. profert Petrarcha p. 374. Opp. Moservs.

seis] Uff. *scis*.

tutandum] Ita libri nonnulli Orellio laudati, non nominati, unus Iani meique omnes praeter Os. MOs. Darm. MDarm. Goth. MGoth. Arn. Kleinianos et Gernhardianos, *tutandam* exhibentes, quod praeterea affertur ex O1x. B. Iu. V. A. M. Ma. L. P. Vi. Uff. cum O3x. *tuendam*, quod edidit Ianus. De constructione receptae lectionis consule quos Pabstius p. 9 laudat, Duk. ad Flor. I, 9, 4. Kritz. ad Sallust. Cat. 4, 1. Haasium ad Reisigii Gr. Lat. p. 775. not. 596, et quae affert Kleinius ipse p. 7, qui insuper monet *tutandam* exhiberi a Petrarcha XIV. Rerum senilium Ep. 1. fol. 78 recto. Adde Dav. ad Cic. Acad. II, 48 fin. III, 5, 13. Manut. ad sen. 2. p. 331 ed. Graev. Schuch Objectscasus oder Accusativus der Lat. Spr. p. 88 sq. Gernhardius vero, qui Ciceroni hunc usum paene abiudicat, certe in talibus locis, qualis noster sit, *tutandum* ferri posse negat, Prolus. II. p. 7 sq. Ac fateor quum *tutandum* excudi iussi, virorum doctorum magis reverentia quam animi mei persuasione me ductum esse, quippe qui caussam exputare non valeam, cur antiqui in eiusmodi structura, qua gerundivum continuo a subiecto excipitur, a vulgari dicendi consuetudine recedere maluerint: quum praesertim vix exemplum ullum reperiatur, quo codicum scriptura non fluctuet, ita ut quid a scriptore revera exaratum sit utique ambigamus. Adde cum ratione pugnare videri eos locos, quibus subiectum praeponatur, veluti de or. II, 10, 39: *ad eam laudandam*, ubi ex cod. Gud. Kleinius rescribi *laudandum* iubet. Etiam minus ferenda constructio, ubi subiectum praepositum ex relativis est et cum *ad* ita iungitur, ut ex

triam conservaverint, adiuverint, auxserint, certum esse in caelo ac definitum locum, ubei beatei aevo sempiterno fruantur: nihil est enim illei principei deo, quei omnem mundum regit, quod quidem in terreis fiat, acceptius, quam

illo gerundium aptum sit; quemadmodum aliquis supra c. 11 scripsit *ad quam tu oppugnandum nunc venis.* Contra vero in membrorum paritate ob aequabilitatis studium feram eiusmodi structuram, qualis est Off. I, 31, 112: *moriundum potius, quam tyranni vultum aspiciendum fuit.* Vel Ep. ad fam. V, 17 extr. *neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam.* Adde Partit. orat. 27, 96: *aut ad odium sanandum; aut ad ulciscendum iniurias*, ut in Gud. est, teste Kleinio. Quibus in locis attractionis aliqua ratio habita esse videtur. Aut denique ubi gerundium et subiectum, vel potius tum obiectum, pluribus verbis interpositis distenduntur, veluti Fragm. or. pro Scauro p. 17 ed. Francof. *Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera?* de quo loco verissime iudicat Gernhardius. Hanc vero loquendi rationem ab eo genere, quod in hoc Tullii loco exstat, prorsus alienam esse, nemo non videt.

omnibus] Cr. *omnibusque.* Ed. Ven. *iis omnibus.*

conservaverint] Ita scribendum erat ex Os. MOs. Vrat. Arn. Goth. Dresd. 1. 2. Vind. 1. 3. MGoth. Sm. Bern. Bb. Darm. R. B. Iu. A. V. Dav. Rom. M. Ma. aliisque Edd. vett. apud Mos. Conf. *conservaverunt*, ut etiam mox *adiuverunt, auxerunt.* Vulgo *conservarint.*

adiuverint, auxserint] Rom. *auxerint, adiuverint.* Vulgo *auxerint.*

certum] Addit Goth. *enim.*

esse] Abest a R.

caelo] Uff. Cr. Vind. 1 et Edd. Ven. Dav. *caelum. In caelo* abest a Conf.

ac] Maius, Lehn. Verb. omiserunt *ac*, eaque vox abest a codd. Cr. et Mon. et Edd. Ven. Dav. Rom.; Heinr. dedit *et*, quod in nullo libro reperi; sed *ac* exhibent reliqui nostri omnes. Moservs. Sic [*ac*] Macrobius Aldi fol. 25. A. V. M. Ma. L. Vi. 1. 2. Mos. *Et* Macrobius Aldi fol. 12. Iu. Heinr. Omittunt *ac* B. [Rom. Dav.] νM. P. 3. Oliv. Mai. Nobb. Orellivs. Omittunt ex meis MGoth. Darm. MDarm. R. Os. MOs. Conf. Vrat. Arn. Dresd. 2. Vind. 1. 2. 3. Unus Dresd. 1 *et.* Receptam lectionem, etiam in Cod. Urs. repertam, firmat Cicero de or. II, 14: *unum de certa definitaque caussa.* Bern. *certum esse locum in caelo*, omisso *definitum.*

definitum] Darm. Arn. Os. MOs. Vind. 1. R. Conf. cum Edd. quibusdam ap. Mos. *diffinitum.* Cod. Urs. *destinatum.*

ubei] Mon. *ubique.*

aevo sempiterno] *Sempiterno aevo* Uff. B. Vi. Orellivs. Item Vrat. et MGoth.

fruantur] Darm. *fruuntur.* Arn. *perfruuntur.*

est enim] Pro *enim* Asc. 1 *ergo.* Os. Arn. Conf. et Bern. *enim est.*

illei principei] Vind. 1 *principi illi.*

deo] Abest ab Arn.

omnem mundum] Quod vulgo inseritur *hunc*, id ex meis libris unus Dresd. 2 habet: neque agnoscunt Codd. Moseri, neque Bb. Bern. O2x. νM, ita ut auctoritate paene nulla sustentari videatur. Quare ut glossam abiecimus. Abest etiam ab Herb. a Petrarcha, quem Kleinius laudat, XIV Rer. senil. Ep. 1 et a MGoth. et MDarm. Verba *qui omnem — regit* omittit MOs. 1, 8.

concilia coetusque hominum iure sociatei, quae civitates appellantur; horum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.

XIV. 14. Hoc ego, etsi eram perterritus non tam mortis metu quam insidiarum a meis, quaesivi tamen, viveretne ipse et Paulus pater et alii, quos nos exstinctos arbitraremur. Immo vero, inquit, ei vivunt, qui ex cor-

in terreis fiat] Uff. Vind. 1 *fiat in terris.* Pro *quod quidem* Mon. *quidquid*, sed supra scriptum *quod quidem.*

concilia — appellantur] Citat ex sexto Ciceronis de R. P. libro Augustinus Datus Senensis *de quibusdam elocutionis praeceptis* in Cod. Guelpherb. 22, 4 servatus: de quo Cod. dixi ad Apuleium p. VIII. *V.* praeterea ad c. 16, Cr. et Dav. *consilia.* Mox R. *coetumque.*

iure sociatei] Uff. *ad iure vivendum sociati.* Pro *iure* Ven. *vere.* Arn. *ad vivendum iure sociati.* Ex interpolatione.

quae civitates appellantur] Recole I, 7, Maius ed. alt.

harum] *horum* R. *earum* Macrob. Vulpii, non Aldi. Orellius. *Earum* Sm.

rectores] Cr. *et rectores.*

conservatores] Dresd. 1 *gubernatores.* MOs. Sm. MGoth. MDarm. *servatores.* Mox Arn. *provecti.*

revertuntur] Edd. nonnullae vett. ap. Mos. et Orell. *revertentur*, ut Beda quoque, notante Kleinio, Opp. T. II. p. 283. Bas.

ego] Omittit Dresd. 2. Transponit post *eram* Uff. MDarm. *ergo.*

perterritus] Vind. 2 *periturus*, sed alia m. in marg. *perterritus.* Os. *perterritus eram.*

mortis metu] Quod scripsi vulgatae *metu mortis* multum praestare videtur, suppeditatum illud ex Goth. Darm. Dresd. 1, Vind. 1, 3. Vrat. Macrobii Conf. Sm. Bb. MDarm. MGoth. et MOs. Neque aliter Edd. Rom. B. V. Asc. 1 et Rob. Steph. Mecum facit Gerhardius Prol. II. p. 8: „Verborum ordinem, quem in Cod. Macrobii San-Gallensi et Bamberg. dixi reperiri, *non tam mortis metu, quam insidiarum* et servant edd. Bazal. Vict. Ascens. I et R. Steph., contra receptiores editores defendendum existimo. Maior enim vis est in *mortis* et *insidiarum* oppositione, cuius vocabula particulae *tam — quam* minime patiuntur a se removeri. Egregie mihi suffragatur Cic. Brut. 33, 126: *utinam non tam fratri pietatem, quam patriae, praestare voluisset.*“ Atque legimus is verborum ordo. Pro Mil. init. *ipse magis de rei publicae salute, quam de sua perturbetur.*

tamen] Rom. *tantum*, frequentissima confusione, de qua Kleinius conferri iubet Drak. ad Liv. III, 46, 1. Vidi codices, quibus utrum scriptum esset, dignosci nullo pacto poterat. Vocem omittit Dav.

viveretne] Omittit Dresd. 1, sed cum signo lacunae.

et Paulus pater] Dresd. 2. Goth. Arn. Cr. Uff. et Edd. quaedam ap. Orell. et Mos., quibus accedit Dav., *et pater Paulus.* Omittunt etiam *et* nonnullae: in Sm. a sec. m. suprascriptum est. Vulgo *Paullus*: simplice *l* Os. ut etiam mox.

exstinctos] Adiiciunt *esse* Darm. Bb. Os. Dresd. 1. Goth. Cr. Uff. R. MOs. MDarm. MGoth. (hic tamen paullo post omittit) R. et Edd. Ven. Herb. Rom. Dav.

arbitraremur] R. Conf. Mon. *arbitramur*, sed a m. sec. *arbitraremur.* Dresd. 1 *arbitrantur.* Edd. vett. quaedam *arbitremur*; aliae

porum vinculeis tamquam ex carcere evolaverunt: vestra vero quae dicitur vita mors est. Quein tu adspicias ad te

cum Arn. et Vind. 3 *arbitrabamur*; rursus aliae, quas inter est Rom., *arbitramur*.

Immo] Moserus *imo*, quum sit ab *imus*. Recte quidem hoc, nec tamen hinc sequitur ut *imo* scribendum statuamus, quamquam *imo* Arn. revera exhibet. *Immo* esse ablativum superlativi (*in-mus, ini-mus*), bene monuit Wüllnerus Ueber Ursprung und Urbedeutung der sprachl. Formen p. 265. Haec certe probabilior vocis notatio quam Doederleinii Lateinische Wortbildung p. 215, contractam esse formam v. ἐτύμως arbitrantis. De vocis scriptura Pabstius p. 6 conferendos ait Handium Tursell. T. III. p. 218. Haase ad Reisig. not. 424 et Leop. Schneideri Gr. Lat. I, 1. p. 420. Ceterum *immo vero* non referri ad *viveretne pater*, sed ad *quos nos exstinctos arbitraremur* monuit Ernestius, probante Handio l. l. p. 230.

ei] R. Vind. 1 (*hii*) 2. 3. Os. Darm. Goth. Cr. Uff. Arn. (*hii*) Vrat. Bb. MOs. MGoth. (*hii*) cum Edd. vett. nonnullis *hi*, quod praestare videtur. Dresd. 1 *ei*. Mox vulgo *vivunt*.

ex] R. B. Os. Dresd. 1. 2. Arn. Darm. Bb. Mon. Sm. Cr. Rom. *e*. De differentia utriusque scriptionis, quam hic Moserus commiscitur, alibi dictum. Mirum vero, eum mox reliquisse intactum *e carcere*.

vinculeis] Vind. 1. Arn. Os. Vrat. MDarm. MGoth. MOs. *vinclis*.

tamquam] Os. *tanquam*.

ex carcere] Inde ab h. l. usque fere ad finem capitis interrumpitur Cod. Cr. nam excidit folium unum. Moservs. Vind. 3 *de carcere*: ceteri codd. *e*, ut vulgo. Omittit Darm. Curtius V, 5, 19: *ex hoc carcere erumperent*.

evolaverunt] Dresd. 2 cum Edd. Dav. Ven. Herb. *evolavero*. Rom. *volaverunt*. Bb. *evolarunt*.

dicitur] Dresd. 1 *dictis*. Addit *esse* Sm. Ad sententiam Gernhard. Prol. II. p. 8 apte confert illud Socratis ap. Cic. pro Scaure §. 4. ed. Beieri disputantis: *hanc esse mortem, quam nos vitam putaremus, cum corpore animus tamquam carcere saeptus teneretur, vitam autem esse eam, quam idem animus vinclis corporis liberatus in eum se locum, unde esset ortus, retulisset*.

Quein tu adspicias] Ita [*adspicis* cum signo interrogationis post *patrem*] dedi cum Heinr., quamquam libri nostri omnes et scripti et editi habent *adspicias* et sola Ed. Bern. interrogandi signum. *Adspicis* vero iam legit in veteri libro Hier. Wolfius. Ex aliis libris enotatum est in Ed. Verb. *quia* et *respicias* v. *respice*. Moservs. Moseri lectionem cum Nobbio Orellius expressit, „paucis Codd.", ut ait, confisus. Item Zellius. Vellem de libris istis, quos ignoro, accuratius liqueret: receptam scripturam mei ad unum omnes tenaciter servant. Arn. *item tu aspicies*, quod certe ad *adspicias* ducit: quod praeterea iste liber habet, interpretationi deberi videtur. Si quid tamen ex Gernhardii silentio concludere licet, exstat *adspicis* in Sm. et Bern. Ex Bb. *adspicias* enotatur. Quare tutius visum, coniunctivum interim retinere: etsi fatendum mihi est, nihil frequentius esse particula *quin* initio sententiae cum indicativo iuncta, sive sensu interrogativo, ut idem sit quod *cur non*, quod tamen ab hoc loco quam maxime alienum, sive ea significatione, qua fere idem est cum *immo etiam*. Exempla praeter Hor. Tursellinum dabunt Bentleius ad Ter. Eun. III, 7, 41. Walch Em. Liv. p. 54. Adde Plaut. Mil. III, 3, 9. Trin. I, 2, 81. Alia ratio est coniunctivi in his Plauti Mil. II, 5, 16:

venientem Paulum patrem. Quem ut videi, equidem vim lacrumarum profudei: ille autem me complexsus atque osculans flere prohibebat.

XV. 15. Atque ego ut primum, fletu represso, loquei posse coepei, Quaeso, inquam, pater sanctissume atque optume, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere,

SC. *Men rogas, hem, qui sim?* PH. *Quin ego hoc rogem, quod nesciam?*

ad te venientem] Vrat. Macrobii *venientem ad te.*

Paulum patrem] R. Vrat. Macrobii Conf. Edd. Dav. Asc. 1 cum aliis vett. apud Orell. *patrem Paullum.* Subiiciunt *tuum* R. Conf. Uff. Dresd. 2. Herb. et Planudes vertens τὸν πατέρα σαυτοῦ. Plurimi *Paullum.*

ut] Revocavi cum Orellio ex libris meis omnibus, quibuscum consentiunt multae Edd. vett. ap. Orell. et Herb., librique Gernhardiani et Klein. Vulgatam *ubi* ex libris Moseri unus Uff. tuetur.

equidem vim lacrumarum] Vind. 3 *vim lacrimarum equidem.* Vulgo *lacrimarum.*

profudei] *Profundere lacrimas* dixit etiam in Or. pro Fontei. 17, 38: *effundere lacrimas*, quod ex uno Cod. h. l. enotavit Verb., dixit Cicero Or. pro Planc. 42, 101. Mosbavs. *Effudi* Darm. Vind. 1 et Rom.

complexsus] Dresd. 2. Os. Arn. cum multis Edd. vett. ap. Orell. et Mos. et Dav. *amplexus.* Item Herb. et Rom. Sine ullo sententiae discrimine Tullius utraque voce in eadem re utitur. De nat. deor. II, 25 de aethere: *qui terram tenero circumiectu amplectitur*, et c. 36: *hunc* [aera] *rursus amplectitur immensus aether.* Contra ibid. I, 14: *tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominatur.* Lucretius II, 1066:

qualis hic est, avido complexu quem tenet aether.

Vulgo *complexus.*

atque osculans] Omittit Vind. 1.

osculans] Lambinus dedit *osculatus*, quod habent etiam Edd. Plant. et Hier. Wolf. Conveniunt loca ad Att. XVI, 5. *ut — eum — complexus osculatusque dimiserit*: Or. pro Planc. 51, 9. *me — complexus est conspersitque lacrymis.* Mosbavs. Sed plane alia horum locorum ratio est, quorum in priore *osculans* ne admitti quidem potuit. *Osculatus* exhibet Vind. 2. Contra illam scripturam expressit Planudes καταφιλῶν vertendo.

flere] Addit Os. *me.*

ego ut primum] Rom. *ego ut primo.* Conf. *ut ego primum.*

coepei] Os. *cepi.*

inquam, pater sanctissume] Vind. 3 *pater sanctissime, inquam. Pater sanctissime* absunt a Dav. Ceterum scripsi *sanctissume* et *optume*, hoc suppeditantibus Darm. et Vrat. Macrobii. Vind. 1 *piissime* pro *optime*, sed in margine: „alii *optime*." MDarm. *obtime.*

atque] MDarm. *adque*, ut supra.

quoniam] Edd. vett. aliae ap. Mos. et Orell. *quum*, aliae *quando.* Darm. *qm* h. e. quoniam: ex qua scribendi ratione illud *quum* cummaxime ortum.

est vita] Mon. *vita est.*

ut] Vrat. Macrobii et Conf. *aut.*

Africanum audio] Vrat. Macrobii Conf. Asc. 1 *audio Afr.*

quid moror in terreis? quein huc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille. Nisei enim deus is, quoius hoc templum est omne, quod conspicis, isteis te corporis custo-

quid] Dresd. 1 *quod.*

moror] MDarm. *morer.*

in terreis] Handium si audimus, qui in Ann. Heidelb. 1812. No. 3. p. 41 quid intersit inter formulas *in terris* et *in terra* ita exponit, ut illud sit *auf der ganzen Erde*, hoc vero *von den Erdgeschöpfen im Gegensatze der andern Naturreiche* dicatur, Tullius *in terris* recte neque hic, neque supra c. 13 et mox c. 17 scripsisse putandus est, quandoquidem in his locis, sicuti etiam in his Horatii Epist. II, 1, 194 *si foret in terris, rideret Democritus*, ea formula aperto sensu ita dicitur ut *terrae* opponantur locis extra terram positis. Favet tamen Handii sententiae locus ab ipso allatus Or. II de leg. agr. 23, 62: *Parta sit pecunia decemviris tanta, quanta sit in terris*, ita ut non una huius formulae ratio statuenda videatur.

huc] Var. lect. apud Lagomarsinium *hinc*, vel *huc*. Maivs. Pro *hinc*, quod receperunt cum Maio Heinr. Lehn. post Lang., dedi *huc* ex libris nostris omnibus. Eam vocem omisit Goez. quam abesse in Cod. vet. monent Lamb. Goth. et Verb. Moserus. *Huc* Dresd. 1. 2. Vind. 1. 2. 3. R. Vrat. Os. Bb. Bern. Sm. Darm. Goth. multaeque Edd. vett. ap. Orellium, qui cum Zellio item reposuit, et Dac. ac Rom. Contra Nobb. *hinc* retinuit, quod tuetur Arn. MDarm. *hunc.*

venire propero] Vind. 2 Edd. Plant. et Asc. 1 *propero venire.*

Non est ita] Uff. *non ita est.*

ita, inquit ille] Bb. *inquit ita ille.* MDarm. *inquid.*

Nisei enim deus is] Recepi, quod dedit Ochsn. *nisi enim deus is*, quodque edidisse ait Langium, Sigonium et Patricium Gronovius, seque in pluribus MSS. reperisse. Ego ita scriptum deprehendi in Cod. Uff. Edd. Asc. 2. Crat. Herw. Car. Steph. Ald. Lugd. Sylb. Lamb. Goth. Tig. Plant. Sturm. Boul. Wolf. Bip. In Cod. Mon. Edd. Asc. 1. Rob. Steph. et Ven. est *Nisi enim eum deus is.* [Ita MOs. MDarm. Sm. (sed hi *hic* pro *is*) MGoth. (sed omisso *is*) Dresd. 2. Vind. 1. Bb. Darm. Goth. cum Edd. Macrobii Aldi fol. 33. Rom. Dav. B et V. Ita etiam Petrarcha II. Dial. 118. fol. 130 verso et VIII Rerum senilium Ep. 2. fol. 43 *recto*, notante Kleinio, et nunc Ianus quoque.] Reliqui cum Maio habent *nisi deus is.* Car. Steph. in varr. lect. ait se in vet. Cod. reperisse *nisi enim cum deus is*, ut dedit Victorius. Moserus. Receptam lectionem praeter Edd. Orellio notatas firmant Arn. Os. Bern. Vind. 2. 3 et plurimi libri Lagomarsinii, ut nunc adnotat Maius. Conf. Vrat. Macrobii Dresd. 1 *nisi enim cum dominus hic*, memorabili commutatione vocum *deus* et *dominus*, ex nota *ds*, qua utraque scribi solita est, et ita exaratur in Darm., facile explicanda. R. *nisi cum deus is.*

quoius] Vulgo *cuius.*

quoius hoc templum est omne] L. P *cuius templum est omne hoc.* Dresd. 1 *cuius hoc est templum omne.* Rom. et Dresd. 2 *cuius templum est hoc omne.* Cum Arn. et Os. Vind. 2 omittit *omne.* Petrarcha II Dial. 98. fol. 123. v. *cuius est templum hoc omne*: sed idem vulgatam servat II Dial. 118 et VIII Rer. senil. Ep. 2, referente Kleinio. *Hoc* vel simpliciter pro *coelo* dici vel saepe cum ea voce iungi, ut quasi digito caelum demonstrari intelligatur, dudum observarunt Columna ad Ennium p. 273 sq. Hess. Faernus ad Ter. Heaut. III, 1, 1 et Brunckius ad Sophocl. Phil. 1306, quorum hic eundem usum etiam demonstrativo *ille* vindicavit. Similiter Cicero *has res* de mundo dixit, Off. II, 2, 4.

dicis liberaverit, huc tibei aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generatei, quei tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur: hisque animus datus est exs illeis sempiterneis igni-

Neque abludit *hoc* nude dictum, quo Euclio apud Plautum Aul. III, 3, 1 et 4, 5 thesaurum, quem in marsupio secum gestat, significat, vel quo alapa dicitur alteri infligenda, apud Terent. Andr. I, 2, 30.

conspicis] Uff. et Os. *cernis*.

isteis] Rom. *istius*. Conf. *iste*. MOs. et MGoth. *his*.

te] Dresd. 1 *ne*. Arn. et MOs *de*. Abest a Vind. 2.

corporis custodieis] Conf. *corporum vinculis*. MGoth. *custodiis corporis*.

liberaverit] MDarm. *liberabit*.

patere non potest] Contra eos, qui sceleste mortem sibi consciscunt, invehitur Servius aen. XII, 603 cum Virgilio, pontificalibus libris, Cassio Hemina, et Varrone; Macrobius item ad somn. I, 13 cum Platone atque Plotino. Lege etiam M. Aurelium de vita sua III, 5 et Lactantium inst. III, 18. (Adde Cic. de sen. XX et tusc. I, 30. Mr.) Maius ed. alt. Pro *potest* Uff. Bb. et Olx. *poterit*, eodem errore, quo supra c. 12 pro *oportet* genuino in constructione futuri exacti librarius quidam scripserat *oportebit*.

enim] Dav. *autem*.

sunt hac lege] *Hac lege sunt* Ed. Ven. 1470 prob. Beiero. Orellius. Item Dresd. 2 Vind. 3. et Dav. Neque ego improbarem.

generatei] Vind. 3 *nati*.

quei] Patricius susp. *qui*.

tuerentur] Uff. *intuerentur*. B. et Conf. *tuentur*.

illum globum] MGoth. *globum illum*.

in hoc templo medium] Vrat. Macrobii Vind. 2 (hi tamen in marg. *medium*) Darm. Codd. quidam Lagomarsinii apud Malum (commemorati cum Edd. V. et Rob. Steph. *in hoc templo medio*. Dresd. 2 Edd. Ven. et Dav. *in medio hoc templo*. Sm. MOs. MGoth. et Vind. 1 *in templo hoc medium*. De terrae in mundo sede media v. notata ad Cornutum p. 244 et 338.

vides] Uff. *videmus*.

quae] Uff. *et quae*. Arn. et Rom. *qui*, cum Petrarcha II Dial. 118 et VIII Rer. senil. Ep. 2. De quo lectionis discrimine v. quae congessit Kleinius in Append. ed. Heinrich.

terra dicitur] Edd. vett. nonnullae ap. Mos. et Orell. *dicitur terra*. Omittit Goth. *terra*.

hisque] MDarm. Edd. Ven. et Dav. *his*. Dresd. 2 *hiis*. Conf. *hiisque*.

exs] Vulgo *ex*.

exs illeis sempiterneis ignibus] Edd. Ven. et Dav. cum Dresd. 2 *ex semp. ignibus illis*. Totum locum Datus ille Senensis in Cod. Guelph., quem ad c. 13 laudavi, ita exscripsit: *ex illis sempiternis ignibus, quae vos aydera et stellas vocatis*. Idem vero scriptor in codice meo, cuius l. l. istam mentionem feci, paullo aliter ita locum exhibet: *ex illis sempiternis ignibus vel luminibus quae vos sidera et stellas nuncupatis*. In quibus haud male habet adiectum pronomen *vos*, quod si codices addicerent, suscipere non dubitassem. Ita enim Scipio loqui solet ad designandos mortales etiamnum vivos; ut paullo post *quem vos orbem lacteum nuncupatis*. Ad rem praeter ea quae Moserus attulit cf. Villoisoni Theol. physica Stoicorum p. 517.

bus, quae sidera et stellas vocatis; quae globosae et rotundae, divineis animatae mentibus, circulos suos orbisque conficiunt celeritate mirabilei. Quare et tibei, Publei, et pieis omnibus retinendus animus est in custodia corporis:

quae] Arn. *quos*.

vocatis] Goth. *vocatas*. Datus *nuncupatis*.

globosae et rotundae] Conf. Vrat. Macrobii B. Iu. A. Macrob. Asc. 1 *rot. et glob.* De re v. Mos. et Villois. l. l. p. 518. *Et rotundae* omittit Vind. 2, sed adiiciuntur in marg. ab alia m.

divineis animatae mentibus] De divina stellarum natura v. praeter Moserum Villois. l. l. p. 526.

animatae] Dresd. 1 *animatis*.

circulos] Cum Cicero verbo *circos*, quod receperunt Heinr. Lehn. post Maium, alibi non usus sit, nisi in carminibus Arateis, recepi lectionem librorum tantum non omnium *circulos* i. e. cursus circulares, ut Macrobiano verbo utar. Moserus. Contra qui retinuit *circos*, Orellius: „Hic plerique sane (contra quam dixit Ochsn. Ecl. p. 243) habent *circulos*, v. c. Macrob. Aldi O6x. B. Iu. A. V. M. Ma. L. 1. 2, sed *circos* O1x. C2d. Suffridi Petri, alii Vineti; ipseque Petrus, et Vinetus cum Langio; tum 3. Mai. Heinr. Ochsn. Infra vero Macrob. T. O4x. (cum duobus corruptis) V. aliique habent *circus* (etsi altero quoque loco *circulus* B. Iu. A. M. Ma. L.) hancque formam utrobique praetuli cum Ochsnero et Nobb. Mosero placuit altera. V. de Nat. deor. II, §. 44 et 47." Tametsi minime negaverim, *circos* a Cicerone scribi potuisse, quum praesertim caussa a Koenio Ueber die Sprache der Röm. Epiker p. 35 notata, quod Cicero ab ista voce propter solemnem usum eius de ludorum loco abstinuerit, nullius momenti esse videatur, id quod etiam Teipelium video monere in Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 64: tamen eo maiore iure codicum, ex quibus a me inspectis soli MOs. Vind. 1, ex ceteris unus Bern. et fortasse Sm. *circos* retinent, auctoritati obsequendum duxi, quo, si Cicero *circulos* scripsit, hoc utpote compendiose in MSS. scriptum multo facilius in *circos* corrumpi potuit, quam hoc in illud. Addo, quod in posteriore de N. D. loco, nullo dissidente libro MS., legitur *circulus aut orbis*, *qui κύκλος Graece dicitur*; prior vero, in quo exstat *circumquaque*, alienus omnino est. Neque denique momenti ullius est quod Teipelius, qui *circos* defendit, Attium ap. Nonium v. *circus* p. 20 probabiliter *circus* pro *circulus* dixisse affert. Primum enim quod poetae licuit, id non item Tullio licuisse dicemus, quum eundem *circus* in Arateis dixisse et suo quidem iure conceditur. Deinde quum apud Nonium disputatur non de v. *circus*, sed de eius forma deminutiva *circulus*, non potest esse ullum dubium de scriptura vocis ab omnibus MSS. suppeditatae,

quod luna circulos annuo in cursu institit,

ubi, si scribamus *circlos*, quam syncopen sibi pariter permisit Virgilius Georg. III, 166, nihil requiretur, quod ad locum plane restituendum desideretur. Nam quod Bothius dedit *circos*, id Mercerio debetur. Nolo tamen reticere, quod Nonius in posteriore de N. D. loco reapse *circus* agnoscit; quod an tanti sit, ut omnium codicum, qui in hoc Tulliano Nonianis certe non peiores, fides huic Nonii auctoritati postponenda sit, id alii videant.

orbisque] Vulgo *orbesque*.

conficiunt] Dresd. 2 et Dav. *perficiunt*.

Quare et tibei] Uff. omittit *et*.

pieis] In Uff. ante *piis* inseritur glossa *aliis*.

nec iniussu eius, a quo ille est vobeis datus, exs hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a deo defugisse videaminei. Sed seic, Scipio, ut aves hic tuus, ut ego, quei te genuei, iustitiam cole et pietatem: quae quom magna in parentibus et propinqueis, tum in patria

animus est] Ita scripsi ex Darm. Vind. 1. 2. R. Vrat. Goth. Sm. Bb. MOs. B. Iu. V. Asc. 1 et Rob. Steph. A Dresd. 2 *est* omittitur; ita ut olim a Cicerone scriptum coniicias *animust*. Quo probato non ambigetur de origine vitii, quo altera pars codicum laborat. Reliqui enim *est animus*, quod adhuc in Edd. vulgatum est.

nec iniussu] Dresd. 1 cum Rom. et Petrarcha II Dial. 98. *nec nisi iussu*. Videtur prima syllaba v. *iniussu* pro *ni* sive *nisi* perperam accepta esse. Vind. 1 *et ne iniussu*. Bb. *nec iuvisu*.

est] A Dresd. 2 abest; a Mon. Vind. 3 et Dav. transponitur post *datus*. Confl. *est ille*. Os. *vobis est*. An et hic, ut paullo ante *animust*, olim fortasse scriptum fuit *datust*?

vobeis] *Vobis*, quod praeferebat iam Patricius, est in paucis libris; in plerisque est *nobis*. Probam tamen lectionem tuentur Codd. Uff..... et Mon. Edd. Herw. Rob. Steph. Tig. Lamb. Plant. Boul. Goth. Lugd. Grut. Verb. et recc. Moser. Item B. Iu. A. M. Ma. et ex nostris libris Os. Dresd. 1. Darm. Vind. 2 (in marg. ab alia m. *nobis*) Vind. 3. Goth. (hic vero *datus vobis*.) Conf. et Petrarcha l. l. (hic *vobis est datus*).

exs] Vulgo *ex*.

hominum] Beda l. l. *hominis*.

ne] Goth. *nec*. MGoth. *me*.

humanum] *humanitatis* R. *Munus humanum* omittit Petrarcha l. l. *Humanum* abest a Sm., probante Gernhardio Comm. II, p. 9, item a MOs. MGoth. et MDarm., recte, ut puto.

deo] Addit MGoth. *ipsi*.

defugisse] Grut. ex uno Cod. Palat. enotavit *ipsi defugisse*, quae lectio ex glossemate orta est. Moserus. Mon. *detestati fuisse*. Olx. vM. MOs. MGoth. MDarm. *fugisse*. Goth. Vind. 1 *diffugisse*. Maius ed. all. conferri iubet II, 19. *defugit patriam*. Alia Moserus. Rom. *deseruisse*. Bb. *defuisse*.

videaminei] Dresd. 1 et 2 Dav. et Herb. *videamur*. Qui ita scripserunt, supra legerunt *nobis* pro *vobis*. Arn. *fugiamini*. Rom. *videatur*.

avos] Vulgo *avus*.

hic tuus] R. *tuus hic*.

ut ego] Cod. Uff. *et ego*. Dresd. 1. Vind. 3. R. Edd. Asc. 1. B. Iu. *et ut ego*.

iustitiam cole et pietatem] Dresd. 2. Os. Edd. Ven. et Dav. *iustitiam* (Os. *iusticiam*) *et pietatem cole*. Vind. 1 *cole iust. et piet.*, ut etiam Petrarcha XIV Rer. senil. Ep. 1. fol. 78. *verso*.

quom] Edd. vel *cum*, vel *quum*. Quod continuo in vulgatis ad hunc ipsum diem subiicitur *sit*, in quo ex elegantia quadam sermonis defendendo multus est Moserus, id sustulimus auctoritate Arn. Vrat. Macrobii Conf. Darm. MDarm. Os. MOs. Uff. Mon. MGoth. Dresd. 2. Vind. 2. 3. Edd. Rom. Dav. Ven. Asc. B. Iu. A. vM. cVi. Atque insititium illud verbum esse, cognoscitur ex vaga eius sede: nam in Dresd. 1 post *magna* exhibetur. Ceterum rarior sane recepta illa constructio est, in qua verbum substantivum in integra enuntiatione intelligendum est. De Off. I, 34: *Luxuria quum omni aetati turpis, tum maxime senectuti foedissima est*.

maxsuma est; ea vita via est in caelum, et in hunc coetum eorum, quei iam vixserunt, et corpore relaxatei illum incolunt locum, quem vides:

XVI. 16. (erat autem is splendidissumo candore inter flammas circulus elucens,) quem vos, ut a Graeis acce-

tum] Vrat. Macrobii *tum etiam*. Conf. *tamen*.

patria] Lamb. *patriam*. Nihil mutandum. V. Handii Tursell. T. III. p. 293.

maxsuma] Vulgo *maxima*.

ea] Os. Arn. Mon. Uff. Vind. 1. 2. 3. Edd. Sylb. Rom. *et ea*. Edd. quaedam vett. ap. Mos. et Orell. *quia ea*.

vita] Vind. 2 *illa*; sed in marg. corr. *vita*.

via est] Dresd. 1 *est via*. Vox *via* abest a Vind. 2.

in hunc] Praepositionem omittunt Uff. et Dresd. 1.

vixserunt] Vind. 1 *vixerint*. Vulgo *vixerunt*. MDarm. MGoth. MOs. *vixere*.

relaxatei] Ita permulti libri apud Lag. pro *laxati* [ut adhuc vulgatum]. Maivs ed. alt. Idem Vind. 1 Goth. et MGoth., firmatum Tulliani loci, quem Moserus attulit, auctoritate, de sen. 22: *quum se plane corporis vinculis relaxaverint*. Interceptae syllabae *re* caussa neminem latet. Ianus *laxati*.

illum] Uff. *eum*. Abest a MGoth.

illum incolunt] Vind. 3 et Bb. *incolunt illum*. A Dresd. 1 *incolunt* abest, sed relicto spatio vacuo. De orbe lacteo a heroibus habitato cf. Schwarz. ad Plin. Paneg. 89. Placidus Gloss. in Maii Auct. class. T. III. p. 481: *Lacteus circulus, via quae in sero videtur quasi alba: quem alii dicunt animis heroum antiquorum refertum, et merito resplendere: alii viam esse quam circuit sol, et ex splendoris ipsius transitu ita lucere*. Idem huc respicit p. 468: *Heroes, dicuntur viri aërei vel caelo digni, id est fortes vel sapientes, ab aëre id est Iunone, quam aërem dicunt esse, ubi regnum et sedes animarum est. Ut, aëris in campis latis. Et Cicero in somnio Scipionis*, ubi quae sequuntur *ego heros, huius heros*, male ita interpunguntur, ac si ex Somnio sumpta essent.

vides] Omittit, si recte in schedis notavi, Dresd. 1.

(erat autem etc.] Ita distinxi cum Ochsn. (in annot. ad h. l.) et ita est in Edd. Plant. Wolf. Goth. Lamb. Boul. Tig. Sylb., videlicet ne vel Paulus dicat *Erat autem is* etc. vel Scipio: *quem vos, ut a* etc. quod neutri conveniret; sed ut *quem vos* referatur ad *locum*; neque post parenthesin adnexum et post *quem vides* ἀσυνθέτως appositum relativum durum debet videri. Moservs. Recte: neque aliter statuit Orellius.

is] Dresd. 2 *hiis*. Vind. 1 et 3 *hic*. Abest a MDarm. et Dav.

splendidissumo candore] Vind. 2 *splendidissimus candorum*, sed in marg. ab alia m., ut vulgatur. Vulgo *splendidissimo*.

inter flammas circulus elucens] Conf. *circus inter fl. elucens*.

circulus] Ita praeeuntibus Mosero et nunc etiam Maio dedi ex Os. MOs. Uff. Vind. 3. Dresd. 1. 2 multisque Edd. pro *circus*, ut vulgatur. V. ad c. 15. Arn. *areus* (h. e. *circus*). Rom. *circum*.

circulus elucens] Ex A. P. et Macrobio Aldi fol. 12 Orellius dedit *elucens circus*, ut etiam aliae Edd. Ordinem verborum a me repositum tuentur ceteri omnes libri. Uff. et P Iani, qui *circus* scripsit, *lucens* pro *el*.

quem vos etc.] Citat Inc. apud Haupt ad Ovid. Hal. p. 91: *quem vos orbem lacteum nuncupatis*. Vrat. omittit *quem*.

pistis, orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihei contemplantei praeclara cetera et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas numquam exs hoc loco vidimus: et eae magnitudines omnium, quas esse numquam suspicatei sumus; ex quibus erat ea minuma, quae ultima a caelo, cituma terreis, luce lucebat aliena. Stellarum autem globei

Graeis] Edd. Rom. vM. Oliv. *Graecis*. Darm. MDarm. Vind. 2. 3. Os. MOs. Vrat. Macrobii *Grais*, quod suscepit Ianus. Vulgo *Graiis*. V. Excurs. VII. Bb. et MDarm. *Grayis*.

orbem] Arn. *urbem*. Earundem vocum commutationem, alibi passim obviam, Pabstius ex Vellei. II, 124 adstruit. V. ad c. 17.

nuncupatis] T. *nuncupastis*. Dresd. 1 *nuncupatur*.

omnia mihei] Vrat. Sm. Dresd. 1. T. Macrob. Os. MOs. MGoth. MDarm. (sed idem mox ordine inverso) *mihi omnia*. Haud male.

contemplantei] Arn. *contemplanda*, quam lectionem Pabstius ex mala, sed non insolita vocis seq. attractione ortam ait idoneisque exemplis firmat.

praeclara] Teste Maio Add. ed. alt. p. 385 codd. quidam Lagomars. *pleclara*.

cetera] Abest a MGoth. MDarm. et MOs., sed alio loco (I, 16) rursus additur.

autem] Conf. *enim*.

eae] Uff. Darm. Vind. 2. 3. Bb. Ed. Ven. T. Macrob. B. Iu. *hae*. Omisit vocem Vind. 1. Os. Goth. MDarm. MGoth. Conf. Arn. et Edd. Herb. Rom. et Dav. *hec*.

numquam] Uff. *neque*.

exs hoc loco] Absunt a Vind. 1 et a Cod. quodam Ursini. Vulgo ex.

vidimus] MDarmst. *videmus*.

eae] Dresd. 1. Uff. Vind. 1. 2. 3. Ed. Ven. T. Macrob. B. Iu. *hae*. Goth. et MGoth. *ha*, et sic semper. Arn. Os. Conf. Rom. Dav. *hec*.

esse numquam] Uff. *nunquam esse*. A Dresd. 1 abest *esse*. MDarm. *nusquam*.

omnium] Omittit Cod. Ursini.

erat ea] MOs. *ea erat*.

ea] Sic Macrob., etiam T. Priscianus 3, 4. p. 119. Krehl. O2x. B. Iu. A. *Illa* ceteri. Sed antiquissimis auctoritatibus erat parendum. Orellivs. Receptam lectionem tuentur codices mei omnes praeter Os.

minuma] Vulgo *minima*, ut etiam mox *ultima* et *citima*. Atque *cituma* reapse Vrat.

ultuma a caelo] *Ultima a caelo* mavult Heinrichius. Sed omittunt *a* libri quatuordecim apud Lag. Maivs ed. alt. Sic Priscian. T. a sec. m. cVi. Uff. Alii Cod. Macr. Aldi fol. 41. B. Iu. V. P. Heinr. Mos. (itidem Macrob. p. 70. Vulp.: *a caelo ultimam*). *Ultima caelo* Ceteri, etiam A. M. Ma. L. 3. 1. 2. Nobb. [Maius, Schütz.] Orellivs. Receptam lectionem, iam Gronovio Obs. IV, 11 laudatam, ex nostris libris tuentur Vind. 2. 3. Darm. Os. MOs. Vrat. Macrobii Sm. S. Bern. Conf. Arn. cum Mon. Edd. Asc. 1. Herb. aliisque Edd. ap. Mos., denique etiam Planude, qui vertit ἐσχάτη μὲν ἐξ οὐρανοῦ. Praepositionem omittunt Bb. et Goth., hic post *caelo* addens *et*.

cituma terreis, luce] Omittit Vind. 1. Vind. 2 *citimaque*. Gronovius l. l. citat *cit. a terris*, et ita Priscianus l. l. Krehlii et P. Rom. *citerrima proxima terris*. S. *proxima* pro *citima*. De luna terrae proxima v. not. ad Cornutum p. 525 sq.

terrae magnitudinem facile vincebant. Iam vero ipsa terra ita mihei parva visa est, ut me imperei nostrei, quo quasei punctum eius attingimus, paeniteret.

XVII. [IV.] 17. Quam quom magis intuerer, Quaeso, inquit Africanus, quousque humei defixa tua mens erit? Nonne adspicis, quae in templa veneris? Novem tibei orbibus vel potius globeis conexsa sunt omnia: quorum unus

luce lucebat] Arn. Os. et Uff. *lucebat luce.*

autem globei] Goth. *globi autem.*

terrae] Vind. 2 ab alia m. in marg. *terrarum*, ut etiam Arn. Uff. Os. A. M. Ma. L.

facile vincebant] Vind. 1 *vincebant facile.* Ab his verbis pergit Cod. Cr.

vero] Revocavi ex Os. Olx. Dresd. 1. 2. Vind. 3. Arn. Conf. Dav. B. lu. A. M. Ma. L. P. A vulgatis abest.

ipsa] Omittit R.

terra] Omittit Cr., neque ego desiderarem.

mihei parva] *Parva mihi* Conf. Bb. Dresd. 2. Vind. 2. 3. Cr. et Uff. Neque aliter Edd. Ven. V. Rob. Steph. Vind. 1 *ita visa parva mihi est.*

parva visa est] Mon. *visa parva est.*

punctum eius] Dresd. 2. Vind. 3. Uff. Arn. Os. Cr. Edd. M. Ma. Asc. 2. Crat. Herw. Dav. Cas. St. Ald. Ven. Sylb. *eius punctum.* Omittit *eius* Dresd. 1. Pro *eius* Conf. *terrae.*

attingimus] Vind. 2. R. *attingamus.* Conf. *attingemus.*

paeniteret] vM. *puderet*, ex mala correctione. Os. *paniteret.* De scriptura revocata *paeniteret* v. ad III, 35. Iannis *poen.* De potestate verbi v. Mos.

quom] Vulgo *cum* vel *quum.*

magis] vM. *magis ac magis.* Arn. *eis*, sed supra scr. *magis eis.*

intuerer] Goth. *intuear.*

humei] Arn. *hanc.*

defixa tua mens erit] Cr. Os. Dresd. 2 cum Edd. Ven. et Dav. *tua mens defixa erit.* Uff. *mens tua defixa erit.* Conf. (sed hic *erat*) Ed. Asc. 1. B. Vi. *defixa erit tua mens.* Vrat. Macrobii *defixa tua erit mens.* Abest *tua* a Bb. sed in marg. additur. Vulgo *defixa.* Pro *defixa.* Bb. in marg. *defixi.*

Nonne] B. V. vM. P. aliaeque Edd. vett. ap. Mos. *numne.* Apud Hier. Wolf. in varr. lect. etiam *numnam* reperitur.

adspicis] *Cernis* L. in m. 1584 e Cd. (non L. 1566). Orellivs.

quae in templa veneris] Dresd. 1 *in templa quae veneris.* Mirabili vitio Vind. 1 illorum verborum loco *contemplatis.* Ante *veneris* Uff. et R. *tu* inserunt.

Novem] Cr. Dresd. 2 cum Ed. Ven. et *novem.* De his orbibus Cic. de N. D. I, 13, 34 Moserus conferri iubet: in primis idem consulendus II, 20 et qui laudantur ab Idelero ad Aristot. Meteor. T. I. p. 640. Tullii verba usque ad *sunt omnia* citat Favonius Eulogius p. 498. ed. Orell. ubi male vulgatum *sint.*

tibei] Abest a v. M.

orbibus] Arn. *urbibus*, sed supra scr. *speris*, i. e. *sphaeris.*

conexsa] Pro *connexa* in aliis est *convexa.* Moserus. Vulgo *connexa.* De simplice *n*, quod exhibet MOs. hic et paullo infra, supra dixi. Eandem verbi scripturam nunc etiam Ianus expressit.

caelestis est extumus, quei reliquos omneis complectitur, summus ipse deus, arcens et continens ceteros: in quo sunt infixsei illei, quei volvontur, stellarum cursus sempiternei: quoi subiectei septem, quei versantur retro contrario motu atque caelum; ex quibus unum globum possidet illa, quam in terreis Saturniam nominant. „Deinde est

unus] Uff. *primus*.

caelestis est] Ita Os. MGoth. Vind. 3. Arn. Cr. Uff. Mon. Dresd. 2. Edd. Ven. et Ald. Vulgo *est caelestis*, quod servavit Ianus, invitis codd. suis F et M. Conf. verbum *est* omittit, quod fortasse praestat.

extumus] Uff. *extremus*. MGoth *estimus*. Vulgo *extimus*. Verba *extimus — summus ipse deus* omittit Goth., sed ita ut istorum loco exhibeantur ψ ds pater

quae me non satis intelligere fateor. Hoc tamen perspicere mihi videor, verba ista quandam glossae speciem prae se ferre, praesertim quum in animum induco, verba *qui reliquos omnes complectitur* plane otiosa esse propter seq. *arcens et continens ceteros*. Nolui tamen hic audacius agere.

omneis complectitur] Ed. Asc. 1. B. Iu. *complectitur omnis*. Ita et Conf. Vrat. Macrobii B. *Iu.*, sed *omnes*. Maius *omnis*, ut solet. Pro *omnes* Cr. *cunctos*. MGoth. *amplectitur*, omisso *omnes*.

ipse deus] Dresd. 1 *et ipse deus*, haud male. Dresd. 2. Cr. Edd. Ven. Dav. *ipse est deus*. MOs. *dominus* pro *deus*, quas voces etiam alibi confusas notavimus.

ceteros] Unus Dresd. 2 cum Dav. *cunctos*, vulgatae longe praeferendum; nam *ceteros* vehementer languet propter praecedentia *reliquos omnes*. Vrat. *ceteros continens*.

sunt infixsei] Hoc ut reponeretur pro vulg. *infixi sunt*, flagitavit auctoritas librorum, Darm. Os. Goth. R. (in his duobus *fixi*) Arn. Conf. Vrat. S. Sm. Bb. Dresd. 1. 2. Vind. 1. 2. 3. Cr. Uff. T. B. Iu. V. Vi. Asc. 1. Ven. Dav. Rom. Rob. Steph. In aliis *sunt* omitti, refert Orellius. Vulgo *infixi*.

volvontur] Vulgo *volvuntur*.

stellarum] Non est in membranis, teste Barthio apud Ianum.

cursus sempiternei] Rom. *semp. cursus*.

quoi] Vind. 2 *cum*, sed in marg. alia m. *cui*, ut vulgatur. MOs. MGoth. et MDarm. Sm. *huic*.

subiectei septem] Uff. *septem subiecti sunt*. Quod vulgo interponitur *sunt*, delevi cum Darm. Os. Arn. Conf. Vrat. Macrobii S. Sm. MOs. MDarm. MGoth. Dresd. 2. Cr. Edd. Dav. Asc. 1. Herb. et Ven. Goth. *subiecti sunt illi VII*. R. *subiecti septem sunt*. Retinuit *sunt* Ianus, invitis codd. suis tantum non omnibus.

retro] Abest ab Uff. et MGoth. P Iani *raro*.

contrario] Cod. Ursini *contra*. Rom. *et contrario*.

motu] Uff. *modo*.

atque] Arn. *versus*. MDarm. *adque*.

ex] Ex T. Macrob. R. B. Iu. V. Orellius *e* dedit, quod exstat etiam in Darm. Dresd. 1. Vind. 1. Goth. MOs. MGoth. R. Vrat. Rom.

globum possidet] Uff. Vind. 1 *possidet globum*.

illa] Rom. *stella illa*.

illa, quam in terreis Saturniam] Uff. *ille, quem Saturnum*. Vrat.

hominum generei prosperus et salutaris" ille fulgor, quei dicitur Iovis: tum rutilus horribilisque terreis, quem Martium dicitis: deinde subter mediam fere regionem Sol optinet, duxs et princeps et moderator luminum reliquorum,

quem etc. omisso *illa*. Dresd. 2 et vM. certe *Saturnum*. Vind. 1 *Saturnia*. Arn. *Saturniam*. MGoth. *illa quae in terr. Saturnia*.

nominant] Uff. Cr. Mon. Os. R. Arn. cum Edd. Rom. Dav. *vocant*. Ita Vind. 2 quoque, sed in marg. ab alia m. *nominant*. De Saturni orbe Aristides Quintil. de mus. p. 148: *τελευταῖος δὲ ὁ τοῦ Κρόνου, σκληρός τε τὸν καὶ αὐχμηρὸς καὶ ἐπίπονος, τὸν ἄῤῥενα [οὐκ ἂν ἀπεικότως ἡχοίη]*.

Deinde — salutaris] Citat Priscianus VI. p. 693.

Deinde est] Omittit MGoth.

est] Omittit Ed. Asc. 1.

generei] Vind. 1 *generis*.

prosperus] In Uff. et Edd. Ven. Asc. 2. Crat. Car. St. Ald. Boul. Sturm. est *prosper*. Sed in marg. Ed. Plant. annotatum est: „*prosperus* legendum ex antiquo libro et Prisciano, non *prosper*, ut antea." Videlicet Prisc. VII, 7. p. 242. ed. Krehl. Mosbrvs. *Prosperus* exhibent Dresd. 1. 2. Darm. Macrob. R. Os. MOs. *Prosper* MGoth. *Prosperis* MDarm.

salutaris] De Iovis orbe Aristides l. l.: *Ὁ δὲ τοῦ Διὸς ἡδύς τε ἐν ἅπασιν ἐνεργήμασιν ὤν, καὶ πάντα ὀλίγου δεῖν τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἐφάμιλλος· καὶ κατὰ ἄνεσιν πρὸς τοὺς παρ' ἑκάτερα θεωρούμενος, καὶ τοῦ μὲν Ἄρεως τὸ θερμὸν ἐλαττῶν, τοῦ δὲ Κρόνου τὸ ψυχρὸν παραμυθούμενος, εὔκρατόν τε ἐξ ἀμφοῖν ἔχων μίξιν. καὶ κατὰ ταὐτὰ τῷ τῆς Ἀφροδίτης, ἐν μὲν ἡμερίοις πνεύμασι γόνιμος ὤν, ἐν δὲ σωμάτων συναφαῖς τεκνοσπόρος τε καὶ γαμήλιος, οὐκ ἂν ἀπεικότως ἡχοίη τὸν θηλίτερον*. Alia plura eius generis de vi salutari huius stellae confert Letronnius Explication d'une inscription Grecque en vers p. 7.

fulgor] Arn. *vulgor*.

tum] Vind. 1 *tertium*, et mox *terrens* pro *terris*. Conf. et Vrat. Macrobii *tunc*. *Terris* abest ab Ed. Hahn. a. 1469, teste Heinr. in App.

horribilisque] MGoth. *orbibusque*.

Martium] Ita Codd. nostri et vetus liber apud Lamb. itemque Edd. Ven. Grut. Verb. et recc. Veteres Edd. *Martem*. Primus post eas Guilielmus ex suis Codd. edidit *Martium*, quod reperit etiam in Codd. Palatinis Gruterus. Mosbrvs. *Martem* O6x. Edd. fere omnes ante Grut. (etiam V. Ma. L. Oliv. Ochsn.) Orellivs. *Martium* ex meis Dresd. 1. 2. Darm. cum S. Sm. Bb. et Bern. Item Vind. 2, sed in marg. alia m. *Martem*. Os. et Arn. *Marcium*, sed hic inter lineas ab al. m. *Martem*. Vrat. *Martem*, sed improbante libri correctore. De huius stellae vi et natura v. Aristidem l. l. et, quam quaeque eius in coelo constellatio potestatem in bellorum eventum resque mortales habeat, fuse exponentem Iulianum Laodicensem de bello in Maii Coll. Vat. T. II. p. 675 seq.

deinde] Omittit Lamb.

subter etc.] Uff. *subtus* (ut etiam R.) *terrae mediam regionem*, omisso *fere*. Cod. Turicensis apud Orell. *deinde de septem mediam*. Pro *subter* MDarm. *septem*.

optinet] Ita Vind. 1 et Os. et reposuit Ianus.

duxs] Vulgo *dux*.

et princeps] Absunt a Vind. 1.

moderator] R. *modulator*.

luminum reliquorum] Uff. *rel. lum*. Hermeti Trismegisto in Lydo

mens mundei et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et compleat. Hunc ut comites consequun-

Roetheri p. 315 sol dicitur *βασιλεὺς τῶν ἄστρων*. Adde Hermippum Dialog. de astrologia p. 24 ed. Bloch.

mens mundei et temperatio] Soli principatus mundi tribuitur a Stoicis aliisque: de quo dogmate v. Villoisonum De theologia physica Stoicor. p. 433 sq. Firmicus Maternus, fortasse hoc ipso loco Tulliano usus, haec scripsit de sole Mathes. I, 3. p. 5: *Mens enim illa divina animusque coelestis per omne mundi corpus in modum circuli collocatus, et nunc intrinsecus, nunc extrinsecus positus, cuncta regit atque componit, et propria originis generatione conceptus se ad procreanda et conservanda omnia, ignita ac sempiterna agitatione perpetuat, nec hoc officium aliqua fatigatione deponit, ut seipsum atque mundum omniaque quae intra mundum sunt, perpetua sui atque infatigabili mobilitate sustentet. Ex hoc animo hi sempiterni stellarum ignes, qui globosae rotunditatis specie formati, circulos suos orbesque celeri festinatione perficiunt, maiestate divinae illius mentis animati, partem animi ad terrena corpora transferunt, et spiritum ex illis perpetuis animi fomitibus mutuantur* etc. In Hermippi Dial. l. l. sol dicitur *ὁ ταμίας καὶ φρουρὸς τῆς ψυχῆς*. Ad demonstrandum illum solis principatum, cui reliquae stellae subiectae essent, non solum philosophorum de sententia, sed secundum antiquiorum religionum rationem, afferri potest signum illud, *κωπὼ* (?) appellatum, quod in Apollinis daphnephori sacris circumferre Thebis moris fuit, quodque in rudimentis globi caelestis arte fabricati ponendum videtur; de quo Proclus Chrest. p. 386: Gaisf. (et qui hinc profecit Scholiast. Clementis Alex. T. IV. p. 94 ed. Klotz. ex illo hic illic corrigendus) *ξύλον ἐλαίας καταστέφουσι δάφναις καὶ ποικίλοις ἄνθεσι· καὶ ἐπ' ἄκρου μὲν χαλκῇ ἁρμόζεται σφαῖρα, ἐκ δὲ ταύτης μικρὰς ἐξαρτῶσι· κατὰ δὲ τὸ μέσον τοῦ ξύλου περιθέντες ἐλάσσονα τῆς ἐπ' ἄκρου σφαίρας, καθάπτουσι πορφυρᾶ στέμματα· τὰ δὲ τελευταῖα τοῦ ξύλου περιστέλλουσι κροκωτῷ. Βούλεται δ' αὐτοῖς ἡ μὲν ἀνωτάτω σφαῖρα τὸν ἥλιον, ᾧ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἀναφέρουσιν· ἡ δὲ ὑποκειμένη τὴν σελήνην· τὰ δὲ προσηρτημένα τῶν σφαιρῶν ἄστρα τε καὶ ἀστέρας· τὰ δέ γε στέμματα τὸν ἐνιαύσιον δρόμον· καὶ γὰρ καὶ τξέ ποιοῦσιν αὐτά* etc. Cf. Creuzeri Symb. T. II. p. 160.

temperatio] Ex Lamb. coni. P. *temperator*. O1x. *temperatior*. Arn. *temperancia*.

tanta] MGoth. *tantaque*.

sua luce] Vind. 1 *luce sua*.

lustret] Sic T. (O4x.) R. B. Iu. A. V. M. Ma. L. Credo hoc defendi posse ex similibus Lucretii (5, 575) et Virgilii locis, Aen. 4, 607. 7, 148., et poetica in hoc scripto haud raro consectatur Tullius. Col. *lustret* de L. susp. Heinr. Moser. [Zell.] et sane sic alibi noster. Sed sonus ingratus est *cuncta — collustret — compleat — comites — consequuntur*. *Illustret* Cdd. aliquot, P. 3. 1. 2. Nobb. [Maius.] Orellius. Codd. nostri et Edd. veteres cum Bern. habent *lustret*, reliquae inde a Gruteriana *illustret*, quod etiam Lamb. in Cod. vet. reperit. Moserus. In sono quidem malo concurrentium syllabarum *eo* ego non offendo. Sed *lustret* reponendum tum ob auctoritatem codicum meorum, quorum unus Vind. 3 *illustret*, dum ceteri omnes *lustret* habent, tum quod *lustret* per se spectatum bonum est atque haud minus quam *lumine collustrare*, quod ex Cicerone Moserus contulit, scriptoris nostri de consuetudine dictum est, atque sine ulle quidem coloris poetici indicio. De nat. deor. II, 20 de Mercurii stella: *quae anno fere vertente signiferum lustrat orbem*. Quod *luce* hic additur, id nihil mutat rem. Ut denique

tur Veneris alter, alter Mercurei cursus: in infumoque orbe Luna, radieis solis accensa, convertitur. Infra autem iam nihil est nisei mortale et caducum, praeter animos munere deorum hominum generei datos; supra Lunam sunt aeterna omnia. Nam ea quae est media et nona, tellus, neque movetur et infuma est, et in eam feruntur omnia nutu suo pondera.

Cicero *luce lustret* scriberet, eadem caussa adductus putari potest, qua v. c. Plautus Curc. I, 3, 26 composuit *luce lucebit*, videlicet alliterationis elegantia invitatus, cuius usus etsi apud Ciceronem eiusque classis scriptores rarior est atque esse debet, tamen non sine exemplo est. In Vrat. et Asc. 1 est *compleat et lustret*.

Hunc ut comites consequuntur etc.] Confl. *nunc autem ut sequuntur comites*. Os. *et* pro *ut*. Caussam ethicam huius comitatus more suo allegorico pluribus persequitur Hermippus l. l. Vitruvius IX, 1: *Mercurii autem et Veneris stellae, circum solis radios, uti centrum, itineribus eum coronantes regressus retrorsus et retardationes faciunt, etiam stationibus propter eam circinationem morantur in spatiis signorum*. Plura de harum stellarum cursu Schaubachius in Iahn. Jahrb. Suppl. X, 3. p. 358.

consequuntur] Vind. 3. MGoth. O4x. Vi. *sequuntur*. Omittunt vocem Darm., hic una cum *Veneris*, et MDarm. Ianus *consecuntur*. Vulgo *consequuntur*. V. Excurs. V.

Veneris alter, alter Mercurei] Ita scripsi, chiasmum reducens, ex Cod. Cr. Edd. Asc. 1. Ven. Rob. Steph. Plant. Wolf. Ern. Sch., quod malebat etiam Ochsn. et est apud Macrob. I, 17. Moservs. Sic T. Macrob. Iu. A. V. L. 1. 2. Mos. *Alter Ven.* B. M. A. 3. Nobb. [cum *Maio*]. Orellivs. Chiasmum exhibent Dresd. 1. 2. Vind. 1. 2. Goth. Vulgo *alter Veneris, alter Mercurii*.

in] Omisit suadente Ochsnero Orellius cum T. Macrob. P. Omittunt etiam Bb. MOs. Bern. et Rom.

infumoque] Vind. 1. 2. 3. Vrat. *infimo quoque*. Uff. *infimo*, sine copula. Goth. *infinitoque*. Vulgo *infimoque*, ut mox *infima*.

radieis solis] MGoth. *solis radiis*.

Infra] Rom. *in terra*.

iam] Dresd. 1. MDarm. O1x. Sm. Vi. *eam*: de qua vocum confusione v. intpp. ad Vellei. I, 8, ubi malim *iam*, cuius loco nunc *eam* vulgatur, ortum putare ex ultima syllaba praecedentis *quamquam*. MOs. *ea*. Vulgatam defendit Gernhard. Prol. II. p. 10. Vocem omittit Uff. In Vind. 2. est *iam autem*. Goth. *autem nihil iam*. Post *nihil* Arn. addit *Va*, quod quid sit fateor me cum Pabstio ignorare, nisi forte librarius *vacuum* scripturus erat.

munere deorum hominum generei] Sic T. Alii Codd. B. Iu. A. Vi. = *gen. hominum mun. deor.* Ceteri. Orellivs. Receptam lectionem praestant praeter Codd. meos omnes et Gernhardinos Cr. Uff. Mon. cum Edd. Asc. 1. Herb. et Ven. R. *munere deorum generi hominum*.

sunt aeterna omnia] Os. MGoth. Cr. Vind. 3. Arn. Edd. M. Ma. Ven. Asc. 2. Dav. aliaeque ap. Mos. *sunt omnia aeterna*. Uff. *omnia sunt aeterna*.

Nam] Dresd. 2 *non*.

ea] MDarm. *eam*.

nona] Dresd. 1 et Vind. 1 *nova*.

est media] Uff. *media est*.

eam] Dresd. 2 *ea*. De sen. 15, 52: *vitis . . . nisi fulta sit, ad*

XVIII. (V.) 18. Quae quom intuerer stupens, ut me recepei, Quis hic, inquam, quis est, quei complet aureis meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, quei intervalleis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata

terram fertur. Off. I, 30: *beluae nihil sentiunt nisi voluptatem ad eamque feruntur omni impetu.* Pro *feruntur* MOs. *referuntur.*

nutu suo] Ita dedi ex Cod. Mon. et Edd. Ven. Asc. 1. 2 (in marg.) Rob. Steph. et Sylb. Eundem verborum ordinem servant, sed male *motu* pro *nutu* exhibent Edd. Sturm. et Bern. In Edd. Asc. 2 (in contextu) Crat. Herw. Ald. Lugd. Boul. et Tig. (duae posteriores in marg. habent *nutu*) est *suo motu*; in reliquis *suo nutu*. MOSERVS. Sic T. Macrob. B. Iu. A. V. Mos. ORELLIVS. Susceptum verborum ordinem tuentur Vind. 1. 3. Darm. Dresd. 1. Goth. Arn. cum libris Kleinianis scriptis et *editis*. Unus Os. *nutu suo omnia ponderat*. Hunc locum respicit Favonius Eulogius p. 407 ed. Orell. *Nam terra, ut ait Tullius, nona, immota semper sede manet; et ab illorum motibus segregata obstipo pondere defixa subsedit.*

Quae] Dresd. 1 *quam*.

quom] Vulgo *cum* vel *quum*.

intuerer] Dresd. 2 *intuere*.

Quis hic] Reduxi cum Heinr. veterem librorum lectionem, a Grutero inde oblitteratam, qui ex quinque libris suis et aliquot Manutianis *Quid? hic* etc. edidit, quemque secuti sunt recc. [item Ianus]. Solus Cod. Mon. habet *quid*, et ex nostris Edd. vett. Asc. 1 et Veneta. Vocem *hic* omittunt Cod. Cr. et Asc. 1, eandem ante *est* repositam habet Cod. MS. ad marg. Ed. Verb. Cod. Uff. omittit *est qui*. MOSERVS. Sic Macrob. Aldi. Olx. [Bb. Bern. MGoth.] A. V. M. Ma. L. Vi. Heinr. Mos. *Quid? hic* Cdd. aliq. Cd. Turic. Macrobii, utrobique (B. Iu.) *P.* 3. 1. 2. V. ORELLIVS. In Gruteriana quidem lectione persistunt Codd. mei omnes cum S. et Sm.; sed non potest ferri ob insolitam verbi *inquam* sedem, quod ad emphasin praecedentium hic non, ut alibi, apponitur, sed eodem modo quo c. 24. Verba *hic inquam quis — dulcis* absunt a Goth. *Quid* om. Vrat. A MOs. abest *hic*.

quis est quei complet — sonus] His verbis incipit libellus de planetarum et siderum musica inscriptus, in Cod. Neapolitano, teste Iannellio Catal. Bibl. Lat. MSS. Mus. Borb. p. 258. Vix dubium relinquitur, quin excerptum ex Somnio Scip. eo contineatur, quod fugit Iannellium. Ceterum totum hunc locum, quo de caelestium orbium sonitu agitur, suo more fuse explanat Favonius Eulogius p. 409, illa ipsa verba Tulliana citans, sed breviata, p. 411.

complet] Favonius Eulogius *implet*.

sonus] Rom. *sonitus*.

inquit ille, quei] Mos. distinxit *inquit, ille, qui*, ut *ille* ad sonum referatur. MDarm. *inquid*.

intervalleis coniunctus] Omittit Dresd. 1, sed relicto spatio vacuo.

coniunctus] *Coniunctis* A. etiam in Macrobii contextu. *Disiunctus* T. p. 101. Vulp. cum Macrobii Edd. plerisque et Favonio Eulogio. *Distinctus* Tp. p. 109. Vulp. ORELLIVS. *Coniunctis* etiam Asc. 1. Goth. *disconiunctus* male conflatum, ut videtur, ex utraque lectione *coniunctus* et *disiunctus*. Sm. MOs. MDarm. et MGoth. cum Favonio Eulogio l. l. et iterum p. 412 *disiunctus*. De sententia v. Gernhard. Prol. II. p. 10 sq.

coniunctus imparibus] Conf. et Vrat. Macrobii *imparibus coni*.

pro rata parte ratione] Ita dedimus cum Heinr. ex Macrobio, Codd.

parte ratione distincteis, impulsu et motu ipsorum orbium efficitur, et acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit: nec enim silentio tantei motus incitarei possunt, et natura fert, ut extrema exs altera parte graviter, exs altera autem acute sonent. Quam ob caussam

Cr. Uff. (nisi quod in hoc est *rara*) Mon. (nisi quod hic habet *partium*) Edd. Ven. Asc. 1. Bip. Ern. Sch. Sed Sturm. et Goez. ut Cod. Mon. *pro rata partium ratione*: in reliquis est *pro rata portione dist.* Ad nostram monet Ern.: „Hoc sine dubio vitiosum est. in corrigendo non consentiunt viri docti. mihi videtur excidisse *et. Pro rata parte* idem est ac pro portione, ut Tusc. I, 39. sed idem est *ratione rata.* itaque legendum: *pro rata parte et ratione.*“ Lehnero quoque ea lectio, quam nos recepimus, vitiosa visa est. Utrique respondeat Gronovius: Quid, quaeso, inquit, in his verbis potest agnosci corruptum? Mihi quidem haec lectio contigit in omnibus Codicibus; non modo in hoc somnio, sed etiam in Macrobio (in Somn. Scip. II, 1) videre. An non egregie dicit, esse quidem haec intervalla imparia, sed non indigeste et incondite sic variata, verum distincta pro *rata parte*, neque id quoque sic obvenisse temere, sed *ratione*, certe illas ratas partes separatas tam accurate, ut ratio et res exigeret? — C. Langius in Cod. vet. reperit *pro partium ratione distincti*, idque probat. Moserus. Receptam lectionem Codd. aliquot, Eulogius Favonius, B. Iu. Lall. 1. 2, ut refert Orellius, Goth. Arn. Os. Darm. libri Gernhard. et Klein., praeter Rom., quae *pro rata partium ratione* habet, uti etiam MGoth. Dresd. 1 cum MOs., in quo tamen *parte* supra scr. Noster ipse II, 40 *pro rata parte* dixit. At Vind. 1 *pro rata portione eius ratione.* Vind. 2. 3 (sed in marg. alia m. *portione* adscripsit). Dresd. 2 *pro tanta parte ratione.* T. *pro rata parte rationis.* Ex Macrobio Orell. affert *pro rata ratione*, atque hoc volebat Bouherius. Quam nunc lectionem suscepimus, eam post alios nunc etiam Maius probavit.

distincteis] Vind. 1 *distinctus* (sic, ut etiam alibi). R. et Conf. *distinctus.* MGoth. *disiunctis.* Favonius Eulogius p. 412 *dispositis*, et tum *impulsu eorum orbium efficitur.*

efficitur] Dedi quod est in libris tantum non omnibus, Os. Darm. Goth. Vind. 1. 2. 3. S. Sm. Bern. Dresd. 1. 2. Cr. Mon. Arn. T. Kleinianis multisque Edd. vett. apud Mos. et Orell. denique in Fav. Eulogio. Et Maius nunc adnotavit: „Plurimi libri apud Lag. *efficitur.*“ Vulgo *conficitur.* Quod mox *efficit* legitur, in eo non offendendum puto, neque Gernhardius Prol. II. p. 11, qui pariter *efficitur* vulgatae praefert, in ea repetitione offensionis quidquam esse existimat.

et acuta] Sic Codd. plerique, T. Macrob. B. Iu. L. P. [libri Kleiniani aliaeque Edd. vett. ap. Mos.]. *Qui acuta* M. Ma. Vi. 3. 1. 2. Mos. Nobb. [Dresd. 1 et 2. Heinr. Sch. Zell.] Orellius.

acuta] Os. *accuta.*

varios] Omittunt Edd. Asc. 2. Crat. Rob. Steph.

varios aequabiliter concentus] Rom. *var. eo c. aequab.*

concentus efficit] Vind. 3 *efficit concentus.*

nec] Vind. 3 *neque.*

silentio tantei motus] Conf. *tanti motus silentio.*

possunt] MGoth. *possint.*

fert] Vind. 1 *fere.*

exs] Vulgo *ex*, ut mox.

graviter] Asc. 1 *gravetur.* Addit *et* Rom.

summus ille caelei stellifer cursus, quoius conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono: gravissumo autem hic lunaris atque infumus, nam terra, nona, immobilis manens, una sede semper haeret, complexa medium mundei locum. Illei autem octo cursus, ia quibus eadem veis est duorum, septem efficiunt distinctos intervalleis so-

autem] Uff. addit *parte*. Omittitur *autem* a MDarm.

acute] Omittit Dresd. 1, sed cum lacunae vestigio. MOs. *acutae*.

sonent] Asc. 1 *sonetur*. Vind. 1 *sonat*: ita etiam Darm., sed adiectum *n*, ut fieret *sonant*.

caussam] Ita cum Nobb. scripsi: vulgo *causam*. Uff. et Dresd. 1 *rem*.

summus ille] Dresd. 2. Os. Uff. Cr. Arn. Bern. et Edd. Dav. Ven. *ille summus*. Abest *ille* a MGoth.

caelei] Transponitur a Vind. 2 et Rom. post *cursus*, a ceteris libris Klein. post *stellifer*. Abest ab Arn.

stellifer] Plurimi et vett. et recc. libri habent *stelliferi*. Sed *stellifer* tuentur Codd. Cr. Uff. Mon. Edd. Ven. Asc. 1. Grut. Verb. Ern. Sch. Lehn. Maius. Patav. Heinr. Moservs. Sic O2x. T. Macrob. B. Iu. A. P. 3. 1. 2 Codd. mei omnes. Reliquorum codicum, quorum accuratam notitiam habemus, unus O5x. *stelliferi*; idem Vind. 2 in marg. ab alia m. Eandem praeterea lectionem ex Lag. affert Maius ed. alt. eandemque praeferebat Bouherius: cum qua Orellius Cic. Anal. T. IV, 1. p. 575 conferendum ait Cortium ad Lucan. III, 254: *signiferi regione poli*. Diversae rationis sunt quae apud Macrob. in Somn. II, 1 init. leguntur: *usque ad stelliferae sphaerae cursum*. MGoth. *stellifer caeli*.

cursus] Addit Vind. 3 *est*, sed omissa eadem voce mox post *conversio*.

conversio] Bern. *conclusio*, sed corr. *conversio*.

concitatior] V. et Rob. Steph. *incitatior*. Dresd. 1. Asc. 1 et *Vi. concitatior est*.

acuto et] Darm. Vrat. Macrobii et Goth. *et acute*. Sm. T. et Conf. *acute*. Os. *aculo*. S. et MDarm. *acute et*. MOs. *acuto et*. Iani, qui *acute excitato* scripsit, libri vel *acuta et*, vel *acuto et*.

gravissumo] Praemittit Arn. *cum*. Vulgo *gravissimo* et mox *infimus*.

hic] Abest a Cr. et Edd. Ven. Dav.

lunaris] Dresd. 2 *lunari*. Macr. II, 4 *lunarius*, sed idem c. 1. *lunaris*.

nona] Dresd. 1 *nova*, ut supra. Abest a Conf.

una] Revocavi pro *ima*, quod vulgatur, ex MDarm. Darm. Arn. Vind. 1. 3. Os. MOs. Dresd. 1. R. Conf. Rom. et eam quidem ob caussam, quod vis verbi *haeret* statui terrae immobili, de quo solo sermo fit, melius convenit, quam sedium ordini. Utramque vocem item confusam in MSS. notat Pabstius in Hor. A. P. 32. Adde Drak. ad Sil. XV, 590. Mox vulgo *complexa*.

medium mundei locum] T. *mundi med. loc.* Libri Klein. *medium locum mundi*. Post *locum* addit MDarm. *est*.

locum] Locum hunc e sexto de rep. citat Boethius de musica I, 27. Maivs.

octo cursus] Uff. *cursus octo*.

eadem veis est] Rom. *est eadem vis*.

duorum] Dresd. 1 *eorum*. Dresd. 2. Darm. Cr. Codd. nonnulli, teste Maio ed. alt., apud Lagom. R. Vrat. (hi vero Rehdig. invitis correctoribus) Edd. Dav. Ven. Asc. 1 aliaeque *modorum*, unde cum aliqua probabilitatis specie Lamb. *duorum modorum* effecit, quod revera exhi-

nos: quei numerus rerum omnium fere nodus est; quod

bet Os. Sturmius *modorum*, sed simul *duplex* pro *eadem* scribens, in quo consentientem habet Planudem, qui διττὴ scribit. Tig. *deorum*. Sed nihil horum verum. Sensus manifestus hic est, duobus verbis explanandus: Octo cursus quum dicit Cicero, eximit terram, quippe immobilem; iam octo illos cursus septem efficere sonos, demonstraturus, subiicit id eo fieri, quod duo eorum unam eandemque vim habeant, quo efficiatur, ut ex octo cursibus iam non octo, sed septem tantummodo prodeant soni. *Duorum* abest a Vind. 1, mera, ut puto, librarii negligentia; nam habet idem paullo ante ex mala quidem correctione, sed recte ad sensum loci *in quibus una vis eadem est*. Ac quamquam apud Macrobium II, 1 item *modorum* in vulgatis exhibeatur, tamen vitio istam scripturam laborare Macrobiumque *duorum*, quod reapse exhibent MOs. MGoth. et MDarm., legisse, alius eiusdem interpretis locus II, 4 luculenter docet, ubi non modo *duorum* vulgatur, sed ita revera auctorem scripsisse, testantur ea quae explicationis gratia idem Ciceronis verbis praenotavit: *Octo sunt igitur quae moventur: sed septem soni sunt: qui concinentiam de volubilitate conficiunt; propterea quia Mercurialis et Venerius orbis pari ambitu comitati solem viae eius tanquam satellites obsequuntur, et ideo a nonnullis astronomiae studentibus eandem vim sortiri existimantur. Unde ait: „illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum“* etc. Quae Macrobii verba etiam reliquo contextui Tulliano restituendo, ut puto, proderunt. Etenim Heinrichio auctore (praeiverat Ern.) cum Sch. Moserus post *duorum* sequi iussit *Mercurii et Veneris*, quae, vulgo quidem omissa, ait se recipere ex Codd. Gruteri et Edd. Asc. 2. Crat. Herw. Car. Steph. Ald. (in his duabus tamen posterioribus ait adnotari, illas voces in aliquot Codd. omitti) aliisque, quas propter infirmam earum auctoritatem exscribere haud opus videtur. His vero primum opponendum, quod Moserus narrat Gruterum non in uno, sed in pluribus codd. istud additamentum reperisse, id an recte habeat valde dubium esse, quandoquidem Gruterus, cuius notam Verburgius refert, adnotat eam lectionem se debere uni Palatino libro, eam contra abesse a ceteris suis omnibusque Gulielmianis. Deinde abest etiam a meis omnibus codicibus, et quod magni est momenti, pariter a Macrobio l. l., insuper etiam a plurimis Edd. vett. ab Orellio inspectis, ita ut ista verba sane speciem glossae prae se ferre videantur. Neque iam collata Macrobii interpretatione loci Tulliani dubium relinquitur ullum, quin ea verba ex Macrobio adscita, in marginem Tulliani contextus relata, et hac via postmodum in ipsam verborum seriem illata sint. Atque non uno illo loco Macrobius duorum illorum siderum nomina commemorat, sed etiam c. 11 et I, 19. Quae quidem de hac glossa sententia non mea, neque nova est, sed Gronovii, qui, quod Moserum plane fugisse videtur, rem pluribus persecutus est ad Macr. II, 1, deinde suspicionem suam mirifice eo confirmavit ad Somnii locum in ed. Verburg., quod ex Codice Lincolniensis collegii hoc adscriptum (Ciceronisne loco an Macrobio, ignoro) scholion affert: „Mercurii et Veneris, vel primi et octavi, s. aplanes et lunae, quarum acutus dicitur alter sonus, ut aplanes, alter gravis, ut lunae, quia inferior est, et idem tamen sonans cum acuto in diapason.“

septem efficiunt] R. *effic. septem.*

distinctos] MOs. et MGoth. *distinctis*. Ex Tullio Favonius Eulogius p. 413 recitat *septem efficiunt distinctos intervallis sonos.*

rerum omnium fere] Goth. Vind. 1. MOs. *fere omnium rerum*. In Vind. 3. Dresd. 2. Cr. et Ed. Ven. certe transponitur *omnium rerum*. MGoth. Rom. *fere rer. omnium*. Dav. *omnium rer. fere*. Uff. *omnium*

doctei homines nerveis imitatei atque cantibus, aperuerunt sibei reditum in hunc locum, sicut aliei, quei praestantibus ingenieis in vita humana divina studia coluerunt. 19. Hoc sonitu oppletae aures hominum opsurdauerunt: nec est ullus hebetior sensus in vobeis; sicut ubei Nilus ad illa, quae

fere rerum, quod, si plures Codd. addicerent, equidem praetulissem. Ep. ad fam. VI, 10: *Omnes fere familiarissimi Caesaris me coluni.* Brut. 43, 159: *versatus est in omni fere genere caussarum.* De positione vocis *fere* breviter, sed recte iudicavit Gernhard. ad Lael. I, 5.

nodus] O3x. Uff., qui sequens *est* voci *numerus* subiicit, Arn., in quo *est* post *fere* ponitur, et Edd. quaedam *modus*, quod Maius ed. alt. ex Lagom. quoque affert. MDarm. *nodis*, sed alio Macrobii loco *nodus*. MOs. continua scriptura *modus vel nodus*. De potestate v. *nodus* Macrobius, quem confert apte Moserus, consulendus est ad Somn. I, 6, ubi etiam de septenarii numeri dignitate sermo fit, post alios pluribus exposita a Maio ad Philonem in Auct. class. T. IV. p. 408: quibus adde quae de eius vi in siderum natura et constellatione disserit Hermippus l. l. p. 26. Numerus septenarius laudatur a Pythagoreis ut optimus et naturalissimus et sufficientissimus, ut verbis utar Chalcidii in Timaeum fol. XIX ed. Ascens., qui in eius potestate enarranda multus est et pluribus persecutus est ea, quae concisius iam posuerat Aristides Quintil. de mus. p. 122.

nerveis imitatei] Uff. *imitati nervis*. Pro *nervis* Arn. *veris*, post *imitati* addens *sunt*. Totum hunc locum libere Favonius Eulogius p. 411 ita recitat: „modulatio, *quam*, ut ait Cicero, *imitati docti et sapientes aperuerunt sibi reditum in caelum.*"

aperuerunt] Vulgo *aperuere*: v. Excurs. XX. Illud Favonius quoque l. l.

in] Nonnullae Edd. vett. ap. Orell. et Mos. *ad*. *In* saepius de locis dici advertit Garatonius ad Or. pro Mil. 19. p. 230 ed. Orell., quo loco earundem particularum commutatio exstat, passim reperta, veluti Horat. Epp. II, 1, 48. 2, 47.

hunc] Omittit Herb.

locum] Virgilius igitur in beatorum sedibus collocavit apprime Orpheum lyra canentem: *nec non threicius longa cum veste sacerdos — obloquitur numeris septem discrimina vocum.* Et mox in eisdem sedibus post poetas collocat *inventas aut qui vitam excoluere per artes*; ita ut Tullii hunc locum imitari videatur. Revera Virgilium quandoque ad politicum hoc opus respexisse, alibi in scholiis adnotavimus. Maivs ed. alt.

divina studia] De his Moserus ad h. l. et Symb. cr. in Cic. Part. III. p. 8 disputavit.

studia coluerunt] Goth. *col. stud.* Arn. *stud. colluerunt.*

Hoc sonitu] Uff. *Sed hoc s.*

oppletae] Dresd. 1. Os. Vind. 1. 3. Bern. Cr. Uff. Conf. O3x. Dav. aliaeque Edd. vett. ap. Orell. et Mos. *completae*. Darm. *obpletae*. Plaut. Rud. IV, 1, 14: *iam meas opplebit aures sua nauiloquentia*. Arn. *corpletae*. Rom. *oppressae*.

hominum] Omittunt M. Ma. L. Orellivs. Vox *hominum* abest a multis Edd. vett., quare Patricius, qui eam nusquam repererat, volebat *aures vestrae*. Mosevs.

opsurdauerunt] Dresd. 2 *obsorduere*. Arn. *absorduerunt*. Herb. et Dav. *obsurduere*. Vulgo *obsurduerunt*.

hebetior] Arn. *ebetior*.

Catadupa nominantur, praecipitat exs altissumeis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendei caret. Hic vero tantus est totius mundei incitatissuma conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intuerei solem adversum nequitis, einsque radieis acies vestra sensusque vincitur. Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem.

sensus] Bern. *sonus.*

vobeis] Pro *vobis* ait Verb. legi in Edd. vett. *nobis.* Quasnam vero ille intelligat, scire pervelim. Ex nostris quidem nulla habet *nobis.* Moserus. Arn. reapse *nobis.* In Vind. 2 ab alia m. margini adscriptum: „ergo supra quoque *vobis.*"

sicut ubei etc.] Codd. Cr. et Uff. [cum Dresd. 1 et Edd. Herb. Rom. Dav.] *sicut ubi Nilus ad illa loca.* Edd. Asc. 2. Crat. Herw. Car. Steph. (qui vero ex cod. vet. nostram quoque lectionem enotavit) Ald. Boul. Tig. [M. Vi., qui notat: „non habent hoc Codd."] *sicut in illis ubi Nilus.* Ed. Ven. *sicut ubi ilus ad illa quae.* Moserus. Vind. 3 *ubi sicut* etc. Pro *illa* Conf. *ea.* Ceterum R. *Nillus.* Rom. *Nullus.*

Catadupa] Darm. R. Vind. 1. Ed. Ven. *Cataduppa.* Vind. 3 *Cataduppla.* Bern. et Uff. *Catadupla.* Arn. *Cattadupta.*

nominantur] Uff. *dicuntur.* Vind. 3 *vocantur.*

praecipitat] Dresd. 1. Vind. 3. Os. R. Olx. Conf. *praecipitatur.* Uff. Olx. [sic est apud Orell.] *praecipitat se.* Utrumque ex correctione. Vind. 2 *praecipitatus est,* sed in marg. ab alia m. *praecipitat.* Intransitivum vocis usum exemplo uno Tulliano adstruxit Moserus. Aedituus Gellii XIX, 9: *aut imber coelo candidu' praecipitans.* Adde Servium et Donat. ad Virg. Aen. II, 9: *nox humida caelo praecipitat.*

altissumeis] Uff. *illis* praeponit. Dresd. 2 Cr. et Edd. Ven. Dav. *altis.* Vulgo *altissimis,* et ante *ex.*

ea] Abest ab Asc. 1.

accolit] Olx. Goth. Vind. 1. L. alioque Edd. ap. Mos. et Rom. *incolit.*

audiendei] Uff. *auditus.*

caret] Os. *carent.*

tantus est] Vind. 2 *est tantus.*

totius] Darm. *huius,* sed in marg. ab eadem m. correctum *totius.*

incitatissuma] cVi. Car. Steph. *in citatissima.* Vulgo *incitatissima.* Asc. 1 *mundi sonitus incitatissima conv.*

possint] Dresd. 1 *possunt.*

sicut] Adiicit *in terris* ex Erfurdt. P. Idem ex uno Cod. Verburgius enotavit.

adversum] Bern. *adversus eum.*

adversum nequitis] *Nequitis adversum* scripsit Moserus sola quarundam Edd. vett. auctoritate fretus.

vestra] Goth. *vestri.*

sensusque] Uff. *sensu auditus sensu.* In Mon. voci *sensusque* ab alia m. suprascriptum est *visusque,* ut *visus* in F Iani, qui *sensusque* omisit, haud scio, an ceterorum suorum librorum auctoritate nisus. Goth. *sensus.*

vincitur] Suprascriptum in Mon. *vel verberatur,* F Iani *reverberatur.*

Haec] Uff. *Hoc.*

tamen] Vind. 1 et Arn. *tantum.* Praemittit R. *aliis.*

XIX. [VI.] 20. Tum Africanus, Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplarei: quae sei tibei parva, ut est, ita videtur, haec caelestia semper spectato; illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam consequei gloriam potes? Vides habitarei in terra rareis et angusteis in loceis, et in ipseis quasei maculeis, ubei habitatur, va-

oculos] Arn. *oelos*. Pabstius p. 6 confert Prudentii *περὶ στεφ.* X, 592:
sanus videbit, lippus oelos obteget,
ubi tamen, ut ipse monet, alii *oculos*, admisso in quarta sede tribracho.

identidem] Arn. *idemptidem*. Rom. *itidem*.

Tum] Vind. 1. Asc. 1 *Tunc*.

sentio, inquit] Codd. nostri et Edd. Asc. 1. 2. Crat. Herw. Ven. *inquit, sentio*. Moserus. Idem, ut Orellius adnotat, Codices aliquot (R.) M., quibus Arn. Dresd. 2. Vind. 2. 3 cum Bern. Herb. et Dav. accedunt.

inquit, te] Goth. *te, inquit*. Uff. post *te* his pergit: *miseriae sedem ac domum contemplari*, quae monachum, ut recte Moserus ait, sapiunt.

etiam nunc] Absunt a R.

ac] Omittunt Dresd. 2 et Cr. Verba *ac domum* absunt a Dresd. 1.

ac domum contemplarei] Nonnullae Edd. vett. ap. Orell. et Mos. *contemplari ac domum*. Ex uno Cod. Verburg. affertur *te sedem hominum contemplari*.

parva, ut est, ita videtur] cVi. et Rom. *ut est, ita videtur parva*. Uff. *parva ita, ut est, videtur*.

haec] Bern. *nec*.

spectato] Arn. *spectator*.

contemnito] Os. et Bern. *contempnite*: v. ad I, 19. p. 75. Eandemque scripturam exhibent Codd. Vatic. or. pro Flacco et pro Fonteio, teste Niebuhrio p. 110, optimique quique or. pro Sextio, teste Halmio p. 322.

illa humana] Herb. *illam humanam*.

Tu] Patricius malebat *Ibi*, et mox *sermonibus*, quod reapse exstat in vM., notante Orellio, nisi forte totus locus ita legendus esset: *Quam enim tu celebritatem sermonibus hominum* etc.

enim] Dresd. 1 *communem*, miro errore.

sermonis] Vind. 1 *sermonum*, sed supra corr. *sermonis*. R. *sermones*.

sermonis hominum] Vind. 3 *hom. serm*.

quam expetendam] Conf. *exp. quam*.

expetendam] Lang. P. *expetendo*. Bern. *expectandam*.

consequei gloriam] Ita Darm. Dresd. 1. Goth. R. Vrat. Conf. S. Vind. 1. 2. 3. Mon. B. Iu. A. P., quibus auctoritatibus parendum fuit. Adstipulatur Gernhard. Prol. II. p. 11 ob eminentiorem locum, quem in hoc verborum ordine *gloriam* nanciscatur. Vulgo *gloriam consequi*.

habitarei] MDarm. *habitare*.

in terra] Arn. O1x. M. *in terris*. Omittit haec O2x. cum aliis, ut ait Orellius, h. e. Cr. et Ed. Asc. 1. His adde MSS. Klein. Herb. et Dav. In Vind. 1 est *in terra habitari*.

rareis] Hotting. explicat: hinc inde dispersis. Lehn. intelligendas esse monet *zonas temperatas*. Moserus. Bern. *in raris*. *Raris* pro *pareis* Cicero dixit, magnitudinem terrae, cuius minima tantum pars habitata sit, spectans.

in loceis] Praepositionem sola Codicum Moseri, ut ait, h. e. Cr.

stas solitudines interiectas: eosque, quei incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab alieis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim trans-

et Uff., auctoritate nisus Orellius omisit. Abest vero etiam a Bb. Bern. Dresd. 2. MOs. MGoth. MDarm. Edd. Dav. et Herb., nec male.

habitatur] Abest a Dresd. 1, sed loco vacuo relicto. Arn. *habitabatur*.

eosque] Var. Lag. *hos quoque*, vel *eosque*. Maivs ed. alt. Quod cum Orellio suscepimus, suppeditarunt MOs. MGoth. MDarm. Sm. Bb. Vind. 2. T. et R. suscepit et Ianus. Bern. *nosque*. Vulgo *hosque*.

incolunt] Darm. Os. MOs T. R. Olx. V. P. et Rob. Steph. *incolant*, quod Orellio non displicet, etsi non suscepit. Suscepit Ianus.

interruptos ita] Conf. *ita interr.*

ita] Vind. 1 *quidem*.

ab alieis] MDarm. *alius*.

manare] Var. Lag. *meare*. Maivs ed. alt. Verb. ex Cod. MS. enotavit *meare*. Sed *meandi* verbo semel tantum et in versu quidem ... [usus est]; *manare* contra saepius dixit de fama etc. Moservs. Debetur *meare* glossae, etiam in Macrobii Cod. repertae. Is enim II, 5 fin., ubi nostrum locum tangit: „Primum enim ait [Cicero] alios praeter nos ita incolere terram, ut a se interrupti nullam meandi [Goth. *commeandi*, hoc ex glossa manifesta; Goth. male addit *ad invicem*] ad se habeant [ita scripsi ex Goth. et Os.; Darm. *ad se* omittit] *facultatem*: et verba ipsa declarant non eum de uno hominum genere loqui in hac superficie a nobis solius torridae interiectione diviso [ita Goth. Os. et Darm. aliique libri Gronovio commemorati pro vitioso *divisa*] (sic enim magis diceret, *ita interruptos ut nihil ab illis ad vos manare* [Darm. *meare*] *possit*) sed dicendo, *ita interruptos ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare* [ita Goth. Os. et Darm.] *possit* etc. MDarm. *manere*.

possit] Dresd. 1 et Vind. 1 *queat* (hic *quaeat*).

partim transversos] Herb. et Dav. *partimque transv.* Conf. *partim etiam aversos*.

transversos] Sic Codd. plerique T. Macrob. Iu. Ma. Vi. *Traversos* Lamb. Standum hic fuit a Macrobii auctoritate. *Versos* V. M. *Aversos* P. 3. 1. 2. Mai. Mos. Sic videntur correxisse errorem illum *versos*, quem retinuit etiam Victorius. Orellivs. Neque aliud quam quod edidi Edd. quaedam priores Moserique meique Codd. omnes praeter Darm. R. Vrat. S. Vind. 1. 2 Goth. et Rom., qui verba *partim transversos* (sive *aversos*) omittunt, omissa etiam in Cod. Palatino Gruteri, ut Moserus adnotat. Lectionem nunc receptam atque apud Macrobium iam repertam, idem ipse diligentius ita explanat, ut de ea nullum dubium relinquatur, II, 5 fin. „Quod autem vere ad nostram partem refertur [ita Os. et Goth. pro vulg. *referretur*, cuius loco Goth. *referatur*] adiecit dicendo de illis qui et a nobis et a se invicem divisi sunt; *partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare nobis*. Interruptio ergo non unius generis a nobis sed omnium generum a se divisorum refertur, quae ita distinguenda est. Hi quos separat a nobis perusta, quos Graeci ἀντοίκους vocant, similiter ab illis qui inferiorem zonae suae incolunt partem interiecta australi gelida separantur. Rursus illos ab ἀντοίκοις suis, id est, per nostri cinguli inferiora viventibus, interiectio ardentis sequestrat: et illi a nobis septemtrionalis extremitatis rigore removentur. Et quia non est una omnium affinis continuatio, sed interiectae sunt solitudines ex calore vel frigore, mutuum negantibus commeatum: has terrae partes, quae a quatuor hominum generibus incoluntur, *maculas* habitationum vocavit. Quemadmodum autem ceteri omnes vestigia sua

versos, partim etiam adversos stare vobeis: a quibus exspectare gloriam certe nullam poteris.

XX. 21. Cernis autem eandem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cinguleis; ex quibus duo

figere ad nostra credantur, ipse distinxit: et australes quidem aperte pronunciavit adversos stare nobis, dicendo, *quorum australis ille, in quo qui insistunt, adversa nobis* [Os. *vobis*] *urgent vestigia.* Et ideo adversi nobis sunt, quia in parte sphaerae quae contra nos est morantur. Restat inquirere quos *transversos* et quos *obliquos* nobis stare memoraverit. Sed nec de ipsis potest esse dubitatio, quin *transversos* nobis stare [ita Os. et Goth.] dixerit inferiorem zonae nostrae partem tenentes, obliquos vero eos, qui australis cinguli [Goth. *circuli*] devexa sortiti sunt." Ad sententiam conf. Gernh. Prol. II. p. 11.

partim etiam adversos] Cr. Dresd. 2 (hic tamen omisso *etiam*) cum Edd. Ven. Dav. Herb. et Asc. 1 *partim etiam omnes adversos.* Dresd. 1 *partim cum adversos.* Arn. *partim et. adversus.* Prorsus absunt a MDarm. Pro *etiam* Vind. 2 *et.*

stare vobeis] Dresd. 2. Cr. cum Edd. Ven. Herb. et Asc. 1 *vobis stare.* Eundem ordinem MOs. Arn. et Uff., sed scripto *nobis*, quod etiam Vind. 1 suppeditat, sed servato ordine vulgari. MOs. *stare a vobis*, Notandus vero transitus a tertia persona ad secundam.

exspectare] *Spectare* O3x. [Cr. Uff., qui habet *nullam profecto potestis spectare*, Bern. Vrat. Arn. Darm. Goth. Vind. 3] B. V. M. [aliaeque Edd. ap. Mos. cum Herb. Dav. et Rom.] quod defendit Arntzen. ad Plin. p. 166. Orellivs. Dresd. 1. Conf. cum Edd. vett. nonnullis Mosero et Orellio laudatis *sperare.* Quintilianus X, 1, 34: *ne omnia testimonia expectet* [orator] *a litigatore.* Sed vide ne *spectare* corruptum sit ex *sperare*, quod non displicet.

gloriam] Abest a Vind. 2 et Arn.

poteris] Arn. *potes.* MOs. Sm. et MGoth. *poteris*: ceteri *potestis.* Gernhardus Prol. II. p. 12: „Pro *potestis* [ut vulgatur] Macrobius rectius *poteris*, quod, ab interpretibus fere neglectum, etiam Bouherio l. c. p. 487 placuit. Nec enim omnibus Romanis exspectare licet gloriam. Probe distinxit Cic. ea, quae communia omnium sunt, ut proxime antecedentia et §. 19. *nec est ullus hebetior sensus* (quam aurium) *in vobis* et *sicut intueri solem adversum nequitis*, si comparas §. 20 *gloriam consequi potes.*" Ianus ut vulgo.

eandem terram] Edd. vett. nonnullae ap. Orell. et Mos. *terram eandem.*

quasei] Dresd. 2. Ed. Ven. *quam quasi.*

quibusdam] Omittit MGoth.

quibusdam redimitam] Dresd. 1 *redimitam quibusdam.* Bern. *quibus red.*

et circumdatam cinguleis] Goth. *cingulis et circumdatam.*

cinguleis] Var. Lag. *circulis.* Manv ed. alt. Uff. *angulis.* MGoth. et MDarm. *circulis.* Iuvat in transcursu Scholiastae cuiusdam verba apponere, ad hunc ipsum Ciceronis locum, quo de quinque terrae zonis agitur, spectantia, ex codice Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensi membranaceo nitidissime forma maxima scripto, quo praeter alia etiam Pomponii Melae Cosmographia (hoc enim nomine liber Melae in Codice nuncupatur) continetur. Ibi Fol. 1 ad verba primi capitis *occasum zonis quinque distinguitur* haec reperiuntur interpretis verba adscripta: *Virgilius Georg. 1.* (vs. 233 sq.) *Quinque ferat caelum zonis: quarum una corrusco semper sole rubens et torrida semper ab igni hanc circum extreme dextra laevaque trahunt cerulea glacie concrete atque imbribus*

maxsume inter se diversos, et caelei verticibus ipseis exs utraque parte subnixsos, obriguisse pruina vides; medium autem illum et maxsumum solis ardore torrerei. Duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo quei insistunt, adversa vobeis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus: hic autem alter subiectus aquilonei, quem incolitis, cerne quam

atris has inter mediaque due mortalibus egis munere concesse divum. et reliqua. Tullius autem adversari videtur Virgilio in libro VI de re publica. Sed Macrobius ibidem concordiam facit etc. V. Macrob. Sat. II, 8, et in Somn. II, 5. Virgilii locum dedi ut in Msto legebatur. Ceterum hoc fragmento egregie confirmatur lectio a Titzio sagaciter inventa recteque in textum suscepta: *eodemque in duo latera, quae hemisphaeria nominantur, divisa, ab oriente ad occasum zonis quinque distinguitur.*

ex quibus] Ita Arn. Vulgo *e quib.*

duo] Ita Goth. MGoth. MDarm. et Sm.: quam formam nolui obliterari. Vulgo *duos*, quod servavit Ianus. V. Excurs. XII.

maxsume] Vulgo *maxime.*

se diversos] Uff. *se esse diversos.*

caelei verticibus ipsis] Asc. 1 *ipsis verticibus caeli*, cum c. B. Iu. *Ipsis caeli vert* Vi. Arn. *celi virtutibus ipsos.* Rom. *caeli virtutibus in ipsis.*

exs] Vulgo *ex*, et mox *subnixos.*

obriguisse] Bern. *obruisse.*

pruina] MDarm. *ruina.*

vides] Ad sequentia trahunt Uff. et Darm. MDarm. *via est.*

maxsumum] Vulgo *maximum.* Copulam omittit MDarm.

torrerei] Abest a Dresd. 1, sed relicto spatio vacuo. MDarm. et Arn. *terreri.*

Duo sunt] Orellius, qui *duos* omisso verbo *sunt* edidit: „Sic T. antiquiss. Macrobius Aldi. A. vM., ut pendeat e v. *vides*. *Duo sunt* Ceteri, quos vidi, omnes, qui error natus est ex eo quod *s* vocabuli *duos* habita est pro compendio scribendi v. *sunt*." Sed potest e contrario statui, ex compendio scribendi v. *sunt*, h. e. $\bar{s}$, ortum esse vitium *duos*, quum praesertim si Cicero accusativum scripsit, *duo* pro *duos* eum scripsisse, probabile sit, ex quo *duo sunt* quo modo nasci potuerit, non intelligitur. Ac revera Goth. *duo* $\bar{s}$, h. e. *duo sunt*, quod tuentur Codd. mei, Moseri, Gernhardii, ut videtur, ad unum omnes. Neque aliter de hoc loco statuit Gernh. Prol. II. p. 12.

quorum australis ille] Vind. 1 *quorum alter australis ille*, ex correctione. *Quorum* abest a Bern.

ille] Subiicit Vind. 3 *est.*

quei] Vind. 2 *per*, sed in marg. alia m. *qui.*

adversa] Bern. *aversa.*

vobeis] Vind. 1. Dresd. 2. Ed. Ven. *nobis.* Illud etiam MOs. II, 5.

nihil ad vestrum genus] Patricius ita legi volebat: *nihil iis ad vestrum genus*, quia Gaza [Planudes] addiderit *αὐτοῖς*. Sed nihil addendum. Moserus. Arn. et Os. *nil* etc.

aquilonei] Rom. *Aquilonem.*

quem incolitis] Absunt ab Ed. Asc. 1.

quam] MDarm. *quem.*

tenuci vos parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobeis, angustata verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est, circumfusa illo marei, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terreis: quei tamen tanto nomine quam sit parvos, vides. 22. Ex

tenuei vos] Vind. 2 cum Edd. quibusdam ap. Mos. et Orell. *vos tenui*. Vind. 1 *tenuit*.

vos parte] MGoth. et Vind. 3 *parte vos*. Dresd 2. omittit *parte*.

contingat] Sic etiam Proclus. *Ἡ μὲν πεμπὰς ἓν τε τῇ ἀπλανεῖ τοὺς πέντε κύκλους διεστήσατο, τὸν ἀρκτικὸν καὶ ἀνταρκτικόν, τὸν χειμερινόν, τροπικὸν καὶ θερινόν, τὸν μέσον τούτων ἰσημερινόν· καὶ ἐν τοῖς πλανωμένοις τοὺς πέντε διεῖλεν ἀπὸ δύο φωστήρων, ἐξαιρέτους ἔχοντας τὰς προσθαφαιρέσεις· καὶ ἐν τοῖς σχηματισμοῖς αὐτῶν, τὸ ἄριστον ἔλαχε τῶν σχημάτων ἀφορίζειν τὸ τρίγωνον· τὸν δὲ ὅλον κόσμον ἐν πέντε τοῖς στοιχειώδεσι σχήμασι καὶ πέντε κέντροις συνεπλήρωσεν· ἡ δὲ τετρὰς σχῆμα μὲν τῶν ἀσωμάτων ἀπεργάζεται, τὸ τετράγωνον· τὸν δὲ ζωδιακὸν κύκλον ἀπέφηνεν τετραμερῆ· τῶν δὲ πλανητῶν ἑκάστῳ τὰς κινήσεις ὥρισεν· εἰσὶ γὰρ τέτταρες, ἡ περὶ τὸ οἰκεῖον κέντρον, ἡ κατὰ μῆκος, ἡ κατὰ πλάτος, ἡ κατὰ βάθος* κ.τ.λ. Maius ed. alt.

enim] Cr. *vero*. Uff. Ed. Asc. 1. B. Iu. *autem*.

terra] Omittit Arn.

quae] MGoth. *quam*.

colitur] Conf. *incolitur*. M. Goth. *incolitis*.

a vobeis] Omittit MGoth.

a] Omittunt Edd. nonnullae.

vobeis] Goth. Dresd. 2. Ed. Ven. *nobis*. Vind. 2 *vobis*, sed in marg. ab alia m. *nobis*. Ceterum Vind. 1 *a vobis colitur*, ut Edd. nonnullae ap. Orell.

angustata] Ita Darm. Os. Goth. Arn. Dresd. 2. Vind. 3. Bern. S. Uff. Mon. Olx. R. Vrat. Dav. A. M. Vi. Asc. 1. 2. Ven. Crat. aliaeque Edd., quorum auctoritati eo lubentius fidem habui, quo illud verbum, quod alio loco apud Ciceronem non exstat, probabilius est propter ipsam raritatem offendisse. Vulgo *angusta*, quod tenent Macrobii Codd.

lateribus] Vind. 3 *lateribusque*.

insula est] T. Sm. Bern. MOs. MDarm. *est insula*. Darm. *est* omittit.

circumfusa] Arn. *circumfuso*, eodem vitio, cuius originem demonstravimus ad c. 16.

Atlanticum] *Athlanticum* Vind. 1 (hic praeposito *vos*) 2. 3. Darm.

magnum] V. Column. ad Enn. p. 115. Hess.

quem] Occupat plerosque libros [Dresd. 1. Vind. 3. Os. T. Olx. R. Vrat. Sm. OSm. MGoth. MDarm Rom. B. aliasque Edd.] peior lectio *quod*. Probam habent Codd. Cr. et Mon. [ceterique mei omnes] Edd. Ven. Plant. Wolf. Verb. Ern. et recc. excepta Bern. quae ad criticam rationem nullius fere momenti est. Melius scribi *quem*, iam ex seq. *qui* apparere ait Ochsn. Conf. nos ad Cic. de legg. I, 7. p. 55 et supra ad I, 13. Moservs. Supra I, 13 *mundus hic totus, quod domicilium — dederunt*. Alia exempla dabit Meyerus ad Quintil. I, 10, 35. Frustra Orellius ait *quod* eo defendi posse, quod *Oceanum* pro adiectivo habeatur: quo dicendi genere si poetae aliquoties reapse usi sunt, cave ne sine exemplo scriptoribus obtrudamus. Improbat Gernhardius quoque l. l.

appellatis] Uff. *vocatis*. Dresd. 1 *appellatur*.

quei] Uff. et Bern. *quod*.

tamen tanto] V. *tanto tamen*. Omittit *tamen* Arn.

heis ipseis culteis notisque terreis num aut tuum, aut quoiusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem tranatare? Quis in

parvos] R. Bern. Uff. et Rom. *parvum*. Vulgo *parvus*.

Exs] Vulgo *ex*.

heis] Vind. 1. Dresd. 2. Arn. Conf. *hiis*. R. *iis*. Uff. *Ex ipsis autem his*. Rom. *ex ipsis his*.

ipseis] Abest a Cr. et Dav.

num] R. Uff. et Rom. *non*.

aut tuum, aut quoiusquam] Dresd. 1 *aut avus antea etiam cuiusquam*.

quoiusquam] Dresd. et Dav. *cuiusque*. Rom. *cuiusvis*. Conf. *vel* pro *aut cuiusquam*. Vulgo *cuiusquam*.

nostrum] Dresd. 2. P. Maius ed. alt., *nostrum* ex Lagom. afferens, Conf. *vestrum*.

nomen] Arn. *non*, tralatitia confusione, non modo ab eo compendio scribendi recentiore aetate solito repetenda, qua *nō̄n* scribitur *nomen*, sed etiam a consuetudine antiqua, qua constat non solum *N* pro *nomine*, sed etiam *N̄* pro *non* scriptum esse: cuius posterioris usus exempla exstant in Welckeri Mus. Rhen. V, 2. p. 307.

vel] Arn. *ut*. Hae voces in MSS. sibi saepe tam similes reperiuntur, ut vix dignosci inter se queant.

Caucasum] Arn. per compendium *cām*.

hunc] Vind. 1 *hic*.

transcendere potuit] Goth. *pot. transc*.

potuit] vM. *poterit*. Omittit Bern.

vel] Arn. *ut*.

illum Gangem] Dresd. 2 *Gangem illum*. Pro *illum* Goth. *ipsum*.

Gangem] Vind. 1 *Gange*. In Darm. *Gangem* quidem scriptum erat, sed posthac litura factum *Gangen*, et ita Os. Mon. R. Vrat. et Dav., de qua forma v. ad I, 2: *Xenocratem*. Arn. *Ganeem*. Ianus *Gangen*.

tranatare] Ita scripsi ex Darm. Os. Vrat. S. et Mon. (in hoc tamen *transn.* in marg.), videlicet ut Tullius secum non dissideat: v. ad I, 3. p. 20. Sed lapis Vespasiani aetate incisus Grut. p. 453 TRANSDVXIT; alius etiam antiquior, in quo VIVOS nom., ap Giovenazz. ad Liv. Fragm. p. XLIX TRANSMARINARVM. *Transnatare* Bern. Vind. 1. 2. Dresd. Arn. 2. Cr. Uff. O1x., cum ceteris editoribus recc. praeter Orellium, qui *tranare* scripsit ex O1x. (sic) L. P. allato de N. D. II, 9, 25 loco, quo sane dicitur ignis *tranare* omnia. Sermo ibi est de natura ignis, qui in se vim habeat vitalem, per omnem mundum pertinentem: qui eo sensu quo modo dici possit *tranare omnia*, fateor me non dispicere. Nam quum quantum ad vim eius verbi ipsam inter *tranare* ac *transnatare* reapse nihil omnino differat quumque hoc in se eam potestatem habeat, ut motionem ab uno loco in alterum designet, ita ut quod transnataverit priorem locum reliquisse necesse sit (v. Virgil. Mar. gramm. p. 91 ed. Maii), non antea *tranare* in loco de N. D. l. adducar ut probum censeam quam quo sensu id recte fieri possit demonstratum fuerit. Neque non offendit Lambinus, qui quum *trameat* pro *tranat* reponendum suaderet, non reputavit, ea lectione in re nihil mutari, quum potius tale verbum ut *permeare*, vel *penetrare*, vel, si vox esset proba, *pernare* desideretur. Iam vero si omnino illa vox suspecta debet videri, eo tutius acquiescemus in potiorum Codd. lectione, quo istud *tranare* probabilius ortum putatur ex compendio scribendi v. *transnatare*,

reliquois orientis aut obeuntis solis ultumeis aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? Quibus amputateis, cernis profecto, quanteis in angustieis vestra se gloria dilatarei velit. Ipsei autem, quei de vobeis loquontur, quam loquentur diu?

XXI. [VII.] 23. Quein etiam, sei cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniusquoiusque nostrum a

vel *tranatare*. Mira autem lectio Dresd. 1 *transvectare*, quod verbum alibi adhuc non repertum est.

Quis] Vind. 2 *vix*, sed in marg. *quis*. Conf. et Vrat. Macrobii *vel quis*.

in] Abest a Dresd. 1.

obeuntis] Bern. Os. Arn. B. Grut. aliaeque Edd. ap. Mos. *abeuntis*.

solis] Omittit unus Darm., non spernendus fortasse.

ultumeis] Dresd. 1 *ultimus*. Vulgo *ultimis*.

aut] Uff. *et*.

austrive] Arn. *ut* (*aut?*) *austrio*.

audiet] Os. *audietur*.

vestra se gloria] Ita scripsi pro *vestra gloria se*. ex Codd. nostris et Ed. Ven. (nisi quod haec habet *nastra*) Rob. Steph. Sturm. Mosers. Sic R. B. Iu. A. V. Vi. Mos. cum Codd. Orellivs. Idem Goth. Darm. Vind. 2. 3. Os. (hic tamen *nostra*) Dresd. 2. cum libris scriptis et editis Klein. Omittit *se* Dresd. 1. Vind. 1 *se vestra gloria*. Receptam lectionem nunc etiam Maius tacite probavit. Vulgo *vestra gloria se*. Pro *gloria* Bern. *gloriari*.

dilatarei] O2x. A. vM. *dilatare*.

vobeis] Multi libri apud Lag. *nobis*. Maivs ed. alt. Vind. 1. 2. Os. Goth. Darm. Dresd. 1 (hic vero verbis *de nobis* post *loquuntur* transpositis) Vrat. Macrobii Rom. Asc. 1. Arn. aliae Edd. ap. Mos. et Orell. *nobis*. Si paullo ante scribamus *nostra*, minime intercesserim, quo minus hic *nobis* probemus, quoniam haec non inepta simul ad Scipionem referri possunt. Atque Bouherius quoque *nobis* praefert propter seq. *laudes unius cuiusque nostrum*. Bern. *de vobis* transponit post *loq*.

loquontur] Vind. 3. Vrat. Macrobii Os. S. Cr. Dresd. 2. Darm. Edd. Ven. Rom. A. M. Ma. Car. Steph. Ald. et Sylb. *loquentur*. Ianus *locuntur*.

quam loquentur diu] Revocavi quod olim in multis Edd. vulgatum, a nostrorum temporum viris doctis spretum est, non solum propter auctoritatem Vrat. Darm. Arn. S. Vind. 1. 2. 3. Bern. (*loquuntur* a corr.) Os. Goth., in quo *tam* ante *diu* ex correctione futili adiicitur, sed quod vix credibile videtur, insolentiorem hunc verborum ordinem a librariis profectum esse, qui nec displicuit Orellio, quamquam is suscepit id quod vulgo fertur, *quamdiu loquentur*, idoneoque exemplo adstructus est a Mosero, ceteroquin hanc lectionem aspernante, ex Ep. ad Q. Fr. I, 1, 7: *quoties quisque voluit, dixit, et quam voluit diu*. Ceterum pro *loquentur* Arn. Uff. et Dresd. 2 *loquuntur*. Post *loquentur* R. adiicit *vides*.

etiam] Abest a Cod. Verburgi et Asc. 1. Dresd. 1 *eam*.

cupiat] Affert Bouherius *cupiet* ex Macrobio II, 10, et ita MOs. MGoth. et MDarm.

proles] Omittit Dresd. 1, sed cum lacunae indicio.

illa] Abest a MOs. MDarm. MGoth.

uniusquoiusque] Vulgo *uniuscuiusque*. MDarm. *uniusque*.

patribus acceptas postereis prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequei possumus. Quid autem interest, ab eis, quei postea nascentur, sermonem fore de te, quom ab eis nullus fuerit, quei ante natei sunt? quei nec pauciores, et certe meliores fuerunt virei;

XXII. 24. praesertim quom apud eos ipsos, a quibus

nostrum] R. *vestrum*.
a patribus acceptas] Bern. MOs. MGoth. MDarm. *acceptas a patribus*
patribus] V. Rob. Steph. *parentibus*.
acceptas] Dresd. 1 *acceptos*.
postereis] Abest ab Uff. Dresd. 1 *pessmit is*. MDarm. *poteris*.
prodere] Hic desinit Vind. 1. Bern. *producere*. MDarm. *pondere*.
tamen] Arn. cum Herb. *tum*.
eluviones] vM. *illuviones*.
exustionesque] Vulgo *exustionesque*.
tempore certo] R. P. *certo tempore*.
non modo] Multi libri apud Lagom. *non modo non*. Maius ed. alt. Ac fatendum id quod cum omnibus fere editoribus vulgavimus, abhorrere a scriptura omnium, quorum lectionem diligenter excussam habemus, Codicum *non modo non* exhibentium, exceptis Bern. et Mon., in quo alterum *non*, Mosero teste, omittitur, omittendumque est, si vere de tota hac dicendi ratione disputavimus Excurs. XVIII. Omisit vero etiam Rom., sed simul omissis quae sequantur *sed ne diuturnam quidem*. Omiserunt duo quoque libri Iani, qui tamen retinuit.
assequei] Uff. *consequi*.
possumus] Os. *possimus*.
Quid autem interest] Mon. in marg. habet *vel prodest*, ex glossa. Pro *autem* Asc. 1 *enim*.
eis] Bern. Vind. 3. Arn. Os. Vrat. Macrobii MOs. Uff. et Edd. quaedam ap. Mos. cum Dav. et Rom. *his*. Conf. *hiis*.
nascentur] Vind. 2 *nascantur*.
sermonem fore] Conf. *fore sermonem*.
fore de te] Dresd. 1 *prendere*. Os. *de te fore*.
quom] Vulgo *cum*, aut *quum*.
eis] Bern. MOs. Vind. 3. Os. Darm. Arn. Uff. Mon. Vrat. Macrobii et Edd. nonnullae cum Dav. et Rom. *his*.
ante] Uff. R. Conf. (hic praemittit *fuerit (fuerint)*) Edd. Ven. Rom. Dav. A. V. Vi. Rob. Steph. *ante te*, haud male, neque Orellio displicet. Vind. 2 *antea*.
sunt] Ita recte Mosterus pro *sint*, ut vulgatum, ex Mon. Edd. Ven. Tig. Boul. Plant. Sturm. Wolf. Macrob. II, 11. Secuti sunt Nobb. et Orellius, qui eandem lectionem affert ex O2x. B. Iu. L. Vi. Eandem ex nostris Os. Conf. R. Vind. 2. 3. Darm. Dresd. 2. Rom. Dav. Maius vulgatam etiam nunc retinet.
meliores] Verburg. ex Cod. affert *maiores*.
fuerunt] Dresd. 2. Bern. Vind. 3 cum Herb. Dav. *fuere*. Goth. *erant*.
praesertim quom] Vulgo *quum praesertim*. Obtemperandum putavi R. Conf. S. Sm. Bern. Darm. Vind. 2 (in quo iam iusta totius loci interpunctio, a Mos. demum revocata, exstat) 3. MOs. B. Iu. A. Asc. 1.
quom] Vulgo *quum*, aut *cum*. Omittunt Vrat. et Rom.

audirei nomen nostrum potest, nemo unius annei memoriam consequei possit? Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est unius astrei reditum metiuntur; quom

apud] Os. et MDarm. *aput.*

audirei nomen nostrum potest] Edd. vett. quaedam ap. Mos. et Orell. *nomen nostrum* (vel *vestrum*) *potest audiri.* Rom. *nomen nostrum audiri p.*

nostrum] Goth. Arn. R. Vrat. Os. *vestrum.* Dresd. 1 *unius.*

enim] Asc. 1 *autem.* Omittit Dresd. 2.

populariter] *Loquelariter* ex barbarismo medii aevi Codd. multi, v. c. R. omnes Langii, quem vide. Quin etiam recepit Vinetus. *Iocularitér* de Turnebii coniectura L. probante P. Orellivs. In nonnullis libris est *loquelariter*, quod defendere studebat Gruterus [antea Scaliger quoque ad Festum v. *am*]. Cui Sch. obloquens: „Quidquid, ait, dicat Gruterus, lectio *loquelariter* prorsus inepta est, et *populariter* unice verum, quod idem est ac *communi hominum usu*, quibus verbis de eadem re utitur Macrobius in Somn. Scip. II, 11, ubi h. l. tractat; q. v." Lectionem *iocularitér* equidem non ineptam quidem dixerim, sed aptam nequaquam. Cic. de legg. I, 6, 19: *quoniam in populari ratione nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit.* De fin. II, 6, 17. Moservs. Achilles Statius in Gruteri Thes. Cr. T. II. p. 885: „Vetustissimi codices, alter quidem utrumque, et *populariter* et *loquelariter*, alter vero *loquelariter* tantum scriptum prae se ferebant. Quod verbum etsi apud Ciceronem alibi, aut apud eiusdem aetatis scriptorem alium nondum legi, non repudiandum tamen, nec praetermittendum duxi, illorum adductus librorum antiquitate ac fide: et quod Probum grammaticum usurpare id verbum videam in appellandis iis praepositionibus, quae componuntur tantum, non etiam casus regunt; eas enim ille *loquelares* appellat. [V. Scal. l. l.] Sed dicat quis, grammaticum id esse verbum, nec esse grammaticorum sermonem ita politum, ut elegantiae fidem possit facere: ego tamen veterem lectionem ab hoc qualicunque subsidio nudam, desertamque esse nolui.... Probabilius tamen alterum, *populariter* scilicet, quod eodem modo Cicero in primo de legibus et in secundo de finibus, *populariter* utatur adverbio." Ut prior Statii Codex, ita plane Darm., in quo exstat *loquelariter* cum marginali nota „alii *populariter*." Eadem ratio Vind. 2, ubi in marg. ab alia m. adiectum *populariter.* MOs. *populariter vel loquelariter.* Sine correctione autem *loquelariter* Goth. Arn. Os. S. MSS. Klein. et Rom. Contra *populariter* Dresd. 2 et Bern. Miro errore pro ea voce Vind. 3 et Uff. *loquuntur.* MDarm. *lariter.* Etiam crassiore errore Dresd. totum locum sic exhibet *homines omnium annium iumento solis.*

annum] MDarm. *anno.*

tantummodo] Asc. 1 *tantum.*

id est] Dresd. 1 *et*, nimirum ex non infrequenti harum duarum vocum confusione in MSS., notata a Goerenzio ad Acad. l. p. 35, quamvis loco de fin. III, 15, ubi *id est* non sollicitandum, abuso.

astrei] Subiicit *esse* Bern.

reditum] Var. Lag. multor. libr. *reditum.* Maivs ed. alt. *Reditu* recte legitur in Codd. nostris et Edd. Tig. Boul. Sturm. Sylb. Lamb. Goth. Plant. Wolf. Grut. et recc. Reliquae habent *reditum.* Moservs. Et hoc retinent Codices mei ad unum omnes, item Gerhardiani excepto S., ab editoribus, quod non intelligerent, quippe falsa interpunctione *solis, id est, unius astri, reditu metiuntur*, decepti, immerito spretum, etiam ab Iano. Quod enim interpretationis gratia additur, non ad solem

autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius caelei descriptionem longeis intervalleis retulerint, tum ille vere vertens annus appellarei potest: in quo vix dicere audeo, quam multa hominum

solum pertinet, sed ad *annum solis*, quo sol per unius anni spatium vertens significatur, vel ut alibi dicitur *annus solaris*, quo fit ut *annus solis* idem sit cum reditu solis, ut supra c. 12 legitur *solis anfractus reditusque*, vel omnino cum anno. Victorinus in Cic. I Rhet. p. 151 ed. Pithoei: *Solis cursus quum se expleverit, annus est.* Quo sensu ea phrasi usi sunt Censorinus de die not. 18. et Augustinus de genesi c. 13. ed. Basil. 1528. p. 350. Atque convenit ea ratio explicandi egregie propriae v. *annus* potestati, qua pro circuitu, sive de tempore a bruma ad brumam gyri in modum progrediente dicitur. V. Bredovij Untersuchungen über einzelne Gegenstände der alten Geschichte p. 25; unde translato sensu recte diminutivum *annulus* evasit.

metiuntur] Arn. *paciuntur*.

quom] Vulgo *cum*, aut *quum*.

quom autem ad idem] MOs. *re ipsa autem cum ad idem*. MDarm. *reabse autem* etc. Sm. *re autem ipsa cum* etc. Edd. quaedam ap. Mos. et Orell. *re ipsa autem quum ad idem*. Item aliae, sed scripto *reapse*. Orellius Anal. T. IV, 1. p. 575: „Recte observat Bouherius lectionem *re ipsa* (s. *reapse*) *autem quum ad idem* petitam esse e Macrobii II, 11, nec temere reiiciendam videri." Nihil vero horum in MSS. Conf. *id unum* pro *idem*. Ceterum intellige hic *annum magnum*, qui dicitur: de quo v. quae Moserus contulit. Adde Victorini in Cic. I. Rhet. p. 151. Pithoei: *Septem stellae septem circulis contra caelum volvuntur: quae cum singulae ad id signum, unde profectae sunt, fuerint reversae, certum tempus includunt. Quod si omnes septem simul ad ea signa, unde profectae sunt, revertantur, tunc fit illud tempus, quod annus magnus dicitur; et necesse est omnia rursus per ordinem suum, quae ante nata sunt, renasci. Ergo si ad exordium simul omnes stellae reventantur, annus magnus dicitur.* Atque similiter Augustinus l. c.: *quum omnia sidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt.* Deberi eam doctrinam disciplinae Etruscorum sive haruspicinae, colligi posse videtur ex Dionis Excerptis Vat. p. 548: qui enim ibi memorantur *Τυῤῥηνῶν μάντεις*, eos ab haruspicibus diversos non esse nunc quidem constat.

unde] Omittit Uff. Conf. *a quo*.

semel] Dresd. 1 *simul*. Eadem vocum confusio Horat. Epp. II, 2, 14.

eandemque] S. *eandem*.

totius] Abest a Dresd. 1. Arn. *potius*.

cuncta astra redierint] Os. *redierunt* (sic ut MDarm.) *cuncta astra*.

caeli] Unus liber apud Lag. *anni*. Maius ed. alt. *Anni* Grut. Graev. 3. Mai. [is nunc *caeli*]. Lehn. Heinr. Nobbe errore typogr. diu propagato. Orellius. Neque aliter quam *caeli* Planudes.

retulerint] Vind. 2 *retulerint*. MDarm. *retulerunt*.

tum] B. Iu. *tunc*.

vere] Omittunt Cr. Uff. Dresd. 1. Conf. Ed. Ven. et Dav.

vertens annus] V. quae ex Vineto affert Mos. Cf. etiam Passerat. ad or. pro Quint. 12. *Vertens annus* abest a Dresd. 1, sed cum lacunae indicio.

in quo] P. *a quo*.

vix dicere audeo] Cr. Herb. et Dav. *dicere vix audeo*. Arn. Dresd. 1 *vix audeo dicere*. Dresd. 2 *audeo vix dicere*.

saecula teneantur. Namque ut olim deficere sol omnibus exstinguique visus est, quom Romulei animus haec ipsa in templa penetravit, quando ab eadem parte sol eodemque tempore iterum defecerit, tum, signeis omnibus ad principium stelleisque revocateis expletum annum habeto:

hominum saecula] Recte hunc verborum ordinem Orellius ex B. A. Iu. A. V. Vi. restituit, firmatum S. (*secla*, ut MOs.) Bern. Vind. 2. Darm. Goth. Dresd. 1. MSS. Klein. Edd. Asc. 1 et Rob. Steph. Rom. Vulgo *saecula hominum*.

teneantur] Cr. *contineantur*, ex mala glossa. MOs. *tenent*.

Namque] R. *Nam*.

deficere sol] Asc. 1. B. Iu. Vi *sol deficere*. R. *def. sol hic*. Atque Cr. *sic*, vitiose pro *hic*, quod paene suscepissem.

omnibus] Videlicet tum praesentibus. Revocavi ex Conf. Vrat. Macrobii Darm. Dresd. 2. Cr. Ed. Ven. Vulgo *hominibus*, Iano servatum: hos hic appellare, plane otiosum fuerat.

exstinguique visus est] Arn. *exstinguitque visus*, omisso *est*. Bern. *visus est exstinguique*. MDarm. *exstingui visus est*.

quom] Vulgo *cum*, aut *quum*.

Romulei] Arn. *rimuli*.

in] Abest a Bern.

penetravit] Goth. *penetraverit*, scilicet adcommodatum ad sequens *defecerit*, quicum nihil habet commune. Sequentia post *penetravit* ad hunc ipsum diem ita vulgata fuerunt, ut insequenti commati *ita* praeponeretur, quod auctoritate omnium quotquot adhuc innotuere codicum, uno MOs. excepto, inducendum fuit; atque eo non modo opus, sed ne aptum id quidem est, quoniam quae sequuntur praecedentibus non ita respondent, ut iustam efficiant comparationem; nam alioquin hunc *fere* in modum sententia conformanda fuisset: ut olim sol deficere visus est, ita certo aliquo tempore idem deficiet, quod si acciderit, id habeto expletum annum. Hanc vero auctor sententiam mutata constructione ita expressit, ut loco eius, quod in altero membro comparationis esset, id poneret, quod inde necessario concluderetur, videlicet annum tum completum habendum esse. Ex his simul de reliquorum verborum conformatione satis patet. Etenim *quando*, quod suscepi ex Os. Cr. Dresd. 2. Conf. Arn., qui hac voce desinit, Edd. Ven. Dav. et Rom., vi temporali positum, a *tum* excipitur. Similiter *quando* positum c. 25. Mon. a sec. m. *si quando*, quod probare videtur Gernhard. Prol. II. p. 13. A *quando quum*; aliae Edd. *quandocumque*, ex tralatitio errore. Bern. *qñq*. Vulgo *quandoque*, quod pro *quandocumque* positum aliis scriptoribus concedendum est, veluti Livio I, 31: *ut, quandoque idem prodigium nunciaretur, feriae per novem dies agerentur*; ubi v. Drak. Sueton. Iul. 81: *quandoque ossa Capyis detecta essent, fore ut* etc. Cf. ad Tac. Dial. 13. p. 25. Ianus *quando*.

ab eadem] Ita Conf. (in hoc *sol* istis praeponitur) Uff. Dresd. 1. 2. Os. Goth. Vind. 2. 3. Darm. Macrob. R. O4x. Rom. Dav. B. Iu. A. P., quod non improbavit Orellius, etsi cum seteris omnibus praepositionem omisit. Bern. *ab ea*.

eodemque] Uff. *eodem*.

iterum] Omittunt Cr. Dresd. 1. 2. Vind. 3. Os.

tum] Bern. *tum* (*cum*). MDarm. *tantum*.

ad principium] Expunxi quod ab omnibus editoribus recc. vulgo inseritur *idem*, quo minime opus videtur, ad fidem Darm. Goth. Dresd. 1.

huius quidem annei nondum vicensumam partem scito esse conversam.

XXIII. 25. Quocirca sei reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magneis et praestantibus vireis: quantei tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vixs ad unius annei partem exsiguam potest? Igitur alte spectare sei voles, atque hanc sedem et aeternam domum contuerei: neque te sermonibus volgei dedideris, nec in praemieis humaneis spem posueris rerum tuarum; sueis te oportet ille-

S. MSS. Klein, O3x. R. P. Asc. 1. Bern. *ad quod princip.* Defendi tamen *idem* Gernhard. l. l.

stellisque] Transponitur post *omnibus*, in Asc. 1. B. Iu. A., quae melior sane sedes est ea, quae vulgo datur post *principium*, me iudice, nullo pacto ferenda. Nolui tamen audacius hic agere: nam mihi quidem satis exploratum est, *stellisque* glossae deberi.

habeto] Cr. Dresd. 2. Dav. *habetote*. Dresd. 1 *habeo*.

huius] MOs. MDarm. B. Iu. L. Vi. Asc. 1 *cuius*.

nondum] Os. *num dum*.

vicensumam] Darm. Os. et Vind. 3 *vicesimam*. Vulgo *vigesimam*.

conversam] Dresd. 1 *praeteritam*, ex glossa.

desperaveris] Sensus sic est explicandus: „quod si unquam fieret, ut reditum in hunc locum desperares, nihil aliud sane in mortali ista vita quaerendum tibi esset, quam hominum gloria; quae tamen, quam exigua sit et caduca, tute cogita. Hoc igitur tecum reputans alte potius spectare si voles cet." *Speraveris* Herv. Vi. Ed. 1584 e falsa correctione. *Tute speraveris* Mos. susp. Orellivs.

omnia] *Parata omnia* O1x. e glossa. Orellivs.

omnia sunt] Goth. Vind. 3. Dresd. 1 *sunt omnia*.

magneis et praestantibus] Uff. *praestantibus magnisque*. Bern. *potentibus* pro *praestant.*

vireis] Addit R. *plena*.

tandem] Dresd. 1 *tamen*, perpetua commutatione.

hominum gloria] Vind. 3. Asc. 1 *gloria hominum*. Ed. 1584 *ista hominum gloria est*, et sic Conf.

vixs] Abest a R. Vulgo *vix*.

exsiguam] Omittit Uff. Vulgo *exiguam*.

alte] Coniectura in m. Ed. 1584 *alta*. Bern. *ad te*.

spectare] Goth. *aspectare*.

atque] Abest a Dresd. 2.

hanc] Codd. aliq. O1x. M. Ma. L. *ad hanc*. Orellivs. Idem Os. Dresd. 2. Vind. 3. Cr. Uff. et Edd. quaedam ap. Mos. et Dav., quod si scripsit Cicero, zeugmate quodam usus est, quandoquidem *spectare*, quod praecedit, cogitavit, *contueri* vero scripsit.

et] Abest a Bern.

domum] Omittit Darm. Os. *contueri domum*. Pro *contueri* S. a sec. m. *eligere*.

te] Transponunt post *dedideris* Edd. quaedam vett. ap. Mos. et Orell. et Rom.

volgei] *Volgi* Rom. Vulgo *vulgi*.

dedideris] Ita ex Darm. S. cVi Rom. et L. scripsimus pro vulg. *dederis*. Cf. Heusing. ad Off. I, 21.

in] Darm *im*, ob seq. *p*.

cebreis ipsa virtus trahat ad verum decus; quid de te alii loquantur, ipsi videant: sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur eis regionum, quas vides, nec umquam de ullo perennis fuit; et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur.

XXIV. [VIII.] 26. Quae quom dixisset, Ego vero, inquam, Africane, si quidem bene meriteis de patria quasi

rerum tuarum] Vind. 3 *tuarum rerum.*

te] Abest a Vind. 2.

oportet] MSS. Verb. *oportebit*, addito *te.* Omittitur *oportet* in Dresd. 1, sed spatio relicto vacuo.

oportet illecebreis] Edd. nonnullae ap. Mos. et Orell. *ill. op.*

ipsa virtus] Dresd. 1 *virtus ipsa.*

trahat] Rom. *retrahat.*

ad verum] Uff. habere videtur *adversum.*

decus] Omittit Dresd. 1.

quid] Vind. 3 *quod.*

aliei] Abest a Bern.

loquantur] Bern. *loquuntur.*

videant] Dresd. 1 *audeant.* Petrarcha II Dial. 130. fol. 135 a. Heinrichio laudatus *viderint.*

loquentur] Darm. *loq̃ntur*, quod *loquuntur* esse videtur. *Loquantur* R. et Rom. Bern. *loq̃tur.*

tamen] Conf. *cum*: de qua confusione Heinr. conferri iubet Drak. ad Liv. III, 46, 1.

autem] Uff. *tamen.* B. Iu. *enim.*

omnis ille] B. Iu. Asc. 1 *ille omnis.*

angustiis] Uff. *angustus.*

eis] *his* Vind. 2. 3. Bern. Dresd. 1 (hic vero transposito ante *angitur*, ut habet pro *cingitur*) Vrat. Os. Macrobii Petrarcha l. l. et Edd. vett. ap. Mos. et Orell. Rom. et Dav. Conf. *hiis.*

vides] Subiicit Uff. *finibus.*

ullo] Goth. *illo.* Omittit Dresd. 1 cum lacunae indicio.

perennis] Goth. *perhennis.* Orell. *peremnis*, et ita sane titulus ap. Shaw Reisen durch die Berberey p. 95. Mihi quidem de scriptura vocis adhuc non satis liquet. Quodsi enim eiusdem originis est atque verbum *perennare*, quod ut credam non absurda argumentatione paene adducor, *perennis* praestare censebitur, quoniam *perennare*, quum in codd. passim *perannare* exhibeatur eaque ipsa forma titulo Vespasiani aetate inciso in Ann. dell' inst. archeol. T. X. p. 300, tum etiam ob primitivam ipsam eius potestatem, quae spatium anni proprie spectat, non potest non a v. *annus* derivatum putari.

fuit] Dresd. 1 *erit.*

obruitur] Uff. *moritur.* Dresd. 1 *obruatur.* Copulam, quae praecedit et quae mox sequitur, omittit B.

quom] Vulgo *cum*, aut *quom.*

dixisset] Vulgo *dixisset.*

Africane] Goth. Darm. *Affricane.* Quod vulgo praemittitur *o*, expunxi cum Darm. Os. S. libris Klein. Vind. 2. 3. Dresd. 2. Cr. Mon. O3x. Ed. Ven. P. Maius, qui ed. alt. item delevit, adscripsit: „Ita plurimi libri apud Lag.; non autem *o Africane.*“

limes ad caelei aditum patet, quamquam, a pueritia vestigiis ingressus patris et tueis, decorei vestro non defuei; nunc tamen, tanto praemio exposito, enitar multo vigilantius. Et ille, Tu vero enitere, et scio habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: „nec enim tu is es, quem forma

limes] L. P. atque, teste Maio ed. alt, unus liber Lagom. *limen*. Verba *quasi limes* omittit Dresd. 1, sed spatio relicto vacuo.

caelei aditum] Dresd. 2 *caelum aditus*. Fateor mihi omnino totum hunc locum abundantia quadam laborare, sive *limitem*, sive *limen* dicas *patere ad aditum caeli*. Equidem a Tullio exspectassem *limen caeli patet*, vel *limes ad caelum patet*. Ac sane Dresd. 2 lectionem si respexeris, secundum quam *limen* (sive *limes*) pro glossa habeatur, suspicio nascitur, ne gravius locus affectus sit, atque ut *limes*, ita etiam *quasi* aliunde adscitum sit.

patris] Ita Codices mei praeter Dresd. 2 omnes, cum O4x. R. Uff. S. editionibusque nonnullis ap. Mos. et Orell., neque aliter Lambinus, nisi quod idem cum aliis *et* insuper praeposuit. Vulgo *patriis*. Illud vero ut rescriberem, adductus sum mox sequente *vestro*, cui quum ad patrem solum referendum sit, ambigui sensus phrasis *vestigia patria* non responderet. Nam *patrium* non dicitur id quod patris, sed quod tam patris quam patrum est, h. e. maiorum; veluti supra III, 29: *si patriis viveretur institutis et moribus*. V, 1: *mos patrius*. Nolo plura.

tueis] Dresd. 1 *tui*.

decori vestro] Goth. *vestro decori*. Pro *vestro* ait Verburg. quosdam habere *nostro*, quemadmodum legitur in Bern. Conf. Os. et Rom.

non] R. *et non*.

defui] Conf. *decrevi*.

tamen] Omittit Dresd. 1.

tanto praemio] Asc. 1 *praemio tanto*.

exposito] Parendum hic fuit codicum auctoritati, quorum mei omnes (sed in Vind. 2 margini ab alia m. *proposito* adscriptum) cum Uff. Mon. S. Bern. Edd. Ven. Rom. Dav. aliisque id, quod pro vulg. *proposito* cum Schützio nunc revocavi, suppeditant. *Exponere praemium* iuxta *proponere* recte dici, docet locus Ciceronis ipsi Mosero allatus, or. pro Quint. 23, 74. Adde quae ad defendendam eandem scripturam contulit Gernhard. Prol. II. p. 14.

enitar] Omittitur ab Edd. nonnullis Mosero laudatis.

multo] Abest a Bern.

Et ille] Uff. *At ille*.

habeto] Hac voce Vind. 2 fol. 117 desinit. In sequenti scripta quaedam sunt ex Ciceronis Paradoxis. Continuatur Somnium fol. 118 *a*. Ceterum Asc. 1 *et te habeto non esse mortalem*.

non] Omittit Uff.

non esse te] Cr. R. Bern. Dresd. 2. Dav. multaeque Edd. ap. Mos. et Orell. *te non esse*, itemque Conf. si per correctorem, qui maluit *non te esse*, licuisset. MOs. *non esse mortalem te*.

nec] Dresd. 2. Conf. Dav. et Petrarcha I Remed. utr. fort. Dial. 29. fol. 63. b. *neque*.

tu is es] Abest vulgo *is*. Non satis me fateor intelligere, quam ob causam nostrae praesertim aetatis editores praeter Schützium, ut puto, omnes lectionem nunc tandem revocatam spreverint, antea Lambinis, aliisque probatam, codicum, quos novimus, omnium, solis O1x. et Bern. exceptis, quantum nunc scire licet, auctoritate firmatam; nam de Mon.

„ista declarat, sed mens quoiusque is est quisque,“ non ea figura, quae digito demonstrarei potest. Deum te igitur scito esse: sei quidem est deus, quei viget, quei sentit, quei meminit, quei providet, quei tam regit et moderatur et movet id corpus, quoi praepositus est, quam hunc mundum

Moserus silet, qui Hottingero duce discriminis nescio quid inter utramque lectionem comminiscitur caverique vult, ne *is qui* pro *talis qualis* accipiatur. Immo *is*, quod praeter Codd. etiam Ioannes Sarisberiensis, a Maio mox adductus, locum nostrum exscribens, tuetur, si abesset, ego quidem desiderarem propter emphasin, quae in eo pronomine inest. Ac defendit Gernhard. l. l., apte collato Top. 19: *neque enim tu is es, quem nihil nisi ius civile delectet.* Pronomen *tu* abiiciunt Edd. quaedam; aliae verbum *es*: nullo modo audiendae.

mens] Dresd. 1 *qualis mens.*

quoiusque] Uff. et Dresd. 2 *cuius.* Vulgo *cuiusque.* MDarm. *cumque.*

is est] Dresd. 1 *est is.* Conf. *hiis* (*his*) *et*, improbante correctore.

quisque] Io. Sarisberiensis metalog. III, 7 sic: *Cicero in libro de re publica ait, tu non is es, quem exterior forma designat, sed mens cuius is est quisque.* Ciceronem imitatur etiam Lactantius de opif. D. c. XIX. Maivs.

figura] Omittit Bern.

digito] Abest ab Os.

demonstrarei] *Monstrari* Cdd. aliq. Orellivs. Qui sint ignoro: ex meis libris soli praestant Dav. et Petrarcha. Itiner. fol. 21 verso, Heinrichio allatus.

te igitur scito esse] Uff. V. Vi. Rob. Steph. *igitur scito te esse.* Vind. 3 *igitur te scito esse.* Rom. *te esse igitur scito.* Pro *igitur* Conf. *ergo.* Maius ed. alt. ad h. l.: „Confer Ciceronem tusc. I, 23—25. Dio Cassius in vaticanis excerptis p. 533 videtur item ad Ciceronis verba respicere, dum ait in Curtii concione: *εἰ γὰρ δεῖ δή τι θρασυνόμενον εἰπεῖν, οὔτε ἄνθρώπος οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ θεὸς σῶμα θνητὸν ἔχων· οὔτε θεὸς ἄλλο τι ἢ ἄνθρωπος ἀσώματος, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἀθάνατος.* Immo vero Moses nos docet *αὐθεντικῶς* creatum esse hominem ad imaginem similitudinemque Dei. Sunt autem ea, quae sequuntur, de animi immortalitate e Platonis Phaedro, ut dicit ipse Cicero tusc. I, 22, quem locum ego posui in testimoniis.“ *Μικρὸν κόσμον* esse hominem Plato statuerat, item dein Aristoteles. V. Theodor. in Boissonadii Anecd. T. I. p. 221. Olympiod. in Aristot. Meteor. T. I. p. 221. ed. Idel. Orell. ad Sallust. de mundo 4. p. 90.

est deus] Ita Darm. S. Sm. Bern. Goth. Vind. 3, Mon. MSS. Klein. Rom. B. Iu. A. Asc. 1. Vulgo *deus est*, quod retinent MOs. et MDarm. Pro *deus* Dresd. 1 *animus*, vulgato verborum ordine.

quei viget, quei sentit] Transponit haec membra Vind. 3.

providet] Edd. nonnullae *praevidet.* Dresd. 1 *praetendet.*

tam] Uff. in marg. *tanta.*

regit] Dresd. 1 *tegit.*

movet] Dresd. 1 *monet.*

id corpus] Dresd. 2. Cr. Edd. Ven. et Dav. *hoc corpus.*

corpus, quoi praepositus est] Dresd. 1 *id corporis nostri praepositus est.* Vulgo *cui.*

hunc] Cod. ap. Verb. omittit.

mundum] Dresd. 1 *modum.*

ille princeps deus: et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, seic fragile corpus animus sempiternus movet.

XXV. 27. Nam quod semper movetur, aeternum est; quod autem motum affert aliquoi, quodque ipsum agitatur

ille princeps] Edd. nonnullae ap. Mos. et Orell. *princeps ille.*

deus] Abest a Vind. 3. Maius ed. alt.: „Praeclare Cicero agnoscit vim mundani motus a Deo profectam esse originaliter; contra philosophos illos, qui mundum animal esse aiebant."

et ut mundum] Absunt a Dav.

mundum] Praemittunt *ille* R. MOs. MDarm. R. Macrob. Vulpii Vind. 2. Mon. sec. m; *ipse* V. Vrat. et Os., retento altero *ipse*, eodem deleto M; *ipsum* Goth. Conf. Dresd. 1 et Edd. quaedam ap. Mos. et Orell.

ex] Abest a MOs. et MDarm.

mortalem] Vrat. et Ed. Ven. *mortalis*, ut Darm. et S. in quibus totus locus ita exhibetur: *et ut ipse mundus ex quadam parte mortalis. ipse deus aeternus; sic fragile* etc. Atque Uff. *praepositus est. Qui ille princeps deus hunc mundum et ut ipse mundus ex quadam parte mortalis ipse movet aeternus.* Sm. *et ut ille mundum quadam parte mortalem ipse* etc. Bern. *ut et mundum ex quadam parte mortalem ipse.*

ipse] Vind. 3 *ille.*

deus aeternus] Vind. 2 *deus et aeternus.*

animus] Omittit MDarm.

Nam quod semper etc.] De hoc loco, ex Phaedro Platonis p. 245 Steph. p. 38 Bekk. expresso accurate egit Muretus Var. lect. VIII, 3... Totum autem hunc Platonis locum repetiit Cic. in Tusc. I, 23, 53—55, paucissimis vel nullis potius factis mutationibus; quare et haec loca sibi invicem ad emendandum inservire possunt, et qui in Tusculanas scripserunt commentarios, iidem nostro loco et corrigendo et interpretando adhibendi. Moserus. Cum sententia conferantur haec Prisciani I. p. 19: *Animae enim per se moventur, ut philosophis videtur, et corpora movent: corpora vero nec per se sine anima moveri possunt, nec animas movent, sed ab illis moventur.*

movetur] R. *movet.*

aeternum est] Exprimit hunc locum Lactantius inst. VII, 8 et de op. D. XVII. Tum Proclus ait: τὸ ἀεικίνητον, ὅτιον. Maius ed. alt.

quod autem motum] Pro *autem* MDarm. *vero.* Dresd. 1 *non.* Valde miror neminem adhuc, quod sciam, in verbis *quod autem motum affert alicui*, impegisse, quae vitio laborare mihi quidem videntur. Quod enim ipsum agitatur aliunde et aliquando vivendi habet finem, quodque aeterno, quod semper moveatur suo ipsius motu et vi, ex mente Ciceronis opponitur, id plane non intelligo quomodo dici possit afferre motum alicui, h. e. alii cuipiam. Immo quod alicui motum affert, id eo ipso est aeternum, quod motum alicui affert. Quam parum apte illa dicta sint, *quod autem motum affert alicui*, percepisse videtur librarius Dresd. 1, quum pro *autem* corrigeret *non*; qua lectione verborum sensus quidem immutatur et ita ut *quod non motum affert alicui*, aeterno opponi possit, nihil tamen efficitur ad manum Ciceronis restituendam. Scripturus enim, mea sententia, Cicero fuisset *quod motum non affert alicui*, si quidem ita loqui voluisset. Sed displicet praeterea tota sententia. Erat quum putarem, locum sanari posse mutato *adfert* in *aufert*, quod revera Cr. exhibet, ita ut sensus esset: quod autem aliunde mo-

aliunde, quando finem habet motus, vivendei finem habeat necesse est. Solum igitur quod de se movetur, quia num-

tum accipit quodque igitur per se non movetur. Hoc sensu nihil aptius inveniri poterat: sed obest usus dicendi. *Auferre* quamquam notum est etiam apud Ciceronem significatione verbi *impetrare*, *decipere* dici: tamen si adiungitur id, unde quispiam aliquid accipiat, constanter *ab* cum ablativo ponitur, nunquam, quantum memini, dativus. Quare, vitium, si non datum fuit ex medio tollere, satis visum fuit notare.

motum affert] Vind. 3 *affert motum*.

quodque] Uff. *quem*. Dresd. 2. Edd. Ven. et Dav. *et quod*. Aliae Edd. ap. Mos. *quod*.

ipsum] Revocavit omissum a Maio, qui nunc reposuit, Heinr. et Zellio Moserus ex Uff. Mon. permultisque Edd. Neque aliter tam Orellii, ut videtur, quam mei codices ad unum omnes, nisi quod in Vind. 2 *ipse* est. Idem suppeditat Bern.

agitatur aliunde] Vind. 3 *aliunde agitatur*. Pro *agitatur* Edd. nonnullae *agitur*.

aliunde] *Alicunde* Q2x., uti Regius. Alii in Tusc. I, §. 53. Orellius. *Alicunde* Os. Darm. Goth. Dresd. 2 Vrat. Rom. *Aliquunde* MGoth. De discrimine harum formarum mihi adhuc non liquet, neque scio, accurate qui de eo exposuerit. Non haesitavit *alicunde* cum aliis Madvigius in dissensu codicum edere de fin. V, 11, 31. Si tamen distinguendae sunt, non videtur alia sensus differentia statui posse, quam quae ex diversa utriusque vocis origine colligitur. *Aliunde* enim ex *alius*, *alicunde* ex *aliquis* factum esse videtur, ita ut hoc sit *irgendwoher*, illud *anderswoher*. In loco ex Tusc. allato Heinr. affirmat *alicunde* exhiberi in Codd. Gud. et Rehdig. Nostro vero, illud si discrimen sequamur, patet unice verum esse *aliunde*. Ceterum Dresd. 1 *quodque ipsum agitatur et movetur aliunde*. Dresd. 2 *quod ipsum agitatur alicunde quod de se movetur*.

quando] Dresd. 2 *quia*. Bern. *quo*, sed hoc dubium ob rasuram.

habet finem] MDarm. et MGoth. *finem habeat*.

habeat necesse est] Goth. *necesse est habeat*.

igitur] Dresd. 1 *ergo*.

de se movetur] Codd. nostri *de se movetur*, et ita etiam Ed. Ven. *De se* enotavit etiam Verb. ex Cod. MS. In Tusc. est *quod sese ipsum movet*. Mossvs. Ipse tamen cum reliquis omnibus dedit *sese movet*, ut post eum etiam ceteri, et nunc Ianus quoque, invito eo ipso Tusculanarum loco, quo quod additur *ipsum* docet, *sese movere* non posse dici, ubi de aliquo agatur, qui non de alio, sed de semet ipso moveatur. *Sese* minime eam habet vim, ut alii opponatur. Necesse autem hic est expresse designari, aliquid de se ipso moveri, non de alio: cui sententiae unice conveniunt quae subiiciuntur *quia numquam deseritur a se*. Receptam lectionem firmant Os. Bern. R. cum Rom. et Dav. atque ex parte etiam Darm. Conf. Vrat. et Vind. 2, *de se movet* exhibentes, uti etiam P. edidit; praeterea Vind. 3 et Vrat. Macrobii *se movet*. Quam distincto dicendi modo scriptores in consignanda eius notionis differentia usi sint, exempli gratia potest unus Iocus Senecae in simili sententia docere, Nat. quaest. II, 8: *Nihil enim non infestiane vehementius est: et tam mehercule quam nihil intendi ab alio potest, nisi per semetipsum fuerit intentum. Dicimus enim, eodem modo non posse quidquam ab alio moveri, nisi aliquid fuerit mobile ex semetipso.* Ut certa videntur quae reposui, ita tamen non intercesserim praelaturo, quod in Goth. MOs. et M. Goth. exstat, *se ipsum movet*, plane ut in

quam deseritur a se, numquam ne moverei quidem desinit. Quein etiam cetereis, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendei. Principei autem nulla est origo; nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nascei potest; nec enim esset id principium, quod gigne-

loco Tusc. Ceterum intelligitur id quod Graeci *αὐτοκινησίαν* dixerunt, qua voce usus est Aristides Quintil. de mus. p. 134, vel *αὐτοκίνησιν*, vel *τὸ αὐτοκίνητον*, cuius passim apud Damascium de princ. mentio fit.

deseritur a se] Goth. *a se deseritur.*

ne] Abesse ait Verb. a Codd. MSS. Nostri quidem id omnes et scripti et Edd. servant: sed Cod. Uff. omittit *quidem*. Moservs. Vind. 3 *nec*: quod ferri nequit. V. Adnot. cr. in Quintil. X. Part. III. p. 10. Abest *ne* reapse a Bern.

desinit] Proclus: *νοῦ γὰρ εἰκὼν ἡ περιφορά, καθάπερ ὁ ἀθηναῖος Ξένος ἐδίδαξεν.* Item alibi Proclus circuli genesim ait esse animi imaginem. *Ὁ μὲν οὖν κύκλος εἰκών ἐστι νοῦ· μένει γὰρ, κατὰ τὰ αὐτοῦ καὶ πρόεισιν, κατὰ τὰς γονίμους αὐτοῦ δυνάμεις· καὶ ἐπιστρέφει πρὸς ἑαυτὸν, κατὰ τὴν πανταχόθεν αὐτὸν περιλαμβάνουσαν ὁμοίως γνῶσιν· καὶ τὸ μὲν κέντρον εἰκὼν τοῦ ἐν αὐτῷ νοητοῦ καὶ ἀμεροῦς καὶ ἀφετοῦ· αἱ δὲ ἐκ τοῦ κέντρου γραμμαὶ ἐοίκασιν ταῖς ἀπείροις αὐτοῦ δυνάμεσιν, δι' ὧν παρόγει πᾶν τὸ ἑαυτῷ πλῆθος τῶν νοητῶν· ἡ δὲ περιφερία δι' ἧς συνελίσσεται πάλιν εἰς τὸ κέντρον, καὶ περιπτύσσεται πανταχόθεν αὐτὸ, ταῖς νοήσεσιν ταῖς εἰς τὸ ἓν καὶ τὸ νοητὸν ἐπεστραμμέναις.* Maivs ed alt. Lamb. *desinitur.*

cetereis] Dresd. 2. Cr. Edd. Ven. et Dav. *cunctis.*

fons] Vind. 2 *finis.* Subiicit *est* MOs.

est] Omittit Bern.

Principei] Lamb. correxit *principii*, quod non reiicerem, si in libris MSS. reperiretur. Sed repetiit eam lectionem Lamb. ex Tusco. ubi est *principii.* Moservs. Suppeditarunt revera *principii* Conf. MOs. MGoth. et MDarm. Vulgo *principio*: ita Ianus quoque.

est] Abest a Bern.

ex] Vind. 2 *et a*, sed *et* lineola subterducta notatum. MOs. *a.* Darm. *et.* Vrat. *e.*

oriuntur] Bern. *moventur.*

nulla ex] MOs. *ex nulla.* MDarm. omittit *ex.*

nulla] Cr. *ulla.*

alia nasci potest] Sic Macrob. A., cuius in talibus praecipua est auctoritas. Item Codd. multi, v. c. O6x. [Darm. MDarm. Dresd. 1. 2. Os. S. Goth. MGoth. (nisi quod habet *alia potest nasci*) Vind. 2. Uff. Cr. (nisi quod hic *vera* pro *alia*) Mon. Cod. Car. Steph., sed omisso *alia*] A. V. Grut. Oliv. 1. 2 [aliaeque Edd. ap. Mos.], ut est in Tusc. Omittunt v. *alia nasci potest* Codd. aliq. Lang. Graev. 3. Mai. Heinr. Mos. Nobb. [Zell.] Hinc varie suppleta sunt: *nulla ex re fieri potest* M. Ma. [aliaeque Edd. ap. Mos.]; *nulla ex re oriri potest* L. 1566 (Postea: *ex re alia oriri potest*) [Wolf. Plant.]; *nulla fieri ex re nascive potest* ex Erfurd. P. Orellivs. Vind. 3. Conf. Vrat. Macrobii *alia fieri nascive potest.* R. *nulla alia ex re nasci potest.* Bern. *aliqua non nasci potest.*

esset id principium] Sic Macrob. A. P. Vi., ut est in Tusc. [Item in Darm. MDarm. MOs. Bern. S. Goth. Vind. 2. 3. (nisi quod in nonnullis *illud* pro *id*) Dresd. 2. Os. Mon. Ed. Ven. aliisque ap. Mos.] *Id esset princ.* 1. 2. Heinr. [qui id in MSS. suis et Dav. reperit, etiam de Tusc. loco consulendus] Mos. Nobb. [Zell.] *Esset hoc princ.* V. M. Ma. L. [aliaeque ap. Mos.] Omittunt *id* Graev. Mai. [Item. Cr. Lehn.] Orel-

retur alinnde: quod si numquam oritur, nec occidit quidem umquam. Nam principium exstinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit, siquidem necesse est a principio orirei omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec morei: vel concidat omne caelum, omnisque

LIVS. Uff. *principium esset id.* Maius nunc vero, ut cum Orellio edidimus. Dresd. 1 *esset*, omissis *id principium*.

gigneretur] Darm. *gineretur*. Mon. pr. m. *nasceretur*.

aliunde] Goth. *aliunds*.

numquam] MOs. MGoth. et MDarm. *non*.

oritur] Subiicit Uff. *neque oritur*. Abest a MDarm.

nec] Revocavi pro *ne*, quod ab editoribus recc. omnibus retinetur, atque ex praeceptis Gernhardii ad Senect. 9, 27 Moserus defendere studet, ex Darm. libris Klein. Bern. MDarm. MGoth. MOs. Goth. Dresd. 1. 2. Vind. 2. 3. O2x. permultisque Edd. vett. ap. Orell. et Mos., qui de Uff. silet. V. Adn. cr. in Quintil. l. l.

occidit] Dresd. 1 *accidit*.

principium exstinctum] R. *principium si exstinctum est*.

ipsum] Rom. *ipsum umquam*.

ab alio renascetur] Cr. Os. cum Ed. Ven. *renascetur ab alio*. Uff. *renascetur ab alia re*. Dresd. 1 *ab alia renascetur*. Dav. 2 *renascetur ab alio*. Vrat. *ab alio renasceretur*. MOs. MGoth. et MDarm. *ab alio nascetur*.

creabit] Dresd. 1 *errabit*.

orirei omnia] Edd. nonnullae cum Os. Dresd. 2. Conf. Dav. aliisque Edd. *omnia oriri*. Rom. *omnia a principio oriri*.

ut motus principium] Uff. *motus ut principium*.

exs] Vulgo *ex*.

a se movetur] Darm. *ex se m.*, cum nota in marg. „alii *a se aequitur*.“ Darmstadiensis lectionem m. 1. repetit, teste Heinr., in Tusc. I, 23, ubi vulgo *a se mov.*, Codex Duisburg. Ceterum R. *de se movetur*, quod praestare possit videri propter superiorem locum.

nec morei] Cr. Dresd. 2. Confluentini corrector cum Dav. *nec emori*. Uff. *nec ve mori*. Hinc natum quod legitur in Vrat. et Mon. *nec moveri*, sed Mon. a 2 m. *nec moni i. licet*. Darm. *nec moveri*, sed suprascriptum „vel *morei*.“ R. *nec item morei*.

nec morei] MGoth. *vel* pro *nec*.

vel concidat omne caelum etc.] Plato Phaedro l. l., quem Noster liberius vertit: ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γένεσιν συμπεσοῦσαν στῇ καὶ μὴ ποτε ἀνθῇ ἔχειν ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. *Consistere* patet dici de immobili natura stata, qua omnis generandi facultas, quae absque motu esse non potest, tollatur, eodem sensu quo *consistere* de gelu dicitur, veluti apud Horat. Od. I, 9, 4: *gelaque flumina constiterint acuto*, ubi v. intpp. Probe autem Cicero *concidat caelum* et *consistat natura* distinxit, quandoquidem Orat. 28, 98 ipse dixit: *quod semel constiterit, numquam cadet*. Ceterum totus locus tum in Codicibus, tum ab editoribus superiorum aetatum mire turbatus. Lamb. *concidant om. c. om. nat. consistant*. Alia refert Mos.

natura] Langius volebat *terra*, id quod exstat in ed. Plant., qua de lectione v. Mos.

consistat] Darm. Vind. et Bern. praemittunt *nec*, Os. OSm. Dresd. 2.

natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsa moveatur.

XXVI. [IX.] 28. Quom pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est quei hanc naturam ani-

in quo est *concidat*, Vrat. S. Conf. Cr. Mon. et Edd. quaedam vett. Mosero et Orellio laudatae cum Dav. et Rom. *et*, quod edidit Schütz. iam antea in Plant. vulgatum, et nunc ab Iano ex libris suis, ut videtur, revocatum; R. *vel*.

necesse] In Mon. suprascriptum *principium*.

vim ullam] Vind. 3 *ui ulla*. R. *ullam vim*.

nanciscatur] Abest a Dresd. 1, sed cum lacunae indicio, et, si recte in schedas retuli, etiam a Vind. 2. Lamb. *nanciscantur*.

qua a primo impulsa moveatur] Ita [*quae a primo impulsu moveatur*] Codd. Cr. et Mon. [adde Darm. Vind. 3.] Edd. Asc. 2. Ven. Crat. Herw. Rob. Steph. Boul. Tig. (hae duae in marg. habent *qua*) Sturm. Lugd. Grut. A. Mai. Heinr. Lehm. Sed Plant. Wolf. Ern. Bip. Verb. Sch. *qua a primo impulsa moveatur*. Edd. Sylb. Car. Steph. Ald. et Goez. *qua primo impulsu moveatur*. [Ita Vind. 2.] Lamb. *qua primo impulsu moveantur*. Bern. *quae primo impulsu moveatur*. [Immo teste Gernhardio *qua a primo impulsa mov.*] Olivet. et Ochsn. *qua, ut primo impulsa, moveatur*: quod valde arridet. In Tuscc. variat item Lectio. Mosrvs. R. et Vrat. *antequam* (hic *quam*) *a primo impulsu m.* Vi. *a qua primo impulsu moveatur*. Conf. Dav. Rom. $_a$B. Iu. *qua a primo impulsu mov.* A. Macrob. Vulpii cum S., ubi *qm* scriptum et MGoth. *quam a primo impulsa mov.* Sm. *qua a principio impulsa mov.* MOs. et MDarm. *quam a primo impulsu mov.* Receptam lectionem firmant Dresd. 1. 2. Goth., in quo tamen vitiose *impulsu*, probatam etiam Orellio, qui *a primo* adverbialiter accipiendum esse, ut aliquoties apud Ciceronem (de rep. II, 25 ubi v. not.), adnotavit.

moveatur] Apud Proclum insignis legitur locus hic. *Δερκυλλίδης τὴν τοῦ θείου σώματος περιφοράν, τὸ αὐτὸ τέλος ποιουμένην καὶ ἀρχήν, τοῦ μηδέποτε συμπεσεῖσθαι τὸ πᾶν αἰνίττεται· καὶ γὰρ τὴν βαρεῖαν τὴν περὶ τὸ δακτύλιον κινουμένην μὴ πίπτειν, ἕως ἂν περιφέρηται· καὶ τὸν ἐπὶ τῆς γῆς κυλιόμενον τροχὸν στάντα δὲ ταῦτα, πίπτειν εὐθύς· εἰ οὖν συναποκατασταντες εἰς ἓν σημεῖον ἔστησαν οἱ ἀστέρες, ταὐτὸν ἀνέπαθον. νῦν δὲ τὸ πέρας αὐτῶν, ἀρχὴ ἄλλης γίνεται περιόδου· καὶ ἡ συναποκατάστασις οὐκ οὖσα στάσις ἀλλ' ἐγερτήρια τῆς ἑξῆς περιόδου, τηρεῖ τὴν κοσμικὴν τάξιν.* Maivs ed. alt. De Dercyllida laudato mihi non liquere; neque eum cum Dercyllo, Argolicorum scriptore, confundendum esse, olim monui Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 609, neque est quod post ea, quae de Dercyllo adnotavit Iahnius ibid. 1841. p. 162, sententiam mutem.

Quom] Alii *cum*: alii *quum*.

pateat] Lamb. *pareat*, adstipulante Pareo Lex. crit. v. *parere*; neque ego, si vel unus codex addiceret, non susciperem. De hac verbi potestate v. praeter Parcum et Reissenium Zumptium ad Div. in Caec. 17 *si paret*, ubi legendum esse *si pareat* aliquando demonstrabimus.

igitur] Uff. *ergo*.

aeternum] Omittit Goth. Uff. *id aeternum esse*. Vind. 2. *id esse aeternum*. Dresd. 1 omittit *id*.

a se ipso] Bern. et MOs. *se ipsum*. MGoth. et MDarm. *ipsum se*.

ipso] Abest ab Os. Dresd. 2 et Dar.

moveatur] R. et Rom. *movetur*. Bern. MOs. MDarm. et MGoth. *moveat*.

meis esse tributum neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo; nam haec est propria natura animi atque vis. Quae sei est una exs omnibus, quae sese mo-

quis est quei] A. B. aliaeque Edd. ap. Mos. *quis est hic qui.* Dresd. Cr. et Uff. omittunt *est qui.*

hanc naturam animeis] Darm. *animis hanc naturam.* Vocem *animis* omittit Dresd. 1, sed relicto spatio vacuo.

esse tributam] Cr. et Dav. *tributum esse.* R. et Conf. omittunt *esse*, probante Heinr. in App. p. 17, simul monente, non aliter legi Tusc. I, 23, 54 in Cod. Rehdig. Bern. *esse attributum.*

Inanimum] Edd. nonnullae cum Bern. Dresd. 2 et R. *inanimatum.* Falso. Patet enim *inanimum* dici id quod animam non habet neque unquam habuit, *inanimatum* vero, qua voce refert Moserus a quibusdam dubitari an Tullius unquam usus sit, id quod anima privatum est. De Off. II, 3, 11: *partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea quae gignuntur e terra . .. partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus.* Quare recte Orellius Lael. 19, 68: *nec vero in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quae sunt inanima, consuetudo valet: quum bovis ipsis delectemur, monstosis etiam et silvestribus*, ubi vulgabatur *inanimatis.* Verba *inanimum est* absunt a Dresd. 1. Margo R. *in animis.* Rom. *in animo*, „et ita, ni fallor, ut ait Heinr. App., Tusc. I.]. Rom. a. 1469 et Cod. Rehdig. et Duisburg. a me excussi."

est enim omne] MGoth. *enim est omne*: item margo R. et Uff. sed hi omisso *omne.* Vox *enim* abest a Vind. 3. Vrat. Macrobii et Rom., item a Tusc. libris ab Heinr. adhibitis. Loco eius Conf. et Ed. Asc. 1 *autem.*

pulsu] Olx. M. Ma. L. P. aliaeque Edd. ap. Mos. *impulsu*: item Vind. 2 in marg. Conf. Rom. et libri Heinrich. in Tusc. Dresd. 2 *motu.*

externo] Margo R. et Os. *aeterno.*

est animal] Ita Dresd. 1. Darm. S. Sm. Vind. 2. 3. Goth. Mon. R. Vrat. corrector Confluentini Rom., quibus parendum fuit. Vulgo *animal est.* Pro *animal* Vrat. corrector Confluentini MOs. MDarm. MGoth. Bern. (hi vero quatuor verborum ordine nunc revocato) Vind. 3. Olx. B. Iu. M. Ma. Ven. Asc. 2 *anima*, de qua varietate facile iam decernendum ex loco de Off. supra laudato

id] Uff. *illud.*

motu] Dav. *pulsu.* MOs. *motus.*

cietur interiore] Haec in unum conflata in Vind. 2, *citeriore* exhibente. Utrumque abest a Dresd. 1, sed cum lacuna; *interiore* a Dresd. 2.

et suo] Omittunt M. et Ma. Rom. totum locum ita exhibet: *interiore et suo citetur.* Et ita fortasse Dav. quoque.

propria natura] Sic, ut in Tusc. Codd. aliquot, B. Iu. L. P. Vi. *Natura propria* Ceteri. Orellivs. Receptum verborum ordinem, quem Gernhardius quoque ex sententiae ratione et suorum librorum auctoritate defendit Prolus. II. p. 15, firmant Darm. Vind. 2. 3. Goth. Dresd. 1. MDarm. MGoth. MOs. Mon. MSS. Klein. Edd. Rom. Wolf. Plant. Pro *propria est* in Herw. *propria*, uti ap. Macrob. vulgatur.

animei] Sic, ut in Tusc. O5x. Vi. e Codd. 3. 1. 2. Orellivs. Edd. quaedam *animae*, praeter Ciceronis usum, de quo v. Mos.

atque] Subiicitur *propria* in MGoth.

Quae sei est] Bern. *quasi est.*

sei est una] MOs. et Uff. *si una est*, hic omisso mox *ex.* MDarm. omittit *una.*

exs] Vulgo *ex*, et mox *exerce* et *exercitatus.*

veat, neque nata certe est et aeterna est. 29. Hanc tu exserce optumeis in rebus; sunt autem optumae, curae de salute patriae: quibus agitatus et exsercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit. Idque ocius faciet, sei iam tum, quom erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxsume se a corpore abstrahet. Namque eorum animei, quei se

sese] Dresd. 1 *se.* MOs. *ipsam.* In Macr. vulgatur *se ipsa.*

moveat] Uff. et Dresd. 1 *movet.* Bern. *moveant.*

neque] Praemittit Os. *quae.*

certe est] Sic, ut in Tusc. R. B. Iu. A. V. L. P. Vi. Orellivs. Item Mon. Darm. Vind. 2. libri Klein. Goth. Dresd. 1. Edd. Asc. 1. Rob. Steph. et Macrobius. A Vind. 3, si recte notavi, *est* abest. Reliqui *est certe.*

et] Uff. *neque.*

aeterna est] Haec sunt ultima verba loci Platonici ex Phaedro. Moservs. *Est* abest a Bern. MGoth. et MDarm.

optumeis] MDarm. *obtimis*, ut mox *obtimae.*

optumeis in rebus] Sic Macrob. R. B. Iu. A. L. P. Vi. [Asc. 1.] *In optimis r.* Ceteri, cum recentioribus. Orellivs. Illud recte Mon. Conf. Vind. 2. 3. MOs. MDarm. Goth. MGoth. Dresd. 1. Darm. et Vrat., quorum ambo posteriores etiam quod reponendum erat *optumis* praestiterunt, uti etiam in loco subsequente *optumae.* Eundem verborum ordinem S. Sm. (in his item *optumis*) et Rom. *In* omittit Bern.

optumae] B. Iu. Asc. 1. *hae optimae.* Addit *res* MGoth.

curae] Uff. *eae*, ex compendio v. *curae* natum. Bern. *esse.*

salute patriae] Rom. *patriae sal.*

agitatus et exsercitatus] Uff. *exerc. et agitatus.* Dresd. 1 *exercitatis et agitatis.* Pro *agitatus* Rom. *exagitatus.* Pro *exercitatus* MOs. *exercitus.*

velocius] M. Ma. L. *velociter.* Genuinam lectionem etiam a codd. meis firmatam primus Ursinus restituisse Mosero dicitur. Item codd. Gernh.

Idque] Dresd. 2. Cr. et Dav. *ideoque.*

ocius faciet] Conf. *facies ocius.*

faciet] Uff. *facit.*

iam] Dresd. 2 *eam.* Omittit Rom.

tum] MOs. et Ed. Ven. *tunc.* Dresd. 2 *nunc.*

quom] Vulgo *cum*, aut *quum.*

erit inclusus] B. Iu. Vi. Asc. 1 *inclusus erit.* Omittit *erit* Rom.

eminebit] Vind. 2 *manabit*, sed illud in marg. ab alia m. R. *emanabit.*

eminebit foras] Goth. *foras eminebit.*

foras] Os. *foris.*

extra erunt] Uff. *erunt extra.*

erunt] Cr. *sunt.* Dresd. 1 *erunt.*

maxsume] Vulgo *maxime.*

se a corpore] Cr. Dresd. 2. R. et Ed. Ven. *a corpore se.* Haud male.

abstrahet] MGoth. cum Ed. Asc. 1 *extrahet.* Dresd. 1. *extrahit.* Rom. *abstrahat.* Beda l. l. *extrahat.*

Namque] Sic O6x. B. Iu. A. V. Oliv. 1. 2. *Nam* O1x. M. Ma. L. P. 3. Mai. [Heinr.] Mos. Nobb. [Zell.] contra optimas auctoritates.

corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque lubidinum voluptatibus obœdientium, deorum et hominum iura violaverunt; corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur; nec in hunc locum, nisi multis exsagitati saeculeis, revertuntur. Ille discessit; ego somno solutus sum.

Orellivs. Receptam lectionem firmant Codd. Moseri atque ex meis Darm. Dresd. 1. 2. Os. Goth. Vind. 3. et Macr. item codd. Gernh. cum MGoth. MDarm. et MOs.

corporis voluptatibus] Vrat. Conf. B. Iu. V, Asc. 1 *vol. corp.* et ita vulgatur in Macrobio, invitis codd. meis.

dediderunt] Qlx. Vind. 2, Goth. Vrat. Os. MGoth. MDarm. *dederunt.* Conferri Heinr. iubet VV. LL. ad Cat. mai. 13, 43 et Heusingeri Emendat. I, 1. p. 3 sq. V. ad c. 23. Victorius et Rob. Steph. *dedidere.*

se] Omittit Bern.

praebuerunt] Iidem cum Dresd. 2. et Dav. *praebuere.*

impulsuque] Rom. *et impulsi.*

lubidinum] Vulgo *libidinum.* Eandem illam scripturam, de qua ad I, 9 monui, exhibent Codd. Vatic. or. pro Flacco et pro Fonteio, teste Niebuhrio p. 110.

obedientium] Uff. *obedierunt.* Bouherius susp. *obedientes*, quod exstat in Rom. MDarm. *obœdientium*, quod suscepi. V. ad III, 29, 41.

iura] Abest ab Os.

violaverunt] Dresd. 2. Dav. et Victor. *violavere.*

corporibus — volutantur] Absunt a Vind. 3. Bern. *e corporibus.*

circum] Darm. Uff. Dresd. 1 *circa.* Utra lectio praestet, equidem non dixerim.

volutantur] *Volutantur*, pro quo Mos. mallet, si in Cd. reperiretur, *volitant et vagantur*, est sanissimum. Cfr. etiam Tusc. I, §. 27. Orellivs.

in hunc] Scribitur *in hunc* in Codd. nostris et Edd. Ven. Herw. Wolf. Boul. Ald. Plant. Lamb. Goth. Sturm. Tig. Asc. Lugd. Moservs. *In hunc* Codd. aliq. M. Ma. L. P. Orellivs. Neque aliter Dresd. 2 Os. MGoth. MDarm. Vind. 3 et Macr. Vind. 3. Rom. Dav., quibus auctoritatibus obtemperandum fuit. Vulgo *hunc in*, quod servavit Ianus.

exsagitatei] Vind. 2. Macr. Vind. 3. Edd. Ven. Rom. vM. *exagitatis.* Totum locum Dresd. 1 ita: *multis saeculis revertuntur, exagitati.* Vulgo *exagitati.* Omittunt Sm. et MDarm.

saeculeis] S. Sm. MOs. et Dav. *seclis.* Dresd. 2. Ed. Asc. 1 *saeclis.* Mon. m. sec. *periculis.*

revertuntur] Locum hunc respicit, seu potius emendat, Lactantius inst. VII, 10 et 20. Veramtamen II, 17 malos spiritus (daemonas) ait condemnatos a Deo perque tellurem abiectos. Proclus item, seu Plato, animas bonorum in caelis vagari facit, malorum autem in terris vel sub terris. Sic enim Proclus: *αὐταὶ οὖν πολλὰ πορευθεῖσαι, τοῦτον ἔπασχον· πολλὰ δὲ ἐπορεύθησαν, αἱ μὲν κατ' οὐρανὸν συμπεριπολοῦσαι τοῖς οὐρανίοις θεοῖς· αἱ δὲ ἐν τοῖς ὑπὸ γῆς τόποις ποικίλας ἔχουσαι μεταβάσεις, ἀπ' ἀλλήλων εἰς ἀλλήλους, ὡς ἑκάστην ἦγεν ὁ τῆς τίσεως νόμος.* Et alibi idem Proclus: *τὰς μὲν οὖν ἐκ τῆς γῆς ἀνιούσας, κόπους πεπληρῶσθαι καὶ ἀνχμοῦ· τὰς δὲ ἐξ οὐρανοῦ κατιούσας, εἶναι καθαρὰς τούτων. — ὧν οὖν καὶ τὰ ὀχήματα ἦν ἔνυλα καὶ σκοτεινά, καὶ ἅτε τῆς παχυμερίας οὐσίας ἀναπλησμένα, ταύτας αὐχμοῦ καὶ πάντως εἶναι μεστάς· ὧν δὲ κουφότερα τὰ περιβλήματα, καὶ φωτεινότερα διὰ τὴν ἐν οὐρανῷ διατριβήν, ταύτας καθα-*

ρωτέρας κ. τ. λ. Tum demum animae post mille annos, iterum (qui est sollemnis error παλιγγενέσεως) ad nativitatis λειμῶνα venire dicuntur, de quo Empedocles apud eundem Proclum ἔνθα κότος τε φόνος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα κήρων· — ἄτης ἐν λειμῶνι κατὰ σκότος ἰλάσκονται. De millenario temporis spatio sic Proclus: ἔοικεν ἡ χιλιὰς χρόνος εἶναί τις περιοδικὸς ἀπὸ γενέσεως ἐπὶ γένεσιν ἄγων τὰς ψυχάς, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸ τῆς τελείας ἀποκαταστάσεως κ. τ. λ. Maivs ed. alt.

Ille discessit] Absunt a Dresd. 1. Interposuit Rom. *hoc dicens.*

discessit] Cr. *decessit.*

somno] *somno statim* V. M. Ma. Vi. (non A. L. P.) Orellivs. In Vind. 2 alia m. *statim* in marg. adiecit. Abest a Bern.

sum] Omittit A. Maius: „Post somnium narratum, statim fere dialogum absolutum fuisse arbitror, paucis verbis adiectis. Sic enim et Plato post Eris fabulam confestim opus concludit.“ Ceterum fragmenta longiora, quae ex Procli commentariis in Platonis Politiam Maius ed. alt. p. 366 vulgavit, quaeque de animarum corporibus solutarum conversatione agunt, repetere hic nolui, edita ex eodem fonte iam olim a me Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 606 sq.

LIBRORUM DE RE PUBLICA INCERTORUM FRAGMENTA.

1. Vicem lugeo. (Arusianus Messius Exempl. eloc. v. *doleo* p. 506. p. 222. Lindem.)

2. Idque ipsa natura non invitaret solum, sed etiam cogeret. (Nonius v. *invitare* p. 321.)

3. Nitito. (Diomedes lib. I. p. 330.)

4. Excellunt. (Idem ibid. p. 371.)

5. *In libris de re publica a Cicerone illa virtus dicitur, quae prudentia.* (Victorinus Prooem. ad I. Rhet. Cic. p. 102. ed. Capperonn.)

Vicem lugeo] Codex Frontonis [hoc nomine etiamnunc Maius Arusianum Messium appellare solet] ambr. et tres vat. habent *vitam lugeo*, ex Cic. de domo et rep. Ceterum quum Fronto citet locum sub voc. *doleo vicem tuam*, videntur Ciceronis verba fuisse *vicem doleo*; quae locutio occurrit in Verr. lib. I. 44. Maivs ed. alt. *Vicem* edidit etiam Lindem., etsi Codices eius *vitam* exhibeant. Nihil horum editorum Maium subsecutorum quemquam suboluit, omnibus, nullo, quantum sciam, excepto, *vitam* servantibus. Ceterum in altero eius locutionis exemplo afferendo Arusianus, quum lemmati *doleo vicem tuam*, *id est propter te doleo* Ciceronis de domo auctoritatem subiicit, non accurate egit, quandoquidem non potest non in mente habuisse illa quae in eius orationis nunc leguntur c. 4, 9: *et meam et aliorum vicem pertimescere.* Aut num genuina Ciceronis oratione dicamus usum eum fuisse? — Aliud fragmentum, ab eodem Grammatico laudatum, quod huic in Edd. omnibus anteponitur, relegandum fuit ad libri I fragmenta, ubi vide.

cogeret] Num pertinet ad primam operis lacunam, ubi auctor locutus fuerat de laboribus quos reip. causa clari homines pertulerunt usque ad devexam senectutem, quamvis natura *ad quietem non invitaret solum, sed etiam cogeret?* Maivs.

Nitito] Diomedes: *Nonnulli veterum etiam activo more tempus futurum imperativo modo ex verbis quoque passivis declinantes usurpaverunt, ut Tullius in dialogis de republ. Nitito, cum nitor sit positio verbi.*

prudentia] Hunc locum iam protuli ad lib. VI fragm. primum [a quo hic minime diversus esse videtur, ita ut, si severe agendum, hic

6. Et quamquam optatissimum est, perpetuo fortunam quam florentissimam permanere: illa tamen aequabilitas vitae non tantum habet sensum, quantum quom ex saeveis et perditeis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur. (Ammianus Marc. XV, 5.)

inducendus fuisset]. De Victorino, qui creditur a nonnullis scripsisse commentarios ad opus de rep. (propterea quod abs divo Hieronymo appellatur eius commentarius ad *dialogos* Ciceronis) recole dicta a me in praefatione; quorum confirmandorum causa, revocanda in mentem sunt quae scripsi p. 296 [in Coniecturis de quarti libri fragmentis], nempe Hieronymum affirmare, in Lactantii libris ἐπιτομὴν *dialogorum* Ciceronis reperiri. Porro exploratum est, Lactantii libros ex *dialogis* praesertim de rep. fuisse consarcinatos: atque idcirco videtur Hieronymus verbo *dialogorum* intelligere opus de rep. Ceterum fieri potest, ut Hieronymi de Victorino textus laboret eodem mendo, quo illum Rufini inquinatum diximus in extremo ad quintum de rep. scholio: ita ut intelligendus sit Victorini commentarius ad Ciceronis rhetoricam. Maivs ed. alt.

Et quamquam etc.] Maius ed. alt. ad I, 3 fin., ubi illud fragmentum interposuit: „Hunc locum a Tullio se sumere diserte ait Ammianus Marcellinus XV, 5; opus tamen, unde haurit, silet. Mihi vero videtur hoc frustum aptissime ad hanc sedem lacunamque quadrare, in qua Tullius de suo calamitoso exilio deque felici reditu in patriam fuerat locutus. Equidem locus haud valde absimilis, aliis licet verbis, extat apud Ciceronem ad pontif. XXXII, et post red. ad Quir. I (cuius postremi loci videsis interpretem meum vaticanum, qui perbelle docet, sententiam hanc sumpsisse a Platone vel ab Isocrate Tullium.) Verumtamen quia Ammianus videtur Ciceronem omnino ad litteram exscribere (neque enim stilus fragmenti sapit Ammianum) idcirco puto ex rep. sumere, quod opus innotuisse Ammiano constat e testimoniis a me prolatis n. 38." Tu vero vide quae notata a nobis sunt ad I, 3. fin. p. 21 et ad I fragm. 1.

optatissimum] Vulgo *optatissimum*, et mox *florentissimam*.

illa tamen] Vulgo *ita tamen*. Sed ego, Maio praeeunte, recepi coniecturam Patricii (Schol. in Fragm. II Cic incert. p. 42. ed. II. 1565) *illa tamen*. Olivetus (Cic. Opp. T. IX. p. 183) suadet *ista tamen*. . . . Idem Patricius, qua est circumspicientia, duos istius, qui est apud Amm., locos Tullianos longe simillimos investigavit: unum in Or. post red. ad Quir. c. 1: *etsi homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis perpetuaque fortuna* etc. alterum in Or. pr. Domo s. ad pont. c. 32: *etsi optabilius est* etc. Contra vero Maius, librorum de Rep. supplendorum studiosissimus, hunc locum ante I, 4 excidisse opinatur. Nobbivs De fragm. libror. Cic. incert. p. 7, quem exscripsit Orellius T. IV, 2. p. 575.

aequabilitas] Libri quidam Ammiani antiquiores sine sensu *qualitas*. Illud debetur Patricii acumini.

sensum] Post *sensum* asteriscum posuit Heinr., quasi lacunam hic esse suspicaretur, ut fortasse supplendum sit *voluptatis*. Mihi vero nihil videtur deesse, sed verbum *habere* Ciceronis more positum, ut *tantum habet sensum* sit i. q. *ita sentitur*, vel *tantum secum fert sensum*, ut est pro *afferre* in Or. de prov. conss. 4, 9: *deinde adventus in Syriam primus equitatus habuit interitum*. Epp. ad fam. V, 12 (Ed. Mart. Lagun. 13. p. 252): *habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem*. Moservs.

quom] Vulgo *cum*, aut *quum*.

7. *Aliud civitas non est, quam concors hominum multitudo.* (Augustin. C. D. I, 15. Tom. V. p. 59.)

8. *Cicero in dialogis nominavit* foedifragos Afros. (Interpres Cruquianus ad Horatium Od. IV, 8, 17. p. 232. b.)

9. Fannei, caussa difficilis laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est. (Servius ad Aen. VI, 877. ex Ciceronis dialogo.)

10. — *quod ait Cicero*: Quoniam sumus ab ipsa calce

concors] Var. lect. *consors*. Maivs.

multitudo] Num haec verba pertinent ad lacunam libri I post caput XXV? Num potius sunt verba Augustini? Maivs. Omisit fragmentum Heinr.; recte fortasse. — Quod huic fragmento auctore Maio subdebatur aliud ex Lactantio Inst. I, 9. init. petitum: *Hercules qui ob virtutem clarissimus, et quasi Africanus inter deos habetur*, id primus ex ordine Nobbius sustulit, plaudentibus ceteris editoribus atque nunc etiam Maio, qui in ed. altera omisit. Recte: nam ne patet quidem, an Ciceronis sint verba, quod equidem negare malim quam affirmare.

foedifragos Afros] Dialogorum tullianorum nomine libros fere de rep. intelligi, saepe a me dictum est. Et quidem Horatius atque eius interpres ibi loquuntur de Karthaginis eversore Scipione. Etsi autem Cicero off. I, 12 dicit *Poenos foedifragos*; opus quidem de officiis caret dialogo; tum varietas est *Poenos* pro *Afros*: quare vel locus alius videtur; vel certe, quod valde suspicor, pro *in dialogis*, interpres Horatii dicere debuit *in officiis*. Maivs. Omisit Heinr. De Punica fide omnia nota sunt: vide tamen Auson. Epist. X, 42.

Fannei etc.] Hunc locum citant, praeter Servium, etiam Hieronymus epp. CXXVIII. CXXX, et Quintilianus inst. IX, 3, 75: sed ille quidem libere, hic autem perverse et brevius, *non enim tam spes laudanda quam res est*. Locum vero pertinere ad libros de rep. qui *κατ' ἐξοχήν dialogi* dicuntur, probabiliter demonstrat Schottus nod. Cic. III, 5; consentiuntque Vallarsius ad Hieronymum et Burmannus ad Quintilianum. Quod autem Schottus verba haec pertinuisse putat ad eam operis partem, in qua de educatione actum fuit, id mihi secus videtur, praesertim quia diei secundi dialogo Fannius non interfuit. Schotto autem fraudi fuit Hieronymus, qui in ep. CXXVIII de puerorum educatione disserit. Meam igitur mihi liceat coniecturam exponere. Videntur mihi verba haec Scaevolae colloquentis cum Fannio laudantisque indolem Crassi, qui fuit ipsius Scaevolae gener (Cic. de or. I, 7) quique tantus orator evasit. Id autem fieri non potuit nisi fere in quinto libro, tertio die, cum artis oratoriae mentio fuit. Iam si recta coniectura est, imitatio Platonis fit, qui quasi in extrema pagina Phaedri laudandum a Socrate adulescentem Isocratem curat, cuius rei ipse Cicero meminit or. cap. XIII, et de opt. gen. or. VI. Quin adeo idem Cicero in fine dialogorum de oratore dat operam, ut Hortensii indoles, tum adhuc adolescentis et spe magis quam re oratoris, laudetur a Catulo eiusdem socero, nec non a Crasso oratore sene. Maivs ed. alt. Codd. Servii, teste Lione, *Fannio*. — Quae sequi iussimus fragmenta tria, ea a Maio in testimoniis operis Tulliani posita, huc cum Nobbio, cui obsecundavit Orellius, retuli.

calce] Cf. Cat. 23, ubi v. Germ. de hac vocis potestate disseren-

eius interpellatione revocatei — *hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant.* (Seneca Ep. 108.)

11. *Deinde Ennianos colligit versus et in primis illos de Africano scriptos:*

— — — — — quoi nemo civis neque hostis
Quivit pro facteis reddere operae pretium.
(Idem ibid.)

12. *Est enim apud Ciceronem in his ipsis de Republ. hoc epigramma:*

Sei fas caedendo caelestia scandere quoiquam:
Mei solei caelei maxsuma porta patet.
(Idem ibid. Cf. Lactant. Inst. I. I. c. 18.)

tem. Adde Tusc. I, 8: *Nunc video calcem; ad quam cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum.* De *creta* adi Pithoeum Adversar. I, 11 (Grut. Thes. crit. T. II. p. 757.)

pretium] Reliqua Senecae verba v. in Testimoniis. Sunt vero isti versus Enniani ex epigrammate sive elogio tumulo Scipionis inscripto, quorum prior ex Cic. de legg. II, 22, 57, ubi v. Goer., suppletus ita nunc in Ennianis legitur:

Hic est ille situs cui nemo etc.

Vulgo *cui*. Mox vulgo *civi'*, quod cur cum *civis* commutarim, dixi in Excursu XXI. Columna *quibil*. In sequentibus etsi a me impetrare non potui, ut cum Orellio et Nobb. *op'rae* scriberem, tamen exhiberemne *operae*, quod Fickertus edidit, an *oprae*, fateor me aliquantisper dubitasse. Illud tandem ut optarem, eo adductus sum, quod ubi pronuntiando vocalis brevis ante liquidam supprimenda esset, in scribendo talis ecthlipseos rationem ab antiquis habitam esse, indubio exemplo probatum adhuc non animadverti. Neque quemquam vidi qui id scribendi genus praestiterit v. c. in *misere*, quod duabus syllabis apud Plautum passim proferri Hermannus ad Trin. p. XXIV monuit, improbante quidem nescio quo in Annal. litt. Heidelb. 1823. No. 76. p. 1201; vel *nemini*, de quo v. Bentl. ad Ter. Hec. III, 1, 1; vel *fenestra*, de quo v. Klotzii Hdb. der Lat. Litteraturgesch. I. p. 190; vel *senex*, quod notarunt Columna ad Enn. p. 163 et Bentl. ad Ter. Adelph. V, 3, 47. Phorm. V, 9, 34. (Huc non trahendum Argum. Plauti Aul. 8.) Diversa sunt ea ecthlipseos genera, quale *repostus, surpuit, diseesti*; contra affinis elisio litt. *s* fine verborum. Si igitur antiqui *operae* et similia integris litteris expresserunt, eandem ii rationem secuti videntur, quam adoptarunt in retinenda *s* finali, veluti supra in *civis*.

Sei fas etc.] Hic versus Ennianus plane refingendus fuit, ab editoribus, qui quo sensu epigramma a Lactantio laudaretur non satis advertissent, pessime habitus. Fraudi iis fuit speciosa illa loci expositio Pithoei Adversar. I, 11 (Grut. Thes. crit. T. II. p. 757), qui, allata hac versus apud Lactantium lectione

si fas caedendo caelestia scandere cuiquam est,

his pergit: „Itemque a Seneca Epist. 109 [108] licet paululum diversa scriptura. Nam in vetustis Senecae exemplaribus, *Ni faciendo plagas,*

13. *Cui vanitati et Cicero assensit*: Est vero, in-

vel *Si faciendo* constanter scriptum fuisse, Pincianus homo doctus et diligens monuit. Ex quo ego facile coniicio, mihique pene persuadeo, olim sic scripsisse Ennium

Si fas endo plagas caelestum scandere cuiquam.

Endo pro in, veteres passim dixisse cuilibet notum est. Emendandus vero ita est et hic ipse versus apud Lactantium Firmianum corruptus, credo ex praecedentibus sequentibusque auctoris verbis, sed ab his profecto, qui neque veterem loquendi formam, neque Firmiani ipsius mentem satis percipiebant. Si enim ita scripsisset Ennius, Si fas caedendo, non debuit, nec vero potuit tam acriter reprehendi: quandoquidem conditionem adiecit hanc, si fas, quae potuit non vera esse. At si ita, ut dixi, versus hic reponatur, reprehendi iure potuit. Ceterum *huc* etiam valde pertinent Senecae ex Epist. 87 de eodem Africano verba: *Animam quidem eius* (inquit) *in caelum, ex quo erat, rediisse mihi persuadeo, non quia magnos exercitus duxit (hoc enim et Cambises furiosus, et furore feliciter usus habuit) sed ob egregiam eius moderationem* etc. Respicit vero ad Ennii versum." His imponi sibi passi sunt editores, ut Pithoei lectionem inconsiderate probarent: quos inter etiam Nobbium et Orellium esse, non possum satis mirari, quorum hic Pithoeum eius lectionis auctorem ne commemoravit quidem. Moserus et hoc et quod praecedit fragmentum Tullianum omisit. At vero si speciem, ut dixi, quandam probabilitatis Pithoeanum commentum prae se fert, tamen erroneum id esse, ex eodem argumento, quo maxime nititur, luculenter convincitur. Ut enim acute excogitata esse concedamus, quae de conditione ista Pithoeus protulit, tamen ex sententiarum nexu patet, Lactantium illa non ex conditione quasi apta, sed ut rem sine dubitatione ab Ennio pronuntiatam in medium attulisse: nam poetam manifeste exagitat, quod tam impia dicere ausus sit. Igitur opus est aliquid in Enniana sententia insit *quod* in reprehensionem et quidem gravissimam incurrat. In Pithoeana vero lectione nihil inest, quod vel ab acerrimo iudice vituperari possit nisi arrogantia Scipionis, quippe qui sibi soli, si cuiquam omnino mortalium, aditum ad caelum patere praetenderit: hoc autem quum leve per se est, tum a Lactantii mente quam maxime abhorret. Immo hoc in poeta Lactantius reprehendit, quod cuidam immani multorum caede famoso ascensum in caelum commiserit. *Siquis*, inquit, *unum hominem iugulaverit, pro contaminato ac nefario habetur, nec ad terrenum hoc domicilium deorum admitti eum fas putant. Ille autem, qui infinita hominum millia trucidaverit, cruore campos inundaverit, flumina infecerit: non modo in templum, sed etiam in caelum admittitur. Apud Ennium sic loquitur Africanus: Si fas* etc. Quibus continuo subiiciuntur: *Scilicet quia magnam partem generis humani exstinxit ac perdidit. O quantis in tenebris, Africane, versatus es! vel potius, o poeta, qui per* CAEDES *et sanguinem patere hominibus in caelum adscensum putaveris!* Post haec vix opus videtur demonstrare, in versu isto aliquam caedis mentionem inesse debere, qua omissa omnis loci sententia ruit. Igitur restituenda fuit Lactantii scriptura, cuius vestigia et in Senecae lectionibus *faciendo* nemo non agnoverit. Ceterum de hoc epigrammate adi Anthol. Lat. T. I. p. 213. Fickert. in Seneca edidit: *si fas endo plagas coelestum ascendere cuiquam est.*

quoiquam] Vulgo *cuiquam*.

maxsuma] Vulgo *maxima*.

Est vero etc.] Hoc frugmentum superiori, cui continuo apud

quit, Africane. Nam et Herculei eadem ipsa porta patuit. (Lactant. l. l.)

14. *Idem Cicero in dialogis de re publica multa dicit referens Asianos oratores ditrochaeo clausulas terminare.* (Rufinus in Rhet. Lat. ed. Pithoei p. 319 et Gramm. Lat. Putschii p. 2721.)

15. *Σωκράτη τε καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτόν τε καὶ ἐξ αὐτοῦ ἐῤῥυηκότας, ποταμῶν ἐξ ὠκεανοῦ δίκην, θείους κατ' ἀρετὴν*

Lactantium subiicitur, adiiciendum esse bene monuit Orellius Anal. Cic. T. IV, 2. p. 592, utrumque ex libro sexto sumptum coniiciens. Fortasse leg. *Esto*.

Idem Cicero etc.] Hoc fragmentum in Edd. hactenus desideratum primus investigavit Creuzerus in Annal. Heidelb. 1835. No. 2. p. 24, admonens, argumentum si spectes, magis libris rhetoricis quam de re publica convenire. Neque mihi persuadeo, ista esse ex libris de rep., quum praesertim Rufinus etiam alios multos locos de ratione numerorum oratoriorum afferat, quos nemo operi de rep. vindicaturus sit. De quibus alius dicendi locus dabitur. Atque uti videtur ex scripto quopiam rhetorico sumptum esse fragmentum illud, ita possit putari fontem eius fuisse Orat. 63, 212: *Insistit autem ambitus modis pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus: explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis.* Praeterea idem argumentum auctor, ratione Asiaticorum oratorum consuetudinis utique habita, pluribus cap. 67. seq. eiusdem operis persequitur, ex quibus istud fragmentum conflatum esse diceres. Sed ita ut statueremus, etsi facillimum foret, in locum inscriptionis *de re publica* scribere *de rhetorica*, tamen semper obstabit, quod id scriptum nomine *Dialogorum* appellatur, quod in *Oratorem* non quadrat. Neque denique pro fonte istorum haberi possunt, quae Tullius de or. III, 50, 193 de usu chorei in clausula periodi tradit, quoniam suam ipsius ibi sententiam, non quam loquendi normam Asiani oratores secuti sint, exponit. Itaque nisi locus adscitus fuit ex scripto quopiam Ciceronis rhetorico hodie omisso, fortasse ex eo opere, cuius pro parte habentur qui *de inventione* inscribuntur libri duo, (v. Spald. ad Quintil. III, 3, 9) quod rursus displicet, quoniam et istorum librorum forma dialogica non fuit: standum interim videtur in opere de re publica, quod in primis Dialogorum nomine laudari supra monitum est; cuius operis ea parte, qua de poetis Graecis disseruit, libro quarto, etiam oratorum Graecorum artisque rhetoricae mentionem facere certe potuit.

Σωκράτη etc.] Tametsi quae ex Cicerone hic laudantur, ex III de oratore 16 sumpta esse possunt, tamen quum Petrum in opere suo rem publicam Tullianam cum Platonica comparasse constet, non tacenda est probabilis Maii l. l. coniectura, simile quid etiam in libris de rep., praesertim in prooemio aliquo Tullium scripsisse, quod Petrus hic suam in rem adscivisset. Nemo enim ignorat, in talibus repetendis Ciceronem sibi placuisse, atque adeo in praedicanda Socratis sapientia (veluti Cat. 21. Acad. I, 4) litteris non pepercisse.

ποταμῶν ἐξ ὠκεανοῦ δίκην] Ex Homero haec ducta sunt, nisi ex

καὶ παιδείαν γεγονότας ἄνδρας οὐ τῆς Ἑλλάδος μόνης ἀλλὰ καὶ ὅλης φωστῆρας τῆς οἰκουμένης· ὧν Πλάτων καὶ Ξενοφῶν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ ὁ λοιπὸς τῶν φιλοσόφων ὅμιλος· εὖ γὰρ ὀνομάζει Κικέρων Σωκράτην ἀρχηγόν, καὶ ἵνα πλέον ῥωμαΐσω καὶ αὐτός, πρίγκιπα τῆς ὅλης καὶ ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐπικαλῶν. (**Petrus Magister de politica scientia in Maii Coll. Vat. T. II. p. 608.**)

Quintiliani X, I, 46, eadem comparatione Homerica usi: de quo loco v. Adn. cr. in Quintil. Part. III. p. 24.

EXCURSUS

AD

CICERONIS LIBROS

DE

RE PUBLICA.

EXCURSUS I.

De nota praenominis *Gaius*.

Ad I, 1.

Recte Heinrichio duce pro *G*, quod in Cod. est servavitque cum Steinack. Maius etiam in alt. ed., *C* reposuerunt Mos. Nobbius, Orellius, Zellius. Constat nunc enim Romanos, quum vetusto tempore una littera *C* usi fuissent, in scribenda praenominis *Caius* nota, quam solam fere adhibuerunt, *C* antiquitus traditum etiam tum quum littera *G* in usum adscita esset, retinuisse ac *Gaius* non nisi tum scripsisse, quum praenomen plenis litteris exarandum esset, *C* vero notam ita pronuntiatam esse, ut *Gaius* audiretur: quae quidem primitiva Osca nominis forma fuit, v. Mommsen in Savigny Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. Vol. XIII. p. 134 sq. Illa de scriptura acute disputavit Osenbrüggen in Zeitschr. f. d. Alterth. 1838. No. 35. p. 292, in sensu Quintiliani I, 7, 28, cui persanando insuper adhibendus fuerat Huschkius Diss. de Annio Cimbro p. 12, explanando recte versatus. Neque optimi quique codices, qui diligentius excussi sunt, aliam scribendi rationem suppeditant, veluti *Gaique* in Taciti Ann. I, 1, de cuius genitivi forma v. Exc. VII. Adde nunc Probi auctoritatem in Eichenfeldii Anal. Gramm. p. 224: *sicuti praenomen nunc Gaius ·C· littera servata verum consuetudine scribitur; sed postea in discretionem ·G· litterae apex, qui sonum figuramque notaret, inventus est, quo addito melius in sonum vocis horum nominum regula sanare conspicitur.* Huius vero apicis notae *C* appositi fateor me nullum adhuc deprehendisse exemplum; malo igitur obscurum hunc locum ita expedire, ut qui Probo apex additus dicitur, statuamus id ipsum elementum esse, quo addito forma litt. C olim usurpatae in figuram litt. G, qua iam utraque discerneretur, mutata esset: unde pateret pro *G* Probo reddendum esse *C*. In Milliario quidem quae, teste Starckio Palaeographische Bemerkungen über einen Meilenstein des Kaisers Decius (Landshuti 1840) p. 3 exstat CA, praenominis nota, in rarissimis exemplis habenda, sicut et ipsum GAIVS, cuius

scripturae exempla affert Cardinalius Iscrizioni antiche Veliterne p. 132, haud frequenter legitur. V. tamen Jahrb. d. Ver. von Alterthumsfr. im Rheinl. III. p. 51. *Caius* vero plenis litteris antiquorum quisquam an scripserit, valde dubitandum: Coloniensis enim illa inscriptio, qua ista nominis forma exhibetur, quum aliis *νοθείας* indiciis laborat, recte hac de caussa iam notata a viris doctis (v. Iahnii Jahrb. 1843. V. XXXVIII. p. 302), tum ob illam ipsam nominis scripturam spuriis accensenda videtur. Neque ego moror Placidum Glossis in Mai Auct. cl. T. III. p. 486, utramque scripturam agnoscentem, neque magis Fusium Epist. ad Hasium de Lydi libro de ostentis p. 20 mira haec tradentem: „*Γάϊος*, cur latine etiamnunc scribant Gaius, quamvis manifestum sit, Graecos ita scripsisse nomen Caii (cf. de magistr. I, 23), fateor me idoneam rationem nondum reperisse“*). Unam, fateor, novi inscriptionem, qua absque vitii suspicione CAIVS legitur, ex Kelleri schedis vulgatam ab Orellio Anal. epigr. p. 42, sed recentioris ea videtur aetatis esse. Quod vero Graeci *Γ* compendiose pro *Γάϊος* scribunt, quod exstat, ne multa, in titulo in Bull. dell' inst. arch. 1831. p. 50, eius usus caussa inde repetenda videtur, quod quum id praenomen iis scribendum esset, iam non alio sono quam *Gaius* apud Romanos audiretur atque ubi plene exararetur, per *G* utique scriberetur. De tempore autem, quo primum coeptum sit apud Romanos *G* scribere, quod Schneiderus Gr. Lat. I. p. 270 duobus Plutarchi locis adhibitis recte demonstravit, eius litterae formam a Sp. Carvilio grammatico, Spurii Carvilii eius *liberto*, qui primus a. v. c. 523 divortio uxorem dimisisse fertur, inventum esse, id minime Lepsii Tab. Eugub. p. 89, qui prius id factum esse statuit, labefactatur obiectione, tum demum diiudicanda, quum quod de interpolatione loci Plutarchei suspicatus est, probatum fuerit, quod ut probemus nulla caussa est. Tum quod Carvilius ille apud Ter. Scaurum p. 2253 *Carrutius* appellatur, alicuius momenti in hanc quaestionem profligandam esse non potest, quandoquidem, Schneidero iam monente, hoc nomen librariorum errori manifeste tribuendum est. Neque denique titulo Scipionis Barbati, quo sane G exstat, ulla hac in re auctoritas concedi potest, si quidem aetatem, cuius speciem prae se fert, eum cum ceteris eius generis monumentis mentiri, mihi quidem exploratum est. Cf. Comm. de *is* p. 82.

Ceterum quod de discrimine notae *C* et nominis *Gaius* monitum, idem non potest non pertinere ad *Cn* et *Gnaeus*, quorum nominum eadem prorsus ratio est. Cf. Grotefendii Geographie und Gesch. Altitaliens V. p. 40. *Cnaeus*, vel *Cneus* (Grut. p. 1132, 9 GNEVS), vel adeo *Cneius*, quod male Pomponio de

*) Ea de nominis forma quid statuerit Ditmar Diss. de nomine, aetate, studiis ac scriptis Gaii, Lipsiae 1820, conferre haud licuit.

orig. iuris §. 7 ubi v. not., nuper illatum est, ab usu Romanorum plane abhorrebant.

EXCURSUS II.

De scriptura nominis *Duelius*.

Ad I, 1.

Qui scribendo *Duellius* pravam scilicet illam Codicis scripturam correxisse sibi visi sunt, Moserus, Nobbius, Orellius (hic vero in libris de N. D. *Duillius* edidit defenditque in Add. p. 124), Zellius, Heinrichium quippe ducem secuti, ii vereor ne Ciceronis manum corruperint, aut non inspectis aut inique spretis iis, quae ea de re olim monueram ad Apuleium Gramm. p. 134, Vargesio probata in Welckeri Mus. Rhen. III, 1. p. 23. Ut rei quid sit disertius exponam, antiquo tempore *Duelius* quemadmodum *belum*, unde originem traxit*), scribebatur, vel etiam haud multo post *Duilius*, vocali *e* in *i* pro more saeculi conversa, *Duellius* vero et *Duillius* ab eo demum tempore, ex quo consonantes, quae prius simplices exhibebantur, geminari coeptae sunt, quod circa Terentii aetatem fere factum videtur (v. Anal. crit. c. 1), ita tamen ut antiquiores quoque illae formae, quod in nomine proprio haud adeo mirandum, iuxta recentiores in usu remanserint. Formas *Duilius* et *Duillius* idoneis exemplis l. l. adstruximus: illam praeter inscriptiones Gruterianas aliaque monumenta etiam Fastos Capitolinos suppeditare nunc Maius adnotavit. Quintam, quam excogitavit Garatonius ad Plancianam p. 262 sq. ed. Orell. *Dueilius*, mittamus, ut quae neque monumentorum auctoritate neque analogia ulla sustentetur. Quaerenti iam quam Cicero ex quattuor illis formis scripturam adoptarit, non alia diiudicandi ratio quam auctoritas codicum praesto est, quorum unum de senect. 13 *Duelius* Maius, tres de N. D. II, 66 *Duellum* h. e. *Duelium*, exhibere Creuzerus retulerunt; or. pro Plancio 25 plurimi, ut videtur, Codd. certe *Duellius:* ita ut si res ad hanc normam exigenda est, ut puto, Vaticani scripturam deserere temerarium videatur. Neque enim ex Cic. Orat. 45, ubi *Duellium*, eum qui Poenos classe devicerit, *Bellium* quoque nominatum fuisse adnotatur, coniici certo potest, qua forma ipse quum scriberet usus sit: nihil enim aliud agit quam ut pro *du* antiquo elemento adeo in nominibus propriis recentiores *b* posuisse demonstret. Cf. Quintil. I, 4, 15 ibiq. Spalding. et Muretum ad Tac. Ann. II, 49. Quod nimirum factum, ex quo pro *duellum*, *duellus* (ex Naevio affertur in Gloss. ap. Colomes. Opusc. p. 276: *Facies virginis duellae*), *duis*, *duidens*, *Duellona*, *duonus* dici et

*) V. Dietrichii Comm. de consonae *v* quibusdam affectionibus in Kirchneri Soll. saec. schol. Port. p. 2.

scribi coeptum esset *bellum*, *bellus*, *bis*, *bidens*, *Bellona*, *bonus*. V. Varro de L. L. IV, 10. VI, 3. Scalig. Poetic. III, 89. Barth. ad Briton. Aremor. p. 674. Ignarra ad Hymn. Hom. in Cer. 122. p. 495. ed. Mitscherl. Quod in Scipionis Barbati inscriptione exstat DVONORO, quodque *bonorum* vulgo interpretantur, id mihi, fateor, nondum satis perspectum est, quum ceterae eiusdem classis voces, siquidem originem spectas, omnes ad *duo* vel δύω haud dubie referuntur: praesertim quum illud *duonus* servatum quodammodo dici possit in *buono* forma Italis nunc usitata, ab his vero non inventa, sed ex medio aevo accepta, quo *buonus* in usu fuisse testatur Virgilius Maro Gramm. p. 103. Quo iam tempore illa litterarum commutatio omnino usu recepta fuerit, accurate definiri vix poterit. In SC de Bacch. a. u. c. 568 inscripto adhuc legitur DVELONA. Quare quum insuper Titinnius apud Nonium III, 117 *duella*, Plautus Amph. I, 1, 18 *duellum*, Lucretius II, 661 *duellica* etiamtum scripserint; Horatium enim, eadem forma Epist. I, 2, 7. II, 1, 254 et alibi usum huc referre nolim: valde suspecta fit forma *bellum*, passim nunc in Ennii reliquiis vulgata; nam proprie et primitus *duellum* bisyllabum, teste Lucretio, qui quum passim *bellum* scribat, tamen sine ulla metri necessitate coactus *duellica* trisyllabum posuit. Igitur si *duellum* poetis hic illic trisyllabum est, id eidem tmeseos licentiae malim tribuere, qua Catullus, ne alios afferam, *solvit* trisyllabum dixit, II, 13. Denique iuvat usus literae *d* pro *b* more antiquo positae exemplum afferre ex titulo statuae inscripto antiquissimo, quem vel Scipionis Barbati inscriptione anteriorem in qui primus edidit, censet Winckelmannus Opp. omn. ed. Dresd. T. V. p. 292, ubi est artificis nomen Novios DLAVTIOS, quod non pro PLAVTIOS, ut putabat Winckelmannus, sed pro BLAVTIOS scriptum arbitror, a βλαύτη Graeco derivandum; de quo dixi Ueber des Sophokles Aias p. 58. 144.

EXCURSUS III.

De scriptura nominis *Karthago*.

Ad I, 1.

Heinrichius, quem secutus est Zellius, *Carthaginis*. In hoc nomine duo notanda sunt, de quibus oblata hac occasione disputandum, primum usus litterae *K*, deinde adspiratio. Atque de illo ut primum dicam, litteram K ut credam antiquis unice usurpatam esse, non tam adducor fide codicis Vaticani eandem scripturam infra quoque repetentis II, 4 et 23, quam auctoritate Probi grammatici, vulgarem littera *c* scribendi rationem in vitiis suae aetatis referentis. Etenim in Arte eius p. 156. b. ed. Maii, ubi de litteris agitur, haec leguntur: *Nunc et in his*

mutis supervacuae quibusdam k et q litterae positae esse videntur, quod dicant c litteram earundem locum posse complere, ut puta Carthago pro Karthago. Nunc hoc vitium etsi ferendum puto etc. Quibuscum confer Isidori illa, quae ex MSS. proferuntur a Sinnero Catal. Codd. Bibl. Bern. p. 447 et a Maio Coll. Vat. T. VI. p. XXXVIII: „*K* litteram antiqui praeponebant, quoties *a* sequebatur, ut *kaput, kanna, kalamus*. Nunc autem *Kartago* et *Kalendae* per eandem tantum scribuntur. Omnia autem Graeca nomina, qualicumque sequente vocali, per *k* sunt scribenda." Adde Sergium p. 1828, Longum p. 2218 et Mar. Victorin. p. 1945. Atque ex pluribus inscriptionibus Orellianis, quibus nominis *Karthago* mentio fit, una tantum, quae quidem a. p. Chr. 123 incisa est, alteram formam litt. *k* scriptam refert, No. 3564. Retinent tamen aliae quaedam incertae aetatis ex Grutero a Cellario Orthogr. T. I. p. 268 excitatae, quibus adde titulum in Maffei Mus. Veron. p. 239 et Seiverti Inscr. in Dacia mediterranea p. 40. Atvero KARTAGO exstat in nummo aetatis quamvis non admodum antiquae, ap. Shaw Reisen durch die Barbarei p. 419, item in nummis etiam Constantini ap. Eckhel Doctr. T. VIII. p. 11: atque adeo KARTHAGO in nummis saec. V Christiano cusis ap. Schlichtegroll Annalen der gesammten Numismatik II, 1. p. 12. Adde KAR in nummo aetatis incertae, de quo cf. Mahudel Lettre d'une medaille de Carthago l'Africaine 1741. p. 5. In alio ibid. vulgato exstat KARTHAGO. Contra vero CART. in nummis Septimii Severi, ap. Eckhel T. VII. p. 183, ita ut a secundo inde saec. Christiano usum fluctuasse facile concedamus. *Carthaginem* novam Hispaniae constanter litt. *c* scribi, certe in nonnullis apud Orellium inscriptionibus, non est mirandum. Tam varia omnino grammaticorum de usu litt. *k* sequente *a* doctrina est quam ipse eius usus fuisse videtur, certae tamen legi, ipsis consentientibus tantum non omnibus, in quibusdam vocibus adstrictus, in quibus praeter *Karthago* cummaxime referuntur *kaput*, *Kalendae* et a nonnullis *kalumnia*. Locos grammaticorum eorum notandi otium fecit diligentia Schneideri Gr. Lat. T. I. p. 289 sq. Atque scripturam *Kalendae*, praesertim ubi per notam scribitur, firmat multorum monumentorum auctoritas. Incertior vero ceterarum duarum vocum conditio, quarum *kalumnia* Ciceroni vindicare studebat Graevius ad or. pro Rosc. Am. 20, 57. Forma *kaput* et hinc derivata annon litt. *k* scribenda essent diu haesitavi, quum praesertim eam scripturam a vetustis Ciceronis eiusque scholiastae codicibus reapse oblatam animadverterem, probatamque etiam Goerenzio certe in legis formula, de legg. II, 8, 21, V. Mali Auct. cl. T. II. p. 197 *kapitalis inimicus*, ubi v. editorem; p. 221 *kaput feriebas*; p. 235 *kapitalibus odiis*. Sed ab isto conatu me cohibuit quod in SC. de Bacch. exstat scriptum CAPVTALEM. Quod ad aliarum vocum usum attinet, ubi *k* pro *c* variis modis,

neque solum vocali *a* sequente positum reperitur, id non tam ex consuetudine in certam normam recepta, quam potius ex singulari quadam socordia factum arbitror, qua quod in aliis lege fieri viderent, id etiam ad tales voces transferrent, in quibus vulgaris usus litt. *k* aspernabatur. Exemplis, quae post Cellarium aliosque, ut Cardinalium Iscriz. Velit. p. 107 et quae ipse in Sylloge inscr. dedimus, Schneiderus p. 295 cumulavit, ex multis haec addantur. KARISSIMAE Lama Iscriz. Vellei. p. 107, quam formam tamen in deliciis fuisse, colligimus ex Vel. Longo p. 2218: „unde etiam religiosi quidam epistolis subscribunt *karissime* per *k* et *a*." EDVKAVT (educavit) ibid. p. 109. APK (arcarius) Ann. dell' inst. archeol. 1832. p. 8. 1834. p. 111 et 112. KASTR Selverti Inscr. ant. p. 64. In hac voce observare hoc iuvat, *matris* KASTRORVM nomine, de quo v. nobis dicta in Allgem. Schulzeit. 1830. p. 565 et Letronnium Rech. sur l'Egypte p. 364, adhuc insigniri Iuliam Domnam, Septimii Severi uxorem, testibus inscriptionibus apud Letronnium p. 361 et ap. Andream de Iorio Guida a Pozzuoli e contorni Tab. II, 2; octoginta vero ferme annis post in eodem honoris titulo Magniae Urbicae, Carisi imp. uxori dato CASTRORVM in inscriptione Allg. Schulz. l. l. allata legitur.

Progredior ad adspirationis usum. Romanos, priusquam adspirandi usum adscivissent, constat, pro *ch* et *ph* simpliciter scripsisse et enuntiasse *c* et *p*: quam consuetudinem ad Ciceronis usque aetatem vulgari usu receptam permansisse, ex luculento ipsius testimonio compertum habemus, quo hanc *scripturae* rationem aliquamdiu se conservasse confitetur, donec meliora ipse edoctus istam scriptionem, vel, ut ait, loquendi usum populo concesserit, Orat. 48, quem locum age ad verbum describamus: „Voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Quin ego ipse, quum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem* dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium quam extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. *Orcinios* tamen, et *Matones*, *Otones*, *Caepiones*, *sepulcra*, *coronas*, *lacrimas* dicimus, quia per aurium iudicium licet." Quibuscum si contendamus quae ea de re apud Quintilianum I, 5, 20 leguntur, emendatius nunc a Meyero edita: „Parcissime ea [littera *h*] veteres usi etiam in vocalibus, cum *oedos*, *ircosque* dicebant. Diu deinde reservatum, ne consonantibus aspirarent, ut in *Graccis* et in *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius usus, ut *choronae*, *chenturiones*, *praechones* adhuc quibusdam in scriptionibus maneant: qua de re Catulli nobile epigramma est", suspicio facile nascitur, Tullium quum vocum *corona*, *sepulcrum*, *lacrima* mentionem faceret, illorum, qui ex nimio adspirationis usu *choronae* etc. ipsius aetate dixissent, recordatum esse. Quid? quod eodem

etiam *Caepiones* pertinere videtur, siquidem commutaveris cum *centuriones*, uti reponendum censeo. Quod enim uno de consensu codicum, ut videtur, vulgatur *Caepiones* ab hoc quidem loco prorsus alienum est, quoniam nullo tempore id nomen aliter quam sine adspiratione elatum fuit. Ut vero *chorona* Cicero notavit, quidni item *chenturio* notare potuerit? Ceterum a prava hac consuetudine veteres mox se recepisse moniti videntur, donec ea seriore aetate revixit et mirum in modum grassata est, ita ut v. c. legatur *merchator* in Cod. saec. IV vel V. Tractatus in Lucam, in Maii Coll. Vat. T. III. p. 192, *nichil*. de quo dixi ad VI, 66 et alia eius generis innumera. Sed haec mittamus. Quamvis igitur certum Ciceronis de consuetudine aetatis ipsius testimonium habeamus, tamen quum quando scripturam *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem* ipse deseruerit non constet, quum in aliis eius scriptis, tum in his ipsis libris de rep. quid scripserit, eo certiores non evadimus. Hos enim quum scriberet libros, qui ante Oratorem, a. u. c. 710 scriptum, vulgati sunt, an sententiam suam iam mutarit, minime liquet, etsi hoc propter exiguam temporis, quae inter utrumque opus intercessit, distantiam verisimile videatur. Quocirca tutissimum ratus sum in vocibus illis recentiorem scribendi rationem sequi, cum emendata Tullii scriptura convenientem, neque a Vaticano codice (v. c. I, 1. II, 4 et 23 *Karthago* offerente) utplurimum reprobatam. Ceterum cf. Drak. ad Sil. I, 3 et Cortium ad Sall. Catil. 10. De ceteris vero vocibus *sepulcra*, *coronae*, *lacrimae*, ut nomina laudata mittamus, quippe in libris de rep. non reperta, nulla relinquitur dubitatio. Neque haesitavimus ubicumque *Graccus* reponere, in cuius nominis forma revocanda praeivit nobis Cortius Sallust. Iug. 16 et 31, non tam Quintilianum, quam nummorum scripturam secuti, in quorum nonnullis Augusti adeo aetate cusis antiquior illa forma retinetur. V. Eckhel. Doctr. T. V. p. 304. Quum vero Varro, testibus Charisio p. 65 et Scauro p. 2256, nomen adspirandum prohibuisse tradatur, non male colligere nobis videmur, aetate eius nimium illum adspirandi usum a Fabio notatum etiam hoc nomen invasisse, a qua scriptura eo magis sibi cauturum fuisse Ciceronem arbitramur, quo ex nomine *Duelius* I, 1 scripto formas nominum proprias quamvis antiquiores eum praetulisse certius liqueat. Neque omnino miranda veterum tenacitas quaedam in servandis nominum propriorum formis vetustioribus, quas a maioribus acceptas posteri propagare studerent, praesertim ubi ipsi nomini aliqua vetustatis vel virtutis laus inhaereret, illibatas: cuius moris illud ipsum *Gracci* nomen exemplo est, quo monetarius quidam ex gente Sempronia ortus Augusti temporibus appellari voluit. Neque aliter istud nomen scribendum iam suaserat Scoppa Collectan. c. 10 (Grut. Lamp. cr. T. I. p. 909): neque non servarunt hic illic codices Mss.: v. ad VI, 11.

EXCURSUS IV.

De vocali *u* in superlativis pro *i* posita similibusque eius generis formis.

Ad I, 1.

Proficiscendum in toto hoc scribendi genere a testimonio illo notissimo, quo I. Caesar fertur primus sui temporis scripturam *u* in *i* in eiusmodi vocibus mutare ausus esse aequalibusque ita suasisse, ut ab hoc inde tempore nova illa scribendi ratio in vulgarem usum reciperetur. Cornutus de orthographia apud Cassiodor. de orthogr. T. II. p. 576 ed. Gareti: *Lacrumae*, an *lacrimae*, *maxumus*, an *maximus*, et siquae similia sunt, quo modo scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro *tradit* Caesarem per *i* eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam: sed ego in antiquiorum multo libris, quam Gaius Caesar est, per *u* pleraque scripta invenio. *Optumus*, *intumus*, *pulcherrumus*, *lubido*, *dicundum*, *faciundum*, *maxumae*, *monumentum*, *contumelia*, *minumae*. Melius tamen est, et ad enuntiandum et ad scribendum, *i* litteram pro *u* ponere, in quod iam consuetudo inclinavit."*) Quem locum suum fecit Isidorus Orig. I, 26, 15: „*Maximus*, an *maxumus*, et si quae sunt similia, qualiter scribenda sunt **), quaesitum est. Varro tradidit Caesarem per *i* eiusmodi

*) Etsi de mente scriptoris minime haereamus, tamen verba *sed ego* etc. tam perplexa et sensu obscura sunt, ut vix pro integris haberi possint. Neque iis restituendis sufficit Cassiodori codex a me inspectus Darmstadinus, etsi quod is post *Caesar est* adiicit *usus* celare certe nolo, fortasse, non spernendum. Praeterea quum de alio Caesare quam de dictatore, quem in grammatica atque in primis in orthographia constituenda insignem operam collocasse constat, sermo hic esse non possit, permirum est, quod a I. Caesare oratio subito ad C. Caesarem delabitur, cuius mentionem qua mente scriptor fecerit, fateor me plane nescire: nisi *Gaius*, quod exhibetur, fortasse mutandum in *Iulius*, vel in *quibus* adsumpta lectione cod. Darm. *usus*, id quod, si revera aliquid mutandum, malim. Sed ne ita quidem res plane expedita videtur. Neque in subsidium vulgatae lectionis adhibeas quae Quintilianus I, 7, 21 narrat quaeque ex eo loco concludit Spaldingius, hac de caussa iam notatus a Leop. Schneidero Lat. gr. I. p. 19 et a Zumptio ad Quint., a Caligulae inde temporibus orthographiam novam obtinuisse, quod satis Varronis testimonio refutatur. Quod enim Quintilianus dicit, „etiam *optimus*, *maximus*, ut mediam *i* litteram, quae veteribus *u* fuerat, acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum", id eatenus verum, quod *i* in illo honoris titulo *optimus maximus* in publicis monumentis non ante C. Caligulae aetatem comparuerit, quoniam illo nullus ante eum Caesar insignitus fuit, teste Suetonio Calig. 22, collato M. Victorino p. 2456, qui idem docere videtur: falsum vero quod inde Fabius conclusit.

**) Ita in novissima ed. ex cod. Gud. vulgatum, cuius loco certe *sint* scribi oportebat, pro *scribi debeant*, quod non solum tuetur Cassiodorus, sed etiam pervetusto Isidori codice confirmatur, cuius fragmentum enucleavit Maius Coll. Vat. T. VI. p. XXXIX.

verba enunciare solitum esse et scribere. Inde propter auctoritatem tanti viri, ut dixi*), consuetudinem factam, ut *maximus*, *optimus*, *pessimus* scribatur.“ Ceterorum grammaticorum veterum, qui hanc materiam tractarunt, locos a Schneidero l. l. diligenter adnotatos excutere nihil attinet, quoniam ab iis nihil traditum adverti, quod ad temporis quaestionem, quae hic agitur, explicandam facere videatur. Nam quod Marius Victorinus l. l. ait, sua ipsius aetate *optumus maxumus* in usu fuisse, id si de consuetudine aevi ipsius vulgari intellectum voluit, aut errori monentis tribuendum, aut statuendum inconsiderate ab eo transumptum esse ex scripto quodam grammatico perantiquo, cuius auctor aetatis suae consuetudinem notasset: nisi respexit monumentorum aliquot publicorum scripturam, in quibus formularum quarundam antiquam rationem passim servatam esse facile concedi potest; quod v. c. in nummis Constantini M. exstat MAXVMA VICTORIA, teste Raschio Lex. num. T. III. p. 451; neque mirum videri debet, si etiam posteriore aetate quaedam eiusdem usus quamvis raro exempla reperiantur, veluti CARISSVMA in titulo Romano aevi recentioris apud Laurenberg. Antiquar. v. *bivirae* p. 54. Silentio tamen non praetereundum Velii Longi testimonium ancipitis iudicii p. 2216: „ut iam in ambiguitatem cadat, utrum per *i* quaedam debeant**) dici, an per *u*, ut est *optumus*, *maxumus*. In quibus adnotandum, antiquum sermonem plenioris sonus fuisse et, ut ait Cicero, rusticanum: atque illis fere placuisse per *u* talia scribere et enuntiare.“ Cave enim ex his aliquid concludas in istorum vocabulorum scripturam apud Ciceronem: nullibi eius consuetudinis apud Tullium, quantum sciam, praeceptum ullum exstat, neque alium in mente Longus, quum ista scriberet, locum habuisse videtur, quam qui legitur Orat. 48, 116: „Quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in *optumus*, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur etc.“, quo loco quum pateat de illa litterae finalis *s* aphaeresi agi, erroris Longus redarguendus est, quippe qui, exempli allati *optumus* male memor, de usu vocalis *u* sermonem esse putaret.

Iam si Terentii Varronis testimonio, ex quo profecti sumus, fides habenda est, quam quod impugnemus nulla caussa cogitari potest idonea, nulla relinquitur dubitatio de scribendi enuntiandique consuetudine temporibus aequalium Caesaris, quorum si qui fuerunt, qui magistri summi exemplum secuti essent, in paucioribus eos numerandos fuisse ex eo colligitur, quod quo promptius ad inveniendum atque nova moliendum hominum ingenium

*) Verba *ut dixi* ex uno Gud. Lindemannus addidit. Absunt vero etiam a cod. Maii.

**) Ita cum Schneidero l. l. p. 20 pro *habeant* scribendum.

est, eo tenacius solet servari quod longa consuetudine a maioribus acceptum est atque iis quidem in rebus quae ad linguae usum pertinent, quem qui a pueris quasi in succum et sanguinem vertit, aegrius neque nisi vi coactus dimittit. Ut concedamus ex Tullii aequalibus fuisse, qui novum illud inventum Caesaris cupidius arriperent, tamen quo minus id Ciceronem fecisse putemus, quum per se probabile non videtur, tum eo potissimum redarguitur, quod eius scribendi rationis indubia exempla in eius codicibus, qui nostram aetatem tulerunt, antiquissimis sparsa leguntur: quae, si res aliter habeat, unde vel quo consilio illata fuerint, vix habueris quo explices, dum unde vulgaris speciei formae adscitae sint, facillimum est dictu.

Iam accipe exempla genuinae scripturae non obscuratae *in* codicibus Ciceronis. *Optumus* de rep. III, 9. 11. 35. V, 4. *optumates* III, 11. *Maxumus* III, 11. 31. 34. *maxume* III, 9. *deterrumus* II, 26. *citiosissumus* III, 34. *facillume* III, 5. *aequissumus* III, 9.*) His accedunt alia analoga, quae speciem superlativi simulant, ut numeralia, quale est *septumus* de rep. II, 10: atque *decumus*, ut etiam *maritumus*, quod item exstat de rep. II, 10 (iuxta alteram formam vulgarem) et Livio ex melioris notae libris vindicare studuit Alschefski ad Livii lib. XXX. p. XCIV**): idem etiam *existumare*, comprobatum cod. Vaticano de rep. II, 35, ubi legitur *aestumatio*, et codd. Vatic. or. pro Flacco et Fonteio, teste Niebuhrio p. 110, ubi est *existumare* iuxta ea quae itidem afferuntur *optumo*, *optumis*, *turpissumis*, *acerruma*, *levissumi*, *optumatibus*, *mancupia*. Item usus antiquorum tulit *lacrumae*, quamquam hoc diversae rationis est: v. ad VI, 9 *collacrumavit*. Ne longius abeam, ex uno palimpsesto or. pro Fonteio quae huc pertinent adscribam exempla eo lubentius, quo incorruptiora videntur ob mirum scripturae consensum: nam nulla omnino recentiorum formarum vestigia ibi leguntur, unde merito huius codicis scripturam pro antiquissimo et limpidissimo usus Tulliani fonte habeas. *Maxume* 1. p. 58. ed. Nieb. *existumare* 1. p. 37. 2. p. 58. *amicissumus* 2. p. 61. *ignotissumus* 2. p. 61. *alienissumus* 2. p. 61. *maxumus* 3. p. 63 et 64. *turbulentissumus* 3. p. 64. Ex codd. recentioribus, qui easdem formas passim exhibeant, unum afferam Erfurtensem, addamque in Moguntino quodam, cuius variantes penes me sunt, in Timaeo 4 *absolutissumum* offerri. Tum *optumus*, *citumus* cet. in Somnio Scip. codd. Darm. et Vrat. passim retinuerunt, quod quoque loco notare non neglexi, v. c. 15.

*) Valde notabile videtur, quum omnia ista exempla, duobus exceptis, in tertio de rep. libro legantur, ceteros libros ea scriptura omnino vacare: ex quo haud scio an coniicere fas sit, librum illum aut ab alio librario conscriptum, aut ex alio codice, quo pristina scriptura diligentius servata fuisset, transcriptum esse.

**) Cf. Pier. ad Virg. Aen. VI, 1.

16. 26. In nullis vero codicibus quam in Mediceis, qui Epistolas continent, frequentior earum formarum usus est: ne multa, *optumus* ad fam. IV, 11, 1. *acerbissuma* IV, 12, 2. *celerrume* V, 12, 1. *intumo* VI, 19, 2. *existumo* I, 9, 23. X, 32, 4. *victumis* ad Att. I, 13, 2. *decumus, nequissumus, planissume* aliis locis. Ciceronem scripsisse Ep. ad fam. XII, 25 *altero vicesumo die* et Nepotem Att. 20, 4 *ex ultumis*, ex ipsa lectionis varietate recte perspecta monuit Schneider. ad Caes. Bell. Gall. IV, 23, 5, qui vellem Oudendorpii exemplum secutus, quum l. l. *maritumae* ex codd. vulgaret, eandem formam etiam alibi, ut II, 32, 2. III, 8, 1. IV, 29, 1, ipsis codicibus meliorem viam monstrantibus, restituisset. Quodsi enim harum formarum exempla librariorum sapientiae tribuenda esse parum habet probabilitatis, statuendum Caesarem, libros de bello Gall. quum scriberet, nova illa scribendi ratione nondum usum esse, aut in ea adhibenda ipsum utpote cunctantem sibi non constitisse. Utrum horum verum putes, Cornuti illud testimonium, Schneidero allatum ad I, 3, 3, non ita comparatum, quin cum scriptura Caesaris a MSS. tradita conciliari queat, quod et ipse Schneiderus l. l. concessisse videtur. Ad Ciceronem ut redeam, adde *optumus, gravissumus, optumates*, quas formas in melioribus orationis pro Sextio libris exhiberi, notavit in huius ed. novissima Halmius p. 321.

Si hactenus in eo elaboravimus, ut, exemplis genuinae scripturae non oblitteratae allatis, Ciceroni eam scribendi propriam fuisse demonstraremus, non opus visum in re notissima aliis eius et antiquioris temporis monumentis inscriptis comprobare, communem omnibus eum usum antiquiore aevo obtinuisse. Satis videbitur notasse, nullum, quantum sciam, exemplum exstare, quo quod contendimus, reprobetur. Immo quum supra notavimus, etiam posterā aetate nonnunquam eius consuetudinis vestigia legi, iuvat *optuma* excitare ex monumento Eurysacis Romae nuper reperto celebratissimo, quod ad ea tempora, quibus antiqua scribendi ratio desuescere coeperit, proxime accedit, quippe circa Augusti aetatem aut haud multo post, ut vulgo putatur, inscriptum. Quid? quod probabiliter statuas antiquiore forma etiamtum Velleium Paterculum usum esse, v. Orell. ad Vell. p. X. Quintiliani vero aevo antiquam scripturam vulgari usu omnino excidisse, testantur quae scripsit ipse I, 4, 7 „medius est quidam *u* et *i* litterae sonus (non enim sic *optimum* dicimus, ut *opimus*)", unde simul apparere videtur, pro *u* etsi tum *i* receptum fuerit, tamen huius vocalis sonum medium quendam inter *u* et *i* locum obtinuisse, id quod et aliorum grammaticorum testimoniis a Schneidero l. l. p. 19 collatis comprobatur. Cf. Hand. ad Gronovii Diatr. in Stat. T. I. p. 72 seq. Atque MAXIMVS scriptum iam exstat in Fastis Praenestinis apud Merkel ad Ovid. Fast. p. LXI.

Restat ut de scriptura nominum superlativorum eorum quae-

ratur, quae in formam cognominum cesserunt, aut certe ab illis ducta sunt, qualia sunt *Maximus* et *Septimius*. Quae quum adiectivorum naturam haudquaquam plane exuerint, eo magis rei consentaneum videbitur, ea eandem quoque speciem scripturae servasse, quam primitiva illa servarint atque tamdiu fere, quam pristinam ipsorum scripturam illa retinuerint. Quod haud male nos coniecisse, numorum auctoritate egregie comprobatur. Itaque v. c. nummi gentis Egnatiae non MAXIMVS exhibent, sed MAXVMVS, vel etiam MAXSVMVS. V. Eckhel Doctr. num. T. V. p. 204 sq. coll. Raschio Lex. T. II. P. I. p. 1130. nr. 28 in nummis gentis Fonteiae. Quare non dubitavi de rep. I, 1 *Maxsumus* rescribere. Posteriore vero tempore altera scriptura in nummis exstat, servata quamvis hic illic pro affectatione antiqui temporis pristina MAXVMVS, cuius exempla dabit Rasche Lex. T. III. p. 451. Itaque ausus quoque sum praenomen *Decumus* pro *Decimus* II, 37 scribere, quoniam ipse Varro natu decimum interpretatus est.

EXCURSUS V.

De scriptura geminatae litterae *v*.

Ad I, 3 *volneribus*.

Hac de forma quamquam a VV. DD. in utramque partem disputatum fuit, tamen eo convenere universi, ut antiquos complexum duarum *uu* unam syllabam efficientium *VO* scripsisse statuerent*), aetate vero, qua haec scribendi consuetudo usu excidisset, in medio relicta; ita ut qui nuper Ciceronis editores eam formam scriptori vindicare studerent, non modo ceterorum plausum non ferrent, sed contra illam doctrinam exsurgeret Freundius, qui re diligentius, ut existimat, examinata, summam his comprehenderet ad Milon. p. 18, „dubitari non posse quin Romani ipsi haec sua verba duplice *u* scribere soliti sint.“ Qua in re vehementer fallitur vir doctissimus, quippe in errorem inductus falsa codicum auctoritate, quae his in rebus haud magna esse potest, tum praeceptis grammaticorum non satis perspectis, contemtione denique mirifica ceterorum monumentorum inscriptorum. Etenim in his, ut ab hoc genere testium primum dicam, nullum ego observavi geminae *uu* exemplum, quod Augusti aetate antiquius sit: immo permulta sunt exempla alterius scripturae in titulis multo recentioribus, qualia illa sunt quae congessi ad Apuleium Gramm. p. 54. Quibus adde lapidem in Sigonii Emend.

*) Factum hoc esse de consuetudine Umbrorum colligere possis ex Scholio Plautino Amph. prol. init., quod iam olim vulgatum, ex eodem, ut videtur, codice Palatino ab Ennio Viscontio secum communicatum refert Lanzius Saggio di lingua Etrusca T. I. p. 270: *Lingua Umbrorum vertit V in O, Etrusca A in V.* Ego quidem nihil decerno.

c. 35. p. 225 (Grut. Thes. cr. T. II), in quo legitur VOLCANVS; quam formam exhibet titulus Augusti aetate incisus ap. Grut. p. 61, 1. Orell. 598; alios haud multo post Augustum inscriptos ap. Ritter Elem. gramm. Lat. p. 102. Ephem. litt. Hal. 1844 Intell. b. p. 44. Melchiorri Sill. d'iscriz, p. 99. Seidl. Epigraph. Excurse I. p. 9, commode hoc adnotante, DIVOS (*divus*) reperiri pariter in nummis vel post Caesarem vel Augustum cusis; alium Antonini Pii aetate incisum ap. Grut. p. 126, col. 5 (PRIMITIVOS, nom. propr., repertum etiam in lapide in Revue de philologie T. I. p. 515); alium Diocletiani in Romanelli Viaggio a Pompei T. II. p. 184. Incertae aetatis titulus in Guarinii Fast. p. 216 fert VEIVOS (*vivus*); alius in Avellinii Bull. Napol. arch. T. I. p. 90 AVOMCVLVS. Alios plures dabit Gervasius Osserv. sopra una iscrizione Sipontina, Napoli 1837. p. 10. Quid vero grammatici, quorum locos et a Norisio Orthogr. p. 253. Harl. et a Freundio compositos singulatim excutere non opus? Alii quippe suum aetatis, qua quisque vixit, scribendi morem secuti, simpliciter *uu* scribendum docent, quod non adeo mirandum; alii, qui idem ob hanc vel illam caussam suadent, id praecipiendum ideo esse narrant, quod pro *uu* a quibusdam, ut ait Charisius, vel a plerisque superiorum, quod dicit Velius Longus, *vo* scriptum esset. His subiungit postremo Freundius Quintilianum I, 7, 26: *Nostri praeceptores cervum servumque, V et O litteris scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret: nunc V gemina scribuntur ea ratione, quam reddidi.* Gravissimum arbitrum iure appellavit Freundius, modo non testimonio eius nostrae sententiae aperte favente abusus esset. Tantum enim abest, ut illius opinionem Fabius sustentet, ut contra manifeste nihil aliud doceat, quam sua aetate *uu* scribi solitum esse, dum puero ipso adhuc *vo* scriptum fuisset, quo etiam tendunt eiusdem scriptoris verba I, 4, 11: *quomodo nunc scribitur vulgus et servus:* qua luculentior rei demonstratio optari non potest. In re tam evidenti, et testium grammaticorum et monumentorum auctoritate comprobata, num codicum, quorum vix ullus quarto saeculo antiquior est, fidei quicquam tribuendum merito censebimus? quo tempore constat non solum scripturam illam antiquorum aut plane obsolevisse, aut quo minus revocaretur, sedulis grammaticorum praeceptis provisum esse, ita ut quod alias fecerunt, idem librarii hac quoque in re fecisse putandi sint, ut loco antiquae formae suam ipsorum aetatis consuetudinem scribendi reponerent. Nihili igitur est, quo maxime Freundii argumentatio nititur, in libris quotquot aetatem tulissent vetustissimis *uu* multo frequentius quam *vo* offerri; immo si aliter esset, insolita scribarum religio in robigine antiqua tenaciter servanda admiranda esset. Sic potius rem accipe: quotiescunque *vo* incolume deprehendamus, eam formam diligentiae librariorum nostrum quidem in commodum se subduxisse; unde factum nonnumquam

ut utraque forma in eodem exemplari servata sit, veluti in Mediceo Vergilii codice, quod scite iam adnotatum in Orthogr. Noris. p. 252. ed. Harl. Cf. Wagneri Orthogr. Verg. p. 446. Ceterum exemplis antiquae scripturae ex Cicerone a Freundio collectis adde *volnere* in Sallustii codice apud Maium Auct. class. T. I. p. 417. Adiice, in Glogaviensi Ciceronis de finibus codice nonnullis locis scripturam *volt* et id genus alia retineri. Item *volgus* in palimpsesto orat. pro Rosc. Am. I, teste Niebuhrio Cic. oratt. p. 83. Item *voit*, *volgus*, *volnus* etc. optimi Ciceronis epistolarum Medicei, innumeris locis, atque ita passim, ut ubi nunc *vult* vulgatur, ex genuina scriptura *volt* evaserit in cod. corruptum *volet*, veluti Ep. ad Att. II, 19, 5. XIV, 1, 2. Adiiciam unum exemplum *clavom* ibid. VIII, 15, 1. Praeterea eiusdem scripturae exempla crebro in melioribus codd. orationis pro Sextio reperiri, notavit Halmius in eius orat. editione sua p. 322. Easdem porro formas Varroni suo vindicavit iure Müllerus ad L. L. p. XXXVIII, cui tamen minime adstipulor contendenti, quum delicatiores Romanorum aures in complexu litterarum OVO offendissent, cuius offensae ego nullam quidem perspicio caussam, pro *novom* et similibus olim scriptum fuisse videri *noum*: quod vel eo refutatur, quod nemo veterum haeserit in dicendo vel scribendo *novo*, *novus*, *novorum* et aliis sexcentis: si qua enim eius scripturae exempla reperiuntur, ea malo in vitiis ponere, a frequenti illo librariorum pro duplice V unum scribentium more repetendis, de quo infra. Item passim codd. I. Caesaris, quorum auctoritatem Schneiderus hic secutus est, illic sprevit, *hanc ob* inconstantiam iure notatus a Weissenbornio in Zeitschr. f. d. Alterth. 1845. p. 60. Et quis ferat scriptorem intra trium versuum spatium exhibentem *volgo* et *vultus*, quod apud Schneiderum exstat Bell. Gall. I, 39, 4 et 5. Neque, ut hoc adiiciam, ex eo, quod Freundius postremo admovet, Italos *vulneratо*. et similia per *uu* protulisse, aliquid consequitur probationis, quum sic si protulerunt, secutos eam scribendi vel enuntiandi rationem esse videri, quae inclinante Latinitatis aevo vulgaris fuisset, eodem iure contendi possit: sed ne verum quidem illud est, quod de usu Italorum affertur, quos constat promiscue utraque scribendi forma usos esse atque etiamnum uti. Itaque Cicero quid scripserit, non potest esse dubium, neque post Augusti demum aetatem alteram formam scribendi paullatim in usum venisse, quod tribus verbis iam ad Apuleium l. l. significaram, idem posthac Spengelius in Seebodii Neues Archiv III, 4. p. 121 statuit. Quid? quod ea forma etiamtum Tacitum, antiqui sermonis imitatorem, usum esse, conatus est demonstrare Bachius in Allg. Schulzeitung 1833. No. 107. init. Ut hoc mittam, certo certius est quod Wagnerus Orthogr. Verg. p. 445 demonstravit, antiquiore forma etiam tum Virgilium usum esse: cuius consuetudinis indicia passim etiam in huius poetae minoribus carminibus reperiri, addendum est,

veluti in Moreti 84 et 107, ubi cod. Stuttgart. *voltus* et *voltu*. Atque etiam Velleius Paterculus hac scribendi ratione usus videtur, quandoquidem certe *vicos* scripsit, notante Orellio praef. p. X. Igitur virorum doctorum, qui quod in Catullo patienter ferunt, veluti *volt*, Ciceroni vero recusant, fastidium non veritus, antiquam scribendi rationem per hos libros de rep. Tullianos constanter revocare ausus sum, neque mea ipsius, sed talium virorum, qui suo exemplo rectam viam monstrarunt, qualis nostra aetate Madvigius est, prae aliis instar omnium nominandus, auctoritate confisus: atque id etiam in eius modi vocibus, quas grammatici adhuc neglexerunt, veluti in *rivolus* II, 19, ubi vide not. Sunt vero quaedam formarum genera constantiae caussa, sed non sine aliqua haesitatione rescripta, veluti *volvontur* et, quod etiam magis dubium videri possit, *consequontur* VI, 17, vel *loquontur* VI, 20, non quod ea non pro Tullianis habenda esse persuasum mihi sit, sed quod quoniam propter syllabae exitum in duas consonantes a ceteris paullo diversa sunt, ambigi de iis posse haud ignorem.

Ceterum quae hactenus exposui, ad eam dicendi formam pertinent, qua geminata vocalis unam syllabam efficit: restat ut quaeramus, ubi duas efficiant, usus quid tulerit, veluti in eiusmodi vocibus, quales sunt *exiguum*, quae annon per *om* scribendae sint dubitari potest. Exstat enim v. c. ARDVOM non solum in titulo Augusti aetatem antecedente ap. Grut. p. 171, 8, sed etiam in alio post Augustum inscripto, in Iahnii Jahrb. 1840. T. XL. p. 334. Constat quidem, ubi recentiores *u* breve scriberent, antiquos *o*, ubi *u* longum, diphthongum *ou* exhibere solitos esse, qua de lege v. Comm. de pronomine *is* p. 15. 93 *):

*) In XII Tabulis olim *souo*, *souos*, *soua* (suo, suos, sua) vitiose vulgabatur, minime defendendum auctoritate inscriptionum duarum, quas ad firmandum diphthongi in eo pronomine usum attulit Schneiderus Gr. Lat. p. 85. Atque unum exemplum, quod laudavit, SOVEIS, sumptum ex titulo apud Grut. p. 307, 8 satis recenti, quod convincitur vel una ibi obvia scriptura BIX*it*. Contra SVEIS scribitur in titulo Ostiensi satis antiquo in Bull. dell' inst. archeol. 1834. p. 132. Alterum exemplum senarium fert:

souom mareitom corde dilexit souo.

Sed aliud apographum ap. Funccium de adulesc. Ling. Lat. p. 329 SVOM; rursus aliud, quod e Codice MS. in Sylloge inscr. p. 529 edidi, *suom* et *suo*. Ut concedamus, revera marmor *souom* et *souo* exhibere, tamen hunc titulum, si quidem non spurius est, accurate consideranti patebit, scripturae genus mira et paene ridicula vetustissimarum et recentissimarum dicendi formarum mistione constare, ab homine imperito profecta, qui antiquitatis speciem imitaturus, proba improba iuxta composuerit. Alii vitio obnoxii ii fuisse existimandi sunt, qui IOVBEATIS inciderunt: nam quod Schneiderus iuxta affert NAVEBOVS ex Columna Duillia, fictum est, quum ibi NAVEBOS exaratum sit. Neque scripturae vitiosae IOVBEATIS, quae in SC. de Bacchanal. exstat, caussa

sed de aetate, ad quam usque usus ille perdurarit, nihil adhuc in comperto habeo: neque adhibendo legem istam universalem quicquam confici crediderim, quum de peculiari usu duarum vocalium *ov* iuxta se positarum agitur, qui quaeri potest annon ad eundem modum, quo in *quom*, de cuius scripturae ratione adi Excursum VI, exactus fuerit, ita ut recte Cicero *arduom* et similia dixisse videretur. Sed tametsi hoc haud improbabile est, nolui tamen in re adhuc non satis explorata in contextu Tulliano quicquam reformare. Minime vero Wagnero l. l. p. 448 adstipulor, talia, qualia sunt *arduos, continuos*, vel *perpetuom, ambiguom*, aut priscae et obsoletae Latinitati aut festinationi librariorum tribuenda esse censenti; quod enim de nominativorum istorum scriptura vere dixisse videtur, id ad ceterorum genus pertinere haud arbitror. Item in medio reliqui eius rationis formas, qua *u* in *o* ante duplicem consonantem transit, quales sunt *mondus, fondus, fonditus, nonquam, nontius, nondinae* et aliae, quae passim in Cic. Epistolarum cod. Medic. reperiuntur.

Coronidis loco adiicio, ex hac verborum classe eximenda prorsus esse *vortere, vortex, voster*, quorum hoc a Ciceronis aevo alienum esse, adversus Wunderum bene monuit Freundius l. l. p. 7. Idem etiam de ceteris monendum, quorum haud magis quam formae *voster* exemplum ullum memini in palimpsestis Ciceronis deprehendere: etsi ea Niebuhrius ad Cic. Or. fr. p. 110 in iis formis refert, ad quae Ciceronis scriptio auctoritate codd. Vatic. or. pro Fonteio et pro Flacco conformanda sit. Quod egregie confirmatur testimonio Quintiliani l. l.: „Quid dicam *vortices* et *vorsus* ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in E litteram secundam vertisse dicitur?“ Tametsi iam minime credendum, posteriores, ne dicam aequales Scipionis, continuo in scribendis istis vocibus hunc auctorem secutos esse omnes, tamen, uti certum est, Plautum antiquo more *o* scripsisse, quod vel ex uno Amphitruonis exordio *ut vos in vostris voltis mercimoniis* demonstrari potest, ita credibile videtur Ciceronis aetate eam formam ita obsolevisse, ut ea tantum in quibusdam ex antiquitate transumptis formulis, veluti *quod bene vortat, vorsus* (agri mensura), *divortium*, et similibus aut in aliqua antiquitatis affectatione praecipue a poetis retineretur*). Unde quum nullo tempore illius formae usus plane per-

latet: in errorem quadratarium induxit IOVSISET et alia eius generis exempla in eodem monumento obvia, quae recte per *ou* scribuntur.

*) Quantum ad Ciceronis usum fortasse eximenda sunt vocis composita, quandoquidem cod. Med. Epistolarum pleramque *adversus* exhibet, veluti ad Att. IV, 2, 1. *devorsorium* Ep. ad fam. VI, 19, 1. XII, 20, ad Att. XI, 5, 2: quae antiqua est, ut hoc obiter adiiciam, vocis scriptura per *e*, non per *i*, quoniam est receptaculum, quo de via nos vertamus; quod contra *diversorium* magis in usu quam *deversorium* fuisse Placidus in Glossis in Maii Auct. cl. T. III. p. 453 affirmat, id recte

ierit, factum ut formarum *vortex* et *vertex* discrimen grammatici nonnulli, quos inter adeo Plinius fuit teste Charisio p. 68, in significatione quaererent et, quum semel de recta via deflexissent, varias sensus rationes comminiscerentur. Praeter Charisium vide in primis Caprum p. 2248. Affines sunt formae verborum *amploctere*, *convollere* pro *amplectere*, *convellere*, de quibus v. Cornutum Cassiodori T. II. p. 576. Garet. quorum hoc quum facit perfectum praeter *convelli* etiam *convulsi* *), vel potius *convolsi*, de regula non excidit: illud servavit codex Parisinus optimae notae in Livii Andronici ex Odyssea loco, quem laudat Diomedes I. p. 379: „Item vulgo dicimus *amplector*; veteres immutaverunt, *amplocto* crebro dictitantes **), ut Livius in Odyssea: *utrum genua amploctens virginem oraret*", ubi vulgatur *amplecto* et *amplectens*.

EXCURSUS VI.

De formis coniunctionis *quom*, *quum* et *cum*.

Ad I, 1.

A Ciceronis consuetudine dicendi alienam esse formam coniunctionis *quum*, et huic et aliis horum de rep. librorum locis invito Codice ab editoribus, quibus sese adiunxit Orellius quoque, illatam, ex iis patet, quae demonstrare studui Zeitschr. f. d. Alterth. 1839. No. 58. p. 463; Tullium pro indole saeculi sui aut *qum* aut *quom* scripsisse. Quibuscum conferenda sunt, quae ipse Orellius in singulari orationis pro Mil. editione ad c. 1. p. 45 congessit, quibus etiam quae de discernenda scriptura coniunctionis et praepositionis monui, egregie confirmantur. Adde Isidorum MS. in Maii Coll. Vat. T. VI. p. XXXVIII. Cum sententia mea mirifice congruit illa locorum, quibus vel in Cod. Vatic. vel in ceteris palimpsestis coniunctio occurrit, enarratio diligentissime a Freundio ad or. pro Mil. p. 32 instituta, ex qua triplex prodit scriptura, *quom*, *qum* et *cum*; *quum* vero nusquam reperitur, ex quo firmari cave credas Wunderi Varr. lect. Cic. p. XCVI sententiam de forma ista omnino damnanda, satis refutatam a Meyero ad Quintil. I, 7, 5. p. 117, tum ex fide codicum, tum ex testimonio grammaticorum veterum. In titulis

---

habeat, si modo id de consuetudine recentioris aetatis intelligitur. Malui tamen ut in re adhuc non satis comperta ab usu antiquae formae compositorum Ciceroni vindicando interim abstinere.

*) Bonifacius Arte in Maii Auct. cl. T. VII. p. 515 agnoscit *vellui* et *vulsi*, nisi illud vitiose scriptum est pro *velli*, quod excitat Placidus in Glossis ibid. T. VI. p. 574.

**) Verbi *complecti* usum passivum exemplis Lexica illustrarunt. Adde Gargilium in Maii Auct. cl. T. I. p. 398 et Tractatum in Lucae evang. p. 191 (Maii Coll. Vat. T. III.)

frustra adhuc exemplum vocis *quum* quaesivi. *Cum* vero in Cicerone qui scripserunt librarii, quum non possit dubitari quin recentioris temporis, quo *cum* iuxta *quum* in usu fuit*), consuetudinem secuti sint (nam Ciceronem *cum* scripsisse, mihi quidem non probavit Stuerenburg. ad Off. p. 161), optio inter *quom* et *qum* relinquitur, quarum formarum utra Cicero usus sit, eo facilius diiudicatu est, quo ipsa scriptura *qum* apertius in se habet formae ex antiquiore et satis firmata *quom* demum profectae mediumque quasi locum inter *quom* et posterius *cum* obtinentis speciem. Praeterea in antiquis huius coniunctionis formis tantum abest ut Marius Victorinus I. p. 2459 sq., ubi copiose hunc locum tractat, *qum* referat, ut ea iuxta alteram *quum* utendum quippe suam ipsius disciplinam secutus tradat, disertis *verbis* insuper admonens, antiquos eam quatuor litteris extulisse, vel *quom* vel *quum*, quod quidem apud solum Catonem legeretur: de qua viri singularis, peculiaria multa sermoni suo admiscentis consuetudine quid statuendum sit, in medio relinquo. Si vero Cicero coniunctionem quatuor litteris scripsit, quod ex Mario Victorino colligere fas est, non potuit non eam formam exhibere, quam aetate ipsius atque etiam posthac in usu fuisse demonstravimus**), videlicet *quom*, fictam ad eam antiqui temporis, a Tulliana aetate haudquaquam distantis consuetudinem, qua in scribenda duplice *V* posterior in *O* mutata fuit: de qua v. Excursum V. Praeterea nullusdum, quantum sciam, repertus est antiquus titulus, qui QVM exhibuisset: ex quo certe in *rariorem* eius formae usum coniecturam facere licet. Itaque *licet* uno tantum loco operis de rep. III, 18, scriptura *quom* incolumis ad nostram aetatem servata sit***), is tamen ipse eius formae a librariis plerumque expulsae testis est, quum quod prior manus recte pinxerat, id ab altera postera scilicet correctum fuerit. Contra constanter fere antiqua scriptura exstat in cod. Med. Epistolarum. Neque aliter Livius scripsisse videtur, quandoquidem *quom* optimae notae codex offert laudatus Gervasio Oss. sopra una iscrizione Sipontina p. 49. Quocirca non tam nobis confisi, quam aliorum nostrae aetatis hominum, qui eandem for-

*) Antiquius monumentum, quo CVM legatur, non novi titulo Orelliano 4370 a. p. Chr. 155 inciso.

**) Adde Legem de scribis etc. a Goettlingio nuper emendatius editam, in qua constanter QVOM exstat. Adde alias inscriptiones aut Augusti aetate aut haud multo post incisas, quas excitavit Ritterus Elem. gramm. Lat. p. 95. 101. Adde alias binas, quarum una est a. u. c. 754. notatas in Ferussaci Bull. des sciences histor. 1830. T. XV. p. 238 et 243; adde tertiam in Revue de philologie T. I. p. 521. Constanter denique *quom* Lex Galliae Cisalpinae.

***) Fortasse alii duo loci addi possunt, siquidem recte coniicio, *quam*, quod III, 5, ubi coniunctione opus est, et alio ibidem loco, quo altera manus *a* delevit, lapsu librarii pro *quom* scriptum esse.

mam aliis in Tullii scriptis exprimendam curarunt, exemplum imitati, eam per hos libros confidenter reponere utique ausi sumus, quum praesertim in eadem scriptura in Catulli carminibus exhibita neminem offendisse viderim: quod idem accidit in formis *quoi* et *quoius*, de quibus alio loco dictum est.

Verbo ad formam *qum* redeundum, quam etsi non obelo confixerim, quod si fides Martiano Capellae habenda esset, sane faciendum esset, quippe Lib. III eo capite, ubi de mutis disserit, §. 255 monenti, *q* litteram numquam sine duabus vocalibus poni, quarum prior *V* sit, quod eo verius esse iudicabimus, quo certius constat, illud *V* cum litt. *Q* ita coniunctum esse ut unius litterae sonum utraque efficiat*): tamen eam non possum a me impetrare ut pro integro linguae Latinae idiomate agnoscam; immo ita potius res habere videtur, ut ubi *qum* scriptum reperiatur, id brevitatis studio factum esse statuamus: quod pariter factum esse verisimile est, ubicunque pro duplice *V* post *Q* simplex scriptum deprehendatur. Exempla vocum PEQVNIA et QVRTIVS (Curtius) ex titulis collecta dabit Syll. inscr. p. 556. Adde inscriptionem in Drummondi Herculanensibus p. 33. Adde PEQVLATVS in Lege de scribis etc., ubi etiam PEQVNIA exstat. MARQVS, Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 320, alia permulta. Neque desunt exempla in palimpsestis, quorum locos post Niebuhrium congesserunt Peyronus ad Cic. fragm. p. 188 et Freundius ad or. pro Mil. p. 31 sq. 37. Horum potissimum codd. fide nisus quum Wunderus Mus. Rhenan. 1829. fasc. 2. p. 274 demonstrare studuit, etiam citra Augusti aetatem Latinos aut *qu*, vel *cu*, nunquam *quu* dixisse, ita ut v. c. *loquntur* vel *locuntur*, numquam *loquuntur* dixissent, de his quid statuendum sit, nunc satis, ut puto, patebit, quum adiecero, quod de formis, qualis est *locuntur*, praecipitur, id nullius exempli idonei auctoritate firmari. Quae enim haud infrequenter scriptura vocum, ut *aecus*, *inicus*, *cocus* etc., reperitur, eam ab antiquitate abhorrere, recentiore quippe aevo inventam, demonstratum dedimus ad I, 21 *aequom*. Praeterea cum toto hoc dicendi genere comparandum *Pacuius*, vel etiam *Paquius*, de quo dixi ad III, 9, eadem ratione expediendum, nisi aliquoties per librarii oscitantiam in his et similibus alterum v omissum putare praestabit, quod manifeste accidit in scriptura *mortus* pro *mortuus* II, 18, ubi v. not. Aut numquis de mendo dubitabit, quum *parum* pro *parvum* scriptum repererit, quod passim notavi? aut contra simili errore quum exhibitum sit *paruum* pro *parum*, uti refert Maius ad Victor. Rhet. p. 67. Conf. ibid. p. 74 et 77.

*) V. Graffium Ueber den Buchstaben Q (Abhandl. d. Berl. Acad. d. Wiss. 1839), et quae de Graffii sententia monuit Dietrichius Comm. de quibusdam consonae *v* in lingua Latina affectionibus p. 4 (in Kirchneri Soll. saec. Scholae Portensis).

Ut vero credam, breviandi caussa, ut dixi, vocalem illam passim neglectam esse, eo adducor, quod eius usus exempla frequentia non solum in titulis, sed etiam in nummis obvia sunt: in quo monumentorum genere ob spatii angustias id factum esse putari potest, veluti quum in nummo Constantii II, de quo v. Jahrb. d. Ver. von Alterthumsfr. im Rheinl. IV. p. 107, atque in aliis eiusdem aetatis EXERCITVM scriptum est. Aliorum nummorum exempla attulimus ad III, 9. Quidni idem in scribendo factum dicamus?

Restat ut, oblata occasione, verbo praepositionem *cum* tangam, quam quum olim Zeitschr. l. l. dixissem a Cicerone probabiliter *qum* scriptam fuisse, re diligentius iam perquisita, nunc patet, eam scripturam, quum praepositio cum coniunctione *nihil* nisi vocis similitudinem commune habeat, sicubi reperiatur, non posse non errori tribui, ita ut numquam alia eius vocis forma quam *cum*, quam nummus satis antiquus ap. Eckhel T. V. p. 136 exhibet, in usu fuisse videatur.

EXCURSUS VII.

De genitivo declinat. II in *i* pro *ii* desinenti.

Ad I, 1 *oteique*.

Arbitrorum harum rerum idoneorum, quales sunt Beieri, Wunderi, Madvigii, Klotzii, qui genitivorum in *i* desinentium formam Ciceroni vindicarunt, exemplum secutus, revocavi *Codicis* lectionem, a m. 2 in *otiique* mutatam, quod praeeunte Maio expresserunt editores ad unum omnes, non excepto Heinrichio, qui in Adnot., ubi totum hunc usum pertractat, quantum quidem ad Ciceronis consuetudinem, omnia ex aurium iudicio apta esse, demonstrare studet. Atvero illud ipsum *oti* exhibet cod. Med. m. sec. Epist. ad Att. IX, 11, 2, firmatum etiam Vergilii auctoritate Georg. IV, 564. De illa genitivi forma hic et per totum Ciceronis libellum etiam invito saepe Codice revocata adi *nobis* dicta Adnot. crit. in Quintiliani X. P. II. p. 21, quibus nunc addo exemplum illius formae feliciter servatae in palimpsesto orationis pro Rosc. Am. 1 (*Rosci*), teste Niebuhrio Cic. Oratt. fragm. p. 83. Eandem nominum formam ut *Pompei*, *Mari* etc., constanter retinere cod. Vaticanum saec. XI scriptum Ciceronis Philippicarum, testatur Deycks De Cic. Philippicarum cod. Vat., Monasterii 1844. p. 15. Item codd. Vatic. or. pro Fonteio et pro Flacco, notante Niebuhrio ad Cic. fragm. p. 110. Passim etiam Epistolarum codices Medicei ab Orellio diligentius quam antea factum excussi Tom. III, 2, ad calcem, v. c. ad Q. fr. I, 2, 5 *cascelli*. II, 2, 1 *Sesti*. ad Att. I, 13, 3 *Claudi*. III, 17, 1 *Appi*. V, 16, 1 *spati*, aliaque aliis locis multa, in quibus ea forma nonnumquam obscurata latet, veluti IX, 9, 4, ubi pro

Antii quam et *Antii quum* Cod. *antiquam* et *antiquom* exhibet. Pro *Matiique* IX, 17, 1 Cod. idem *malique* cum *n* supra scripto: hoc est aut *Matique*, aut *Manique*, aut *Manlique*, minime vero *Matiique*. Cf. Haase ad Reisigii Gramm. Lat. §. 57. not. 54 Meyer. ad Quintil. T. I. p. 3 et Wagner. in Ephem. litt. Hal. 1834. No. 73. p. 577 sq., de usu apud Martialem diligenter quaerentem. Neque alia forma in horum nominum genitivo usum esse Velleium Pat., ex diligenti libri Amerbacensis notitia in comperto nunc habemus, v. Orell. ad Vell. p. x coll. Fechtero Amerbachsche Abschrift, passim. Non possum hunc locum transire, quin Koenii mentionem faciam, qui quum eandem rem olim tetigisset Ueber die Sprache der Römischen Epiker p. 34, eam postmodum Commentatione peculiari (Museum des Rheinisch-Westfälischen Schulmänner-Vereins I, 2. 1842. p. 57 sq.) eodem anno, quo in eodem argumento profligando ipse elaborabam, intentis omnibus viribus ita retractavit, ut rem absolvere plane niteretur. Cuius viri eruditissimi iudicium quum semper magni fecerim, tum eo magnopere laetatus sum, quod in primaria certe argumenti parte post doctam Sverdsioei expositionem a Koenio prorsus neglectam hunc inter et me nullam omnino esse dissensionem animadverterim. Pro explorato enim statuimus ambo, genitivorum formam in duplex *ii* exeuntem primitivam fuisse, alteramque formam in *i* contractione ortam esse, tum metro cogente, tum ob fastidium male in aures incidentis geminatae vocalis *i*. Discedimus vero eo quod Koenius utraque forma veteres etiam ante Augusti aetatem promiscue usos tradit, dum mihi contracta sola illis temporibus usitata visa fuit. Ut nunc re duce Koenio iterum examinata lubenter concedam, non prorsus abstinuisse poetas a primitiva forma, tamen idem mihi haudquaquam persuasit, ut omnia arbitrio scriptorum relicta fuisse existimem: immo quod l. l. demonstrasse mihi videor, id etiamnum arbitror tenendum, formam in *ii* veteres ob soni molestiam aspernatos, hanc legem secutos esse, ut ubi fieri posset, eam repudiarent: itaque prosae orationis auctores antiquos alteram scribendi consuetudinem constanter eo usque retinuisse, donec accedente magnorum scriptorum, quales fuere Lucilius, cuius de praecepto et usu v. Schmidt De Lucilii fragmentis libri IX, Berolini 1840. p. 22, et postmodum Varro, suasu, auctoritate et exemplo, paullatim ab Augusti inde aetate iuxta alteram nullo antiquitatis tempore fortasse plane abiectam in usum recepta esset. Nam, quod idem ostendisse me satis puto, id tum monumentorum inscriptorum fide confirmatur, tum ipsorum codicum auctoritate prorsus sustentatur: horum enim his in rebus aut nulla ratio habenda, aut, si qua, ut arbitror, eorum ipsorum exemplorum, quibus simplex genitivi forma auspicato servata est, copia testatur, alteram scripturam correctioni deberi, quod ex ipsis his Ciceronis libris planum fit, quibus in-

tolerabilem huius scribendi consuetudinis inconstantiam Codex offert, sed ita, ut, quemadmodum nostro loco, ita etiam aliis in genuinae formae locum altera recentior a m. 2 passim substituta sit.

Restat ut dicatur de una nominum propriorum in *eius* desinentium classe, cuius de genitivorum scriptura valde impedita mihi adhuc non satis liquere confitendum est. Apta tota haec quaestio est ex praecepto grammaticorum veterum in eo consentientium, litteram *i* si in media voce inter duas vocales reperiatur, duplicem accipiendam esse, ita ut una *i* ad praecedentem syllabam, altera ad subsequentem pertinuerit, quo factum sit, ut v. c. *Pompeius* enuntiatum ita fuerit, ac si scriptum esset *Pompei-ius*. Cf. Schneideri Gr. Lat. I. p. 276. Quo modo *ea i* pronuntiando sonarit, nunc non quaero, sed qua ratione scripta fuerit. Sed non solum dupliciter eam enuntiatam, sed ab antiquioribus etiam dupliciter scriptam fuisse, veluti *matius*, *peius*, iidem tradunt grammatici, freti potissimum auctoritate Ciceronis, qui *aiio*, (huius loco Velius Longus nominat *Aiiacem*) *Maiia*, scripsisset, unde necesse videatur genitivum n. *Pompeius* tribus *i* exaratum fuisse, *Pompeiii:* quod ipsum I. Caesarem praecepisse, ab iisdem adnotatur. Haec, siquidem ad analogiam unice exigantur, recte disputata esse quamquam nemo negabit: tamen ea scribendi ratione antiquos in scribendo usos esse, valde incertum est, immo non ante credendum erit, quam idoneis eius scripturae exemplis vulgaris eius consuetudinis usus demonstratus fuerit: quod an umquam fieri possit, valde dubito. *Nam* EIIVS, quod solum a Schneidero p. 280 ex Grut. p. 106, 13 excitatur, alienum ab hac quaestione est, non quod ea inscriptio in Gruteri suspicionem incidit, qua de re exponere non vacat, sed quod prior *i* cum *e* in unam syllabam diphthongo constantem more antiquo coalescens, eam ipsam formam exhibet, quae tempore antiquo in usum vulgarem recepta fuit, qua de re alibi exposui; atque ita illud EI accipiendum esse, reliqua illius inscriptionis conditio docet, in qua *i* longa *ei* scribitur, veluti *in* LIBERTEI et VICINEIS, uti ibi scriptum est. Firmat dubitationem nostram Probus Inst. I, 2, 3: „Praeterea vim naturamque i litterae vocalis plenissime debemus cognoscere, quod duorum interdum loco consonantium ponatur; hanc enim ex suo numero vocales duplicem litteram mittunt, ut cetera elementa litterarum singulas duplices mittunt: de quibus suo disputavimus loco. Hac ergo ratione i littera duplicem sonum designat, una quamvis figura forma sit, si undique fuerit cincta vocalibus, ut *acerrimus Aiax* et *Aio te Aeacida* etc.“ Si igitur valde mirum atque singulare videri debet, quod de scriptura geminatae *i* traditur*),

*) Iotacismum vulgo grammatici vocant. V. Spald. ad Quintil. T. I. p. 112. Alia loquendi genera, quae in vitiis referi, eo nomine compre-

hoc certe quod de triplice *i* narratur, quo minus revera scriptum putemus, eo cohibemur quod quanto studio veteres plurium litt. *i* concursum evitarint compertum habemus. V. Comm. de pron. *is* p. 31. Atque quum Ciceronem *aiio* cum *Maiia* exarasse Quintilianus refert I, 4, 11, quo duce eam formam cum aliis Bothius Plauto quoque vindicare studuit ad Amph. 128, Velius Longus p. 2219 illius vocis loco ex Cicerone *Aiacem* excitat, ita ut de utra voce Tulliana sermo sit ambigas, nisi malis *Aiiacem* cum quibusdam viris doctis, quos notavit Meyerus, Quintiliano pro *aiio* vindicare. Si posterior videatur potior, quod ut credam adducor altero exemplo item ex lingua Graeca adscito, non male, puto, suspicatus sis, non de istorum nominum scriptura, quantum quidem ad Ciceronis testimonium attinet, agi, sed, quae etiam Niebuhrii sententia fuisse videtur ad Or. pro Fonteio p. 57, de Graecarum vocum forma Latina, in qua si geminatum *i* Cicero admisit, id fecisse putari potest ad consuetudinem Graecorum ipsam, secundum quam antiquitus Ἀχαιΐα et alia id genus scripta sunt. V. Syllog. inscr. p. 111, collatis Maittair. de dial. p. 399. et. Blomfieldio ad Aesch. Agam. 607, ubi ex melioribus codd. Ἀχαιϊκοῦ recipiendum*), et Blochio Revision der Lehre von der Aussprache des Altgriechischen p. 79 sq. Utut haec sunt, in hac rei difficultate de genitivi forma quaerenti tutissimum videbitur in eo Caesellii grammatici praecepto acquiescere, quod et antiquissimorum monumentorum fide corroboratur et auribus Romanorum maxime convenire debuit, videlicet ut scribatur v. c. *Fontei* (vel ut accuratius dicamus *Fonteei*), quod ipsum suppeditat cod. Vatic. or. pro Font. I, 2, ubi v. Niebuhr l. l. et qui antea scite eandem formam formam commemorarat, Schneiderum l. l. p. 289. Praeterea exstat genitivus POMPEI in lapide non valde vetusto, Syll. inscr. p. 462, item in alio PACVMEI in Avellinii Bull. arch. Napol. I. p. 90, eandemque eiusdem nominis formam refert cod. Amerbacensis Velleii, teste Fechtero p. 18. 20. Eiusdem rationis est *Gai* in eodem cod. oblatum I, 6: quae, quum ex eo nominum genere sint, quae ante *ius* vocalem habeant, bonae aetatis scriptores vereor ne numquam aliter quam una litt. *i* exaraverint, quod diligentius excussi codices utique ostendunt; qualis est conditio codicis sex priorum librorum Annalium Taciti, (teste Carol. Halmio, qui bonam hanc observationem humaniter mecum per litteras communicavit) singulari constantia in vulga-

hendit Consentius de barbarism. 12, ubi de natura i litterae initio vocis positae loquitur. Quo etiam spectant haec Mallii Theodori p. 8 ed. post. „Adsociantur itaque sic inter se vocales litterae, id est *i* et *u*, ut prior littera vim teneat consonantis, ut *Iuno*, *video*, quarum syllabarum ea conditio est, ut interdum breves, interdum longae sint", ubi pro *video*, quod alienum est, leg. *iubeo*.

*) In Aristot. Rhet. III, 6 tres codd. Bekkeri Ἀχαϊκους, quod in hoc scriptore an reponendum sit, ambigo.

ribus nominum formis *ii*, in illa autem classe simplicem vocalem exhibentis, veluti I, 1 *Pompei* et *Gai*, rursusque ibidem *Antonii* et *Tiberii*. Denique ut vera sint, quae de geminata *i* in exemplis istis traduntur, tamen ratio eorum a genitivorum forma ideo aliena videbitur, quod in horum terminatione *i* accedit, quod ab istis abest: neque enim quisquam veterum contendit tertiam personam *aiiit* scribendam esse: immo ut ne *aiit* quidem scriptam arbitremur, eo adducimur, quod apud poetas antiquiores una plerumque syllaba pronuntiatam scimus, veluti in Plauto, apud quem alia mensura excepto versus fine eam reperiri negat Lingius in Ephem. litt. Ien. 1816. No 175. p. 459: atque in versus fine non aliter quam priore syllaba correpta, quod item in imperativo *ai* fit, teste Naevio apud Priscianum T. I. p. 510 et 511

an nata est sponsa praegnans, vel aï vel nega *).

Neque ceteri poetae *ait* et *ais* aliter-quam prima correpta adhibuerunt, veluti Persius qui *ăĭs* dixit, vel Horatius, qui quum *ăit* posuit, idem tamen *aiebat* scripsit.

Quae de genitivi forma disputavimus, ea item de pluralis nominativo et dativo dicta sunto, in quibus, concurrentibus duabus *i i*, una veteres scribenda contenti fuere. Itaque verissime sunt quae Schneiderus l. l. p. 289 de plurali *Graï* pro *Graii* vel *Graji*, ut vulgo scribere malunt, Terentiano Mauro vindicando monuit, quamvis praeter morem is priorem syllabam corripuerit. Confirmantur illa Vergilii cod. Mediceo, ubi quum multis locis eius nominis nominativus et dativus reperiantur, constanter scribitur *Graï* et *Graïs*, priore syllaba, producta, ut etiam *in Pacuvio* ap. Cic. de N. D. II, 36, 91, ubi nemo nunc dubitabit *Grai*, vel potius *Graei*, reponere, servata tamen in iis, quae Cicero ipse subiungit, forma *Graius*. Igitur in horum librorum III, 9 *Graïi*, quod a Cod. suppeditari traditur, eo minus feremus, quo certius genuina scriptura *Grais*, ab editoribus temere spreta, alio loco II, 4 a Cod. offertur, et quo facilius illud ex vitioso *Graei*, uti olim scriptum erat, transformari potuit. Addo, quod VI, 16 *Grais* item a codd. nonnullis exhibetur. Contra *Graïos* I, 37 suo sibi iure fruitur. Aliud exemplum sistit nomen Boiorum, cuius nominativum plur. *Boi*, ablativum et dativum *Bois* in optimo cod. Puteanco scribi testatur Alschefski Liv. T. III. p. XVI, in quo Cod. etiam *i* et *idem* pro *ii* et *iidem* exarari, idem testis est p. XVII. Atque haud scio annon haec observatio ad totum hoc genus duarum syllabarum sese excipientium, quarum quaeque *i* in se habet, ita pertineat, ut loco duarum *i*, crasi facta, una (in Cicerone quidem huius loco *ei*) scripta sit, id quod iam in Varrone suo passim Müllerus, quem vide ad V, 33 et 34, adnota-

*) Verbum *est* velim deletum: insititium esse, docere videtur incerta eius sedes. Nam apud Diomedem p. 307, quo idem versus laudatur, *an est nata* exhibetur.

vit quodque auctoritate codicum vetustorum mirifice sustentatur. Quam rem supra ipse passim tetigi, veluti p. 33. 40, ubi agitur de *ali* pro *alii*, 63 *Iunis* pro *Iuniis*, quae Vaticanus noster exhibet: ex quo sola haec exempli loco addamus, *comitis* II, 13, 25. *regis* II, 15, 29 et 17, 32, ubi altera m. scilicet correxit in *regiis*, quemadmodum etiam in Velleio olim *regi* pro *regii* scriptum fuisse Orellius testatur p. X. *manubis* II, 17, 31. *patris* III, 29, 41. Cf. Comm. de pronom. *is* p. 73. Haec genuinae scripturae vestigia numquam ego contempsi, sed an Tullio iure vindicarem, quum tum ignorarem, nunc quum et aliorum vetustorum codicum auctoritate satis firmatam viderim (v. Niebuhr. ad Cic. or. fragm. p. 110, ut alia taceam), ea adductus sum, ut si modo longam illam *i* per diphthongum scribamus, ipsam Ciceronis manum restitutam esse in comperto habeam. Quod et ipso scriptorum Tullio antiquiorum usu comprobatur, in quibus Plautus, ut unum afferam, duorum sonorum *i* concursum tanto studio evitavit, ut v. c. numquam aliter quam *audisti*, *audisse*, *audissem* dixerit, primitivam tamen formam in ambiguae potestatis locutionibus, quale *audimus*, *audit* sunt, servaverit; quod nuper ostendit Fleckeisen Exerc. Plaut. (v. Iahnii Jahrb. Vol. XLVI. p. 469.) Sed quae hactenus huius doctrinae posui rudimenta, ea me minime fugit altius aliquando repetenda atque suis finibus coercenda esse. Nam et in his consuetudini uniuscuiusque scriptoris vel etiam aetatis multum tribuendum esse, concedi debet: atque esse quaedam dicendi genera ab illo usu exempta, vel una adiectivorum classis docet, quorum genitivos duplicem *ii* sibi servasse constat, tum tantummodo illa crasi affectos, quum substantivorum vices sustinerent. Cuius usus exemplum exhibet genitivus *Olympi* pro *Olympii* Vergilio Laevioque usurpatus; quorum locos attulit Caecilius Apuleius de orthogr. 15, qui quum eius formae rationem ignoraret, illis formis deceptus, etiam *Olympum* appellatum esse levem docuit: quod cum aliis nugis, quas profudit, in hoc grammatico patientius feremus, quam in Ungero, qui De Thebarum Boeotic. primordiis p. 397. Apuleium parum a me intellectum esse demonstraturus exemplis abusus est, quibus pro *Olympio* veterum quemquam *Olympum* dixisse nemo facile sibi persuadebit.

Non possum ab hoc loco discedere, quin etiam aliud dicendi genus ab hoc argumento minime alienum brevi tangam. Incidit nuper quaestio, composita verbi *iacio* utrum una, an geminata littera *i* scribenda sint, atque quum illam scribendi rationem non solum recentioris aetatis codicum, sed etiam palimpsestorum auctoritate firmari observarent*), adducti sunt ex viris

*) Constanti orthographia *adicere* scribi in codd. adnotavit Maius Auct. class. T. I. p. 407, parum circumspecte: *adiicere*, ne alios testes excitem, exhibet Gaius Inst. II, §. 70 sexies.

doctis praesertim ii, qui quidquid a codicibus offeratur quamvis manifeste vitiosum in deliciis habere soleant, si modo aliqua novitatis specie commendatur, ut eam unice probarent, veluti Alschefskius ad Liv. T. I. p. XXIV. Itaque genuina arbitrati sunt scriptisque veterum vindicarunt *conicere*, *adicere*, *subicere*, *eicere*, *deicere*, *obicere:* quod scribendi enuntiandique genus Lindemannus ad Pompeii Artem p. 75 sermoni vulgari tantum cur proprium fuisse statuerit, incompertum habeo. At totam hanc de usu litterae simplicis doctrinam Freundius ad Or. pro Mil. p. 35 vel una hac observatione poetarum confutavit, hos quum in istis verbis particulas *ab*, *ad*, *ob* pro longis syllabis habuissent, plene *abiicere*, *adiicere*, *obiicere* non potuisse non scribere. De prosodia particulae *con* v. quae idem congessit in *Iahnii* Jahrb. 1835. Vol. XIII. p. 30. Rem conficit Gellius IV, 17, ubi positis quibusdam ex Lucilio, Plauto, Vergilio exemplis, quibus *obiiciebat*, *coniicere*, *subiicit* cet. prima producta legantur, ita pergit: „Sed neque *ob* neque *sub* praepositio producendi habet naturam; neque item *con;* nisi cum eam litterae sequuntur, quae in verbis *constituit* et *confecit* secundum eam primae sunt, vel cum elidítur ex ea *n* littera: sicut Sallustius: *foenoribus coopertus.* In iis autem, quae supra posui, et metrum esse integrum potest, et praepositiones istae possunt non barbare protendi; secunda enim littera in his verbis per duo *ii*, non per unum scribenda est. Nam verbum istud, cui supra dictae particulae praepositae sunt, non *icio* est, sed *iacio*, et praeteritum non *icit* facit, sed *iecit*... et idcirco ea syllaba productius latiusque *paullo* pronuntiata priorem syllabam brevem esse non patitur, sed reddit eam positu longam; proptereaque et numerus in versu et ratio in pronuntiatu manet.“ Neque aliam scribendi formam agnovit Quintilianus I, 4, 11: „Atqui littera *i* sibi insidit; *conicit* enim est ab illo *iacit*, et *u*, quomodo nunc scribitur *vulgus* et *servus*,“ quorum verborum non alius sensus quam quem exposuit Spaldingius: litteram *i* bis scriptam in *coniicit*, una syllaba pronuntiando comprehendi, quod item fiat in *vulgus*, ut nunc scribitur, non ut olim *volgus*. Ad quem locum etiam Meyerus conferendus est. Etenim non memores isti fuerunt eius usus, quo i cum vocali sequente in unam syllabam coalescit et consonantis vices sustinet, veluti in *abiete*, de quo v. Ephem. litt. Ien. 1841. No. 150. p. 1194: de quo usu supra dictum et quem Gellius, illa quum scriberet, mente respexit.

EXCURSUS VIII.

De littera *f* pro *ph* positae usu.

Ad I, 7. *philosophei.*

Frequens est non solum in Vaticano hoc de re publica libro,

sed etiam in ceteris eiusdem generis codicibus vetustissimis usus litterae *f* pro *ph* positae, quem quum breviter Maius ad l. l. advertit, tum satis adstruunt, ne multa, cod. Vaticanus iuris anteiustinianei fragmentorum a Maio vulgatorum p. 40 et 66: neque aliter innumerae inscriptiones, quarum locos eo minus necessarium videtur singulos notare, quo maiore diligentia exemplorum vim congessit Gruterus Ind. gramm. aliique passim permulti, quorum aliquos laudat Car. Leop. Schneiderus Gr. Lat. T. I. p. 201 sq. Nemo tamen, quantum sciam, adhibita paullo attentiore cura singula quaeque exempla ita examinavit, ut ea de scribendi ratione quid statuendum sit liqueat. Nam nihili omnino est quod Schneiderus, quem unum grammaticum affero, admonet l. l.: „Es wurde wenigstens häufig und wohl nicht blos von Unkundigen *f* statt *ph* geschrieben, obgleich jetzt nur letzteres Billigung findet und man damit im Ganzen ohne Zweifel sicherer geht." Neque quidquam in ea re absolvenda profecit Wagnerus Orthogr. Verg. p. 437, qui, in citandis eius usus exemplis, quae sexcentis aliis augeri possent, occupatus, solum hoc pronuntiat, non optimae aetatis illam scribendi consuetudinem fuisse. Ac primum notandum agi hoc loco de eiusmodi nominibus, quae Romani a peregrinis, cummaxime a Graecis in linguam ipsorum immutata adsciverunt, veluti nomina propria, aut quae a Graecis quidem petita, aliquam mutationem passa consuetudini dicendi ipsorum accommodarunt, veluti *triumphare* *) aut denique quae quamvis originis non Graecae ob aliquam similitudinem ad eundem modum tractarunt, ut *sulphur* **). Iam in talibus vocibus scribendis Romani principio ita versati sunt, ut quum omnino a

*) Pompeius in Donatum p. 522: „Puta φίλος Latine per *p* et *h* scribi et idcirco *triumphus* sic debet scribi. Inde enim habet originem, ἀπὸ τοῦ θριαμβεύειν. Triumphus apud Romanos non fuit nec apud Graecos, sed ex causa Liberi patris. [V. Plin. N. H. VII, 56, 57.] Liber pater cum vicisset Indos et cum saltatione et choreis rediret, quod vicerat; exinde tractatum, ut haec solemnitas servaretur imperatoribus victoribus. Nam idcirco, quando vincunt imperatores, exercitus ante ipsos ambulabant, praecedunt milites et dicunt aliqua lasciva ad imitationem sacrorum, quemadmodum Satyri ante Liberum patrem ambulantes dicebant. Θριαμβεῦσαι dicunt *exultare* et *cantare*." Cf. Doederleinii Synon. Lat. T. VI. p. 376.

*) Vox incertae originis, cui expediendae nihil prodest σελασφόρος, quod comparavit Doederleinius l. c. p. 357, quum etiam *sulpur* scriptum reperiatur (v. Forcell.), ad hanc potius verborum classem referenda videtur, quae Romani ad normam Graecae scripturae exegerunt, non quod ea revera Graeca putarent, sed quod speciem Graecae originis prae se ferre ipsis viderentur. Quare unice probo scriptionem *sulphur*, cuius loco si in MSS. etiam *sulfur* reperitur, id iam eadem ratione puta factum qua pro *triumphus* scriptum fuit *triumfus*. Iam per me licet repetamus cum Benario Röm. Lautlehre I. p. 144 originem vocis a Sanscrito *sulvâri*, si modo ea stirpe non abutamur ad definiendum, Romani utrum *sulphur*, an *sulfur* scripserint.

scribenda adspiratione *h* abstinerent, eam etiam ab illis excluderent atque pro Graeca litt. φ primarium eius elementum, quod π fuit, simpliciter scriberent: qua de re nunc non quaero, unice occupatus in explorando tempore, a quo inde in litteris Latinis *f* pro *ph* scribi coeptum sit, quod alio recte fieri non potest modo nisi examinatis monumentorum indubiorum et quae simul temporis, quo quidque inscriptum fuerit, nota instructa sunt, exemplis. Iam inscriptionum ad tempus exactarum, de quibus primum dicam, exemplum antiquissimum quod novi exstat in Catalogo a. Chr. 52 inciso ap. Grut. p. 179, 6, in quo *Filumenus* legitur iuxta *Trophimus* aliaque eius generis nomina. Proximum*) aetate est Traiani tabula alimentaria, in qua *Epafroditi* nomen bis recurrit p. 47 et 49 ed. Wolf. Sequitur lapis Grut. p. 126 regnante Antonino Pio inscriptus, in quo legitur *Amfion* et *Filonicus*. Post haec tempora longa eius usus secuta est pausa usque ad Constantini M. aetatem, a qua creberrimam eius scripturae consuetudinem ostendunt magno numero tum nummi, de quibus infra dicetur, tum etiam inscriptiones, quarum observatione adductus Lama videtur, ut hac demum aetate *f* pro *ph* scribi coeptum esse contenderet Iscriz. Vellei. p. 107. In Constantini vero titulis etsi *triumfator* passim exhibetur, ut Grut. p. 282, 1, tamen non desunt alterius scripturae exempla, ut Grut. p. 282, 2 et 3. Constantior autem litterae *f* usus in monumentis subsequentium imperatorum, ut Constantis I (*triumfator* lapis in Kunstbl. 1826. No. 99. p. 396.), Constantii (v. *inscr.* in Maii Coll. Vat. T. V. p. 341), Iouiani (v. Grut. p. 385, 7), Valentis et Valentiniani (eandem vocem tituli in Maii Comm. praev. de Symmacho p. XXIV ed. Rom. Grut. p. 285, 6. 370, 3. Lama l. l. p. 114. Syllog. inscr. p. 510. Grut. p. 27, 4, in quo *hierofanta*). Vicissim respiciamus nummos, de quorum usu nemo accuratius inquisivit Raschio, cuius verba quamvis longiora transcribere iuvat ex Lex. num. T. II. p. 860 sq. ea, quae ex marmoribus enarravimus, maximopere confirmantia. „Id factum in peregrinis praesertim dictionibus: FILIPPVS, FOCA, EVFRATES, TRIVMFATOR etc. quae aevo Constantiniano videtur orthographia in numis recepta. Numos enim, quos priorum temporum eadem F pro PH scribendi ratione laudat Spanhemius [de praest. num. I. p. 107 sq.], ii uno forte Philipporum, in quo FFILIPPVS**) AVGG. excepto, suspicione non carent.

*) Omitto *Bosforani* Grut. p. 389, 7, quoniam quamquam primo saeculo Christiano marmor incisum videtur, certa tamen temporis nota ab eo abest.

**) Num ita certa ista nummi epigraphe, quin reapse in numo PHILIPPVS scriptum sit? Quod affimarem, nisi eadem scribendi ratio in uno alterove nummo, quos idem Raschius notat p. 1011 et antea notarat Harduinus Opp. p. 846, recurreret, ita ut mallem ab errore artificum repetere.

Liebe Goth. num. p. 371. Certum est, F pro PH crebro usurpatum in scriptura sequioris aevi, quod et patet e duobus numis aereis e maximorum genere, uno Numeriani: TRIVMFVS QVAD. altero Honorii: TRIVMFATOR GENT. BARBAR. Eandem etiam scripturam praeferunt numi Constantis: OB VICTORIAM TRIVMFALEM. Quo etiam referri debet numus Helenae, Iuliani Caesaris coniugis a Tristano III. p. 734 descriptus cum epigraphe: ISIS FARIA. Nec aliam vulgo praeferunt numi Phocae imperatoris, nisi DN. FOCAS. Dubia vero est epigraphe Domitiani apud Occonem numi: IOVI IVVENI TRIVMFATORI." Exemplis eiusdem scripturae, quae idem magno numero exhibet T. III, 2. p. 1047, nunc addamus *triumfator* in nummo Constantini M. aureo, Jahrb. des Vereins von Alterthumsfr. im Rheinlande IV. p. 108.

Ex his satis, ut puto, apparet, a qua inde potissimum aetate illa litterarum commutatio vulgari usu recepta fuerit, cum qua sententia ita praecepta doctorum veterum conspirant, ut ex antiquioris aetatis grammaticis, excepto uno Capro, quem secundo vel tertio post Christum saeculo vixisse in eius scriptorum editione aliquando ostendam, nullus repertus sit, qui eius usus mentionem fecisset. Caprum vero ex iis, quae supra apposui, iam non mirum abusum illum animadvertisse atque observatione hac sua coercere studuisse p. 2240 sq.: „Graeca nomina ut *Phryne*, *Phalanx*, *Phronimus*, *Phalerae* per *p* et *h* scribenda sunt; Latina, ut *fallere* et *facile* per *f* scribenda sunt." Atque eandem doctrinam etiam posteriores secuti sunt grammatici, ut Diomed. p. 418. Phocas p. 1721 et Pompeius in Donatum p. 322. Placidus Glossis in Maii Auct. class. T. III. p. 455. v. *elephans:* ex quo sequitur, a disciplina doctorum repudiatum quidem esse istum litt. *f* usum, nec tamen caveri potuisse, quin vulgo ita scriberetur, quod vel nummi publica auctoritate cusi testantur, vel etiam columna illa Phocae imp. dedicata nostroque saeculo in foro Romano emersa, in qua FOCAE scribitur*), luculenter comprobat. Novitiae tamen scribendi rationis consuetudo numquam legis instar fuit, quin iuxta altera servaretur, quae per omnia Latinitatis saecula mansit, adiuta ea eruditiorum potissimum, ut puto, hominum et exemplo et praeceptis, veluti Martiani III cap. de coniug. Maio ad Cic. Remp. l. l. laudati: „nec *f* excludent, cum dicamus *triumfo*, quamquam a Graecis veniat, et per *p* et *h* potius scribatur." Iam vero etiam facile est ad decernendum, quid Augusti Caesarisve temporibus usus tulerit. Hac enim aetate illum litterae *f* usum plane ignoratum fuisse, ex iis quae supra monuimus, praesertim ex Ciceronis ipsius testimonio (v. Excurs. III) perspicuum est: neque monumentum ullum inscriptum adhuc repertum est, quo contrarium probaretur: ita ut si de Ciceronis scriptura quaerendum, in libris de R. P.

*) V. Maium ad Ephraem. Caes. p. 34 (Coll. Vat. T. III.).

utrum *Pilus*, quod defendit Maius argumentis parum idoneis ad I, 11, an *Philus* scribere praestet, nulla iam dubitatio relinquatur.

EXCURSUS VIIII.

De pronominum *is* et *hic* discrimine.

Ad I, 3: *ab his qui contra disputant.*

Orellius, qui Codicis lectionem supra positam cum ceteris omnibus editoribus expressit, Anal. Cic. T. IV, 2. p. 592: „*ab iis* Krarup, recte. Huiusmodi permulta etiamnunc emendanda sunt, in his praesertim libris, ex uno Cd. vitiosa ista utriusque pronominis confusione iam inquinato nobiscum communicatis. *Ob*servavi autem in optimis et antiquissimis quibusque inscriptionibus Latinis inter v. *hic* et *is* prorsus idem obtinere discrimen, quod cum Graecis servamus nos Germani atque Itali; in plebeiis dumtaxat et recentioribus v. c. seculi tertii post Christum eodem modo utrumque pronomen confundi, ac factum videmus in Cdd. etiam Secc. IX et X, et a Criticis nonnullis nostrae rursus aetatis, v. c. Goerenzio et Zumptio." Nihil mutandum. Obscure ista et iusto brevius disputata sunt ita ut discriminis quid Orellius statuerit, ambigamus. Improbanda vero eius sententia est, si Orellium Kritzius ad Vell. Pat. I, 2, 2 vere adnotavit hanc normam secutum esse, ut *hic* de re usurpetur, quam praesentem oculisque subiectam intueamur, *is* vero tum ponatur, ubi *rem*, qualis sit, mente tantummodo et cogitatione informemus. *Haec* iusto generaliora sunt, quam ut quando hoc vel illud relativo quibusque locis iungendum sit facile intelligatur: neque verum quod contenditur, *hic* de re praesenti tantum oculis intuenda dici. Aliam viam iniit Stuerenburg in novissima Cic. Officiorum editione ad II, 7, 24. p. 146: „Quamvis sit difficile saepe iudicium, inquit, utrum antegrediente aut sequente relativo *ii* et *iis*, an *hi* et *his* scribendum sit, cum grammatici veteres saepissime et *h* supra *ii* et *i* supra *hi* scripserint ideoque librarii saepe in errorem inducti sint: tamen hoc debet certum esse, non posse *hi qui*, *his qui* aut *qui* — *hi*, *qui* — *his* dici, nisi in ipso pronomine demonstrativo vis quaedam maior inest." Sed his ad pernoscendum horum pronominum discrimen nihil magis proficimus, quoniam quae illa vis quaedam maior sit ignoramus: atque si quae illa esset demonstrari posset, quod tamen vereor ut fieri possit, quum scribentis sit, maiore minoreve vi mente aliquid comprehendere, saepe accideret, ut quid ipse scripsisset exputare nostra cogitatione non valeremus. Nolo aliorum sententias examinare, quorum uti duumvirorum, quos nominavi, nulla est, in qua non veri species aliqua insit, nulla vero, qua horum pronominum ratio et usus perspicue et plane exposita sit. Nobis iam de usu pronominis *hic* substantivi relativae enuntiationi iuncti vice fun-

gentis dicturis de universo utriusque pronominis discrimine hoc praemonendum, *is* quum tertiae personae pronomen sit, ita poni ut quandoquidem aliquam semper relationem habeat, ea utrum praesens an remotior cogitetur nihil plane differat: *hic* vero rem designare, quae vel praesens sit, vel certe altera propius adesse significetur, quocirca opponitur *isti*, *illi* (v. III, 4), atque etiam *ei*, ut I, 2: *sic eos, qui ... praesunt, his qui ... sint, longe duco esse anteponendos.* Iam si pronomen substantivi vim sustinet in relativa enuntiatione, utrique hoc commune, ut tota elocutio unius nominis praedicato designati notionem reddat, veluti apud Quintil. X, 1, 68: *et sententiis densus, et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par*, ubi verba *iis, quae a sapientibus tradita sunt* pro sapientium placitis dicta sunt. Discedunt vero in eo, quod *hic*, quum vis eius tota in demonstrando posita sit, eam rem designet, quae praesens aut revera est aut esse cogitatur. Adsit igitur necesse est relatio aliqua rei vel personae significandae: cuius relationis ea ratio est, ut si quod pronomine demonstrativo designamus, a verborum contextu abest, id nostris oculis praesens subiectum esse oporteat: sin adest, plerumque in antegressis positum id reperimus, quod pluribus persequi non opus, rarius in subsequentibus, neque hoc sine grata quadam sententiae metathesi; quod plerumque ita fit, ut enuntiatio relativa, quae proxime praemittitur[3], id ipsum sit, quo *hic* referatur, veluti ap. Cic. pro Quint. init. *Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore*, ubi Ald. et Lamb. *eae* malebant. De Fin. III, 4, 12: *qui omnia sic exaequaverunt, ut in utramque ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur, hi virtutem ipsam sustulerunt*, ubi v. Madvig. Alia exempla dabit Heusing. ad haec Off. I, 2, 6: *nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil cum virtute habeat coniunctum ... hic si sibi ipse consentiat* etc. His statim addendum, frequentius eodem modo *is* poni et quidem tum, quum nulla ratio sit, ob quam pronominis vis demonstrativa extollenda sit, veluti pro Rosc. Am. 25, 70: *ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summoverentur.* Sed haec tralatitia sunt. Lubet priorem rationem, qua ex contextu quis designetur non colligitur, exemplis nonnullis explicare. Atque locorum genus duplex est: res enim praesens loquenti aut scribenti ante oculos aut est, aut aliquando fuit, et hoc ita ut recordatione absens in memoriam revocetur et tamquam praesens reddatur. Ad prius dicendi genus pertinent tales loci, qualis exstat apud Tacit. Ann. II, 37: *Hos quorum numerum et pueritiam videtis:* significantur enim filii quatuor Hortali orantis ad limen curiae constituti, uti auctor paullo ante dixit. Cic. pro Rosc. Am. init. *neque auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus*, et continuo: *Omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa* etc. Div. in Caecil. init. *Si quis vestrum, iudices, aut*

horum, qui adsunt. Ita quidem locus corrigendus fuit, quod neminem valde miror adhuc vidisse, cuius loco ad hunc ipsum diem ab omnibus *eorum* vulgatur, quod rei non solum minus convenit (intelliguntur enim subsellia iudicum circumstantes), sed grammaticorum priscorum auctoritate reprobatur, quos aliud quiddam legisse, quod non potest aliud quam *horum* fuisse, testatur Diomedes II. p. 464: „Adeo non desunt qui Ciceronem reprehendant, qui principio Divinationis [vulgatur *divisionis*] metrum fecerit Sotadicum [ita ex codd. Paris. duobus scribendum]: *Si quis vestrum, iudices, aut eorum qui adsunt.*" Reposito *horum* habemus Sotadicum integrum:

⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ ⏓ | ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏓

Non potest *eorum* per synizesin bissyllabum accipi, neque si mox Diomedes de principiis tantum Sotadicis loquitur, id in Divinationis locum cadere potest, cuius si principium tantummodo spectasset, non ea omnia verba attulisset, quibus verus Sotadicus continetur. Quae quum ita sint, nemo me *horum* reponentem audaciae accusabit, qui meminerit, hanc pronominum confusionem librarios sat antiquos iam commisisse, veluti in hoc orationis pro Tullio fragmento 3: *ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut is aliquid ad iudicandum relinquas*, ubi omnes consentiunt editores, quibus postmodo etiam Maius accessit Auct. cl. T. II. p. 332, qui primum pro *iis* acceperat, *is* vitiose pro *his* scriptum esse, quippe ad iudices adsidentes referendum: *his* enim si non scribitur, *ii* qui sint ex contextu nullo pacto colligi potest. Eodem modo librarius rep. I, 2 peccavit scribendo *is*, h. e. *iis* vel *eis*, quod altera manus recte in *his* mutavit. Alia vero ratio in Laelii verbis II, 40: *Est tibi ex eis ipsis, qui adsunt, bella copia*, nempe deprecantis, quae est eius coram Scipione modestia, ne ipse pro prudentis exemplo in sequentibus perlustrando haberetur, quod si *his* dixisset, quum semet ipsum tum una cum ceteris praesentibus comprehensurus fuisset, factum foret: itaque abstinuit a modo demonstrativo ceterosque quoscunque qui adessent, universe per tertiae personae pronomen solos significavit, similiter atque factum est Off. I, 38, 137: *quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt neque iis, qui adsunt, probari*, ubi alii rursus *his*, me minime probante. Atque utrumque etiam ubi de praesentibus agatur, ex Tulliana consuetudine dici posse, sed sensu diverso, luculenter docet locus or. pro Quintio I, 4, ad sententiarum nexum accurate exactus: *Quae quo plura sunt, C. Aquilli, eo te et hos, qui tibi in consilio adsunt, meliore mente nostra verba audire oportebit, ut... Certe aut apud te et eos, qui tibi adsunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulsa... Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides et constantia, aut quo in his, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis, spem summam habere.* Vi-

des primo loco demonstratione opus fuisse, non item altero, quo qui significaretur nemo qui priora audiverat ignorabat: tertio autem bene ad demonstrationem orator revertitur. Sed etiam latius patet pronominis demonstrativi usus, ex quo quum etiam de ea re, ut monui, dicatur, quae praesens cogitetur, processit dicendi genus, quo eo pronomine id significatur, quod omnibus notum esse et ita cuique tanquam praesens adesse sumatur, uti in or. post red. in senatu 2, 3: *meam salutem non ab his Consulibus, qui vendiderant, flagitavistis.* Quo pertinet is ipse, qui huius disputationis ansam dedit, locus, minime mutandus, plane geminus alteri c. 2: *ab his, qui haec disciplinis ... confirmarunt* et similia illa ibid. *quin ab his partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta sunt*, ubi Orellius Anal. T. IV, 2. p. 592 ait se malle *iis*, et mox: *his, qui illa disputant, ipsis est praeferendus doctoribus.* II, 23: *Haec enim, quae adhuc exposui* etc. De div. I, 3, 5: *Zeno et hi, qui ab eo profecti sunt*, collato infra II, 14: *legibus his, quas in monumentis habemus.* Cf. Goerenz. ad legg. I, 9, 27. Quintilian. X, 1, 40: *Paucos et vix ullum ex his, qui vetustatem pertulerunt*, ubi nulla est codicum varietas. Est vero istud locorum genus ita comparatum, ut utram dicendi formam optent, scriptorum ex mente cummaxime aptum sit, ita ubi rem intendere nolint, iis etiam pronomine tertiae personae uti liceat, uti in illis quae infra leguntur I, 34: *ab iis, qui formam rei p. laudant, disputari solent.* Atque saepe in potestate scriptorum fuisse, utro modo his pronominibus uterentur, locus docebit Caesaris de B. G. I, 13, 4: *Is pagus appellabatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia in quattuor pagos divisa est. Hic pagus unus, cum domo exisset, patrum nostrorum memoria L. Cassium consulem interfecerat.* Unde nil mirum in eiusmodi praesertim locis a librariis peccatum esse nobisque quid ab auctore scriptum sit, dubium nonnumquam manere: quamquam hoc observasse mihi videor, libidini scribarum, quibus, si ex recentioribus sunt, parum fidei aut nihil huiusmodi in rebus habendum videtur, tertiae personae pronomen saepius altero deberi.

EXCURSUS X.

De usu particularum *nec* et *neque*, *ac* et *atque*.

Ad I, 6.

Vix potest in grammatica locus reperiri intricatior quam qui est de usu atque discrimine formarum *nec* et *neque*; de quo semel dicere quum mihi impositum videatur, eo brevius quid sentiam dicam, quo de explanando eius usu Tulliano desperandum mihi quidem aegrius intellexerim. Ac primum quod olim in praeceptis habebatur, quodque etiamtum Hermanno ad Plauti Trin. p. XIV probatum fuerat, *nec* sicuti *ac* ab aureae aetatis scripto-

ribus numquam ante vocalem poni, id quum iam satis explosum videatur, (v. Beierum ad Off. I, 38. p. 279) diligentiore cura hanc in rem qui inquisiverit, novi equidem neminem nisi Ph. Wagnerum, qui qua consuetudine certe Martialis usus sit, dedita opera explicare studuit, Ephem. litt. Hal. 1844. No. 73. p. 582, atque quidem ita ut ex normis ab ipso constitutis ad pernoscendum etiam scriptorum priorum usum nonnulla redundent. Sed fateor de veritate legum, quas observavit Martialis, me praesertim eam ob caussam subdubitare, quod, si Wagnerum audiamus, tam severum in sequendis iis Martialis se gesserit, ut ab iis numquam deflexerit: quod neque a scriptore quoquam aureae aetatis, neve a poeta, nedum a poeta, qualis Martialis est, exspectari potuit. Accedit quod permultis locis utramque formam codices exhibent, et quod codices quantum ad harum particularum discrimen attinet omni qua par est diligentia utique non collati sunt, praesertim prioribus temporibus: adde denique quod in eius generis codicibus, qui cum palimpsestis comparati recentiorum nomine appellandi sunt, istae formae tam simili modo a librariis saepe pinguntur, ut utrum hanc an illam scripserint, si ingenue loquendum est, ignoremus. Quare si operae quidem pretium videbitur totum hunc locum perquirere, in auxilium vocanda in primis videntur genuina ipsa linguae instrumenta, in quibus primarium locum codices rescripti et quae antiquae aetatis monumenta inscripta nobis servata sunt: in qua censura magni sane momenti poetarum loci erunt, quippe quibus utra *forma* posita fuerit, saepe metrum doceat. Iam in pervestigando Ciceronis usu codices rescriptos et praesertim hunc de rep. Vaticanum diligenter perlustranti mihi quidem non contigit certas, quas auctor constanter secutus sit, leges cognoscere, neque eas, quas apud Martialem observasse sibi Wagnerus visus est, probatas vidi. Haec omnia singulatim demonstrare neque vacat neque opus: defungar paucis exemplis ex multis. I, 17: *qui bona nec putare nec appellare soleat*, cui geminum quod legitur I, 35: *neque se uni neque paucis velle parere:* illam vero dicendi formam Martiali unice Wagnerus usurpatam contendit. Vide aliam inconstantiam in locis haud dissimilibus, I, 24: *nec enim hoc suscepi... neque hoc polliceor* et c. 26: *neque reliquarum virtutum, nec ipsius rei publicae reperiatur ulla instituta;* nisi quis cum Wagnero dicat in posteriore loco *nec* ideo dictum esse, quod, ut idem vult, Romani omnino *nec ullus, nec umquam, nec usquam* dixissent, minime *neque*. Cui praecepto obstat II, 1: *neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat*, quem quidem locum Wagnerus ipse attulit, sed ita ut cum Off. I, 16 contendat, ubi *neque* defendi posse alia de caussa putat, quae ab illo certe aliena est. At *nec umquam* legitur I, 6. Praeterea si *neque enim* in parenthesi Martiali vindicatur, concedendum sane phrasin *nec enim* in libris de rep. semel tantum me reperisse I, 24, *ne-*

que enim autem saepius, I, 4. 7. 10. 23. II, 3; in qua discrepantia aliquam sensus differentiam equidem non agnosco, neque agnovit Heinrichius, qui ad Cic. Orat. fr. p. 111 ait, quum in eodem scriptore *neque enim* et *nec enim* reperiat, minime se offendi. Similiter variatur in phrasi *nec vero*, qua forma sola Ciceronem usum esse narrat Goerenzius Acad. II. p. 42, et *neque vero*, quod in his libris tantum II, 15 et 30 observavi, illud vero I, 2. 3 (bis) 8. 24. II, 4. III, 8. 18. 33. V, 2, 4. At fortasse ob sonum litterae insequentis hanc vel illam formam veteres praetulerunt, quod sane non ineptum videatur, praesertim in iunctura *nec* ante *c*, quodque in hac quaestione alicuius momenti esse Wagnerus scite intellexit. Sed fatendum, neque huic argumento satis favere Vaticanum, in quo nulla litterae insequentis ratio habetur. *Nec* ibi reperitur scriptum ante *a* I, 17. II, 37. III, 14. ante *b* V, 5. ante *c* II, 12. ante *d* I, 6. 44. II, 12. 26. ante *e* V, 15. ante *f* III, 2. 14. ante *g* I, 4. ante *h* II, 21. ante *i* I, 26. II, 15. III, 11. ante *l* I, 34. ante *n* I, 37. ante *p* I, 17. II, 20. 34. III, 14. ante *s* II, 12. ante *t* II, 21. ante *u* I, 34. 37. ante *v* II, 22. III, 11. 14. In quibus exemplis sane notandum ante *q nec* non reperiri, ac semel tantum ante *c*, quod vitasse videbuntur veteres caussa non latente, neque Wagnerum fugiente. Contra *neque* exstat ante *a* III, 33 (bis). ante *c* I, 34. II, 1. ante *e* I, 17. ante *f* II, 26. ante *h* I, 17. 22. 24. II, 15. ante *i* I, 37. ante *l* I, 5, 10. ante *m* I, 26. ante *p* I, 35. 37. ante *q* I, 14. ante *r* I, 26. ante *s* I, 5. 34. 35. II, 15. 25. III, 5. ante *t* I, 4. 17. II, 26. ante *u* I, 17 (bis) II, 1. 11. Quid igitur? Si quid discriminis veteres observarunt, quod eos fecisse minime nego, id vix in alia re positum esse potuit quam quod si negationem extollere vellent, fortiore forma *nec*, cuius vis praesertim sequente consonante augetur, sin minus, molliore *neque* usi sint. Iam utram mallent quum in solo scribentium arbitrio positum esset: tutissimum videbitur, in hac artis criticae parte nihil ultra codicum potiorum fidem moliri: quam legem et in his libris edendis servandam esse duxi. Concedam tamen quod res ipsa postulare videtur, fuisse nonnullas dicendi rationes, quibus consuetudo alteri utri formae magis favisset. Ita non memini me umquam reperire *neque — quidem* scriptum, sed constanti usu *nec — quidem*, neque latente caussa in huius phraseos vi contentiore. Vulgatur quidem in uno II Verr. II, 20, 48 loco *neque ille quidem*, sed dubia auctoritate ob nonnullorum librorum variantem lectionem *ne*, vitiose pro *nec* scriptam. Praeterea erat ubi veteres rotundiorem orationis formam reddituri praesertim in disiunctiva elocutione aequabilitatem formarum sectarentur. Quocirca frequens est *neque — neque* (I, 37. II, 1. 25. III, 33) vel *nec — nec* (I, 17. 37. II, 21. III, 11. 14. V, 5), vel *nec — nec — nec* II, 12. Semel *neque — neque — nec* legi II, 26. Quod aequabilitatis studium praesertim in genere oratorio cogno-

scitur, in quo praeterea nonnumquam longioris formae usu aliquid gravitatis comparatur, uti in exordio or. pro Rosc. Am. init. nemo erit qui non sentiat, magis convenire *neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate*, vel paullo infra *neque dictum obscurum esse potest . . . neque temere dicto concedi*, uti vulgatur sine lectionis varietate, quam *nec*. Contra vero codicis rescripti auctoritas apud Niebuhr ad orat. fragm. p. 83 postulat ut c. 1 fin. reponatur *nec* (vulgo *neque*) *benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere:* quam lectionem iam Lambino commendatam notare Orellius neglexit. Quod vero Beierus l. l. statuit, post *nec* sequi *neque*, maxime sequenti vocali, id si verum est, non propter vocalis naturam fieri arbitror, sed quod brevior forma in altero membro, praesertim quum nonnulla interposita essent, tenuior visa est, veluti loco I, 24 supra iam laudato. Tanta vero in tota hac re est vel summorum criticorum fluctuatio, ut v. c. discrimen formularum *neque — nec* et *nec — neque* a variandi studio repetat Bentleius ad Horat. Carm. III, 11, 43; cuius mentem non assecutus Meyerus ad Quintilian. IV, Prooem. 6. p. 362, aurium caussa scriptores amasse *neque — nec* adnotavit.

Haec scribenti mihi incidit alia quaestio, ab hoc argumento haud aliena de usu particularum *ac* et *atque:* quae, quamvis summa virium virorumque summorum contentione nec sine invidiosa nonnumquam acrimonia diu ventilata, nunc ad eum certe finem perducta est, ut quo nitamur certum quidem fundamentum repertum sit. Postquam enim varia fortuna inter viros doctos dimicatum fuit, verum falsumne esset, quod sacratae instar legis in praeceptis grammaticis habitum, ac tam firmum nonnullis visum fuit*), ut qui secus sentirent, indoctorum nomine nostra adhuc aetate reprehensi essent, videlicet *ac* ante vocalem veteres non posuisse, tandem post Schellerum, Ramshornium, alios quosdam, qui doctrinam illam infirmare subinde studuerunt**), qui totum hunc locum diligentius examinaret, exstitit Guil. Leonardus Mahne, qui, explosa adversariorum argumentatione, neque Rosenheyaii immemor, qui et acute et diligenter in hac re explananda versatus erat (Iahn Jahrb. 1836. Vol. XVI. p. 264 sq.), cum aliis statuit, „usitatius quidem fuisse ante vocalem *et* vel *atque*, quam *ac* ponere, sed illam consuetudinem praecepti s. regulae vim numquam obtinuisse", Miscellanea Latinitatis, Lugd. B. 1845. p. 1 sq. Quibus verbis, si res ita universe transigi

*) V. qui illius sententiae assertores laudantur in Seebodii Misc. cr. I, 1. p. 68. Adde Allg. Schulzeit. 1832. No. 102. p. 823. In harum particularum ante consonantem positarum usum apud Sallustium inquisivisse fertur Dietschius Obs. crit. in Sallustii Ingurthae partem extremam, Grimmae 1845: quem librum conferre non licuit.

**) Ephem. litt. Ien. 1818. No. 73. p. 126. Gräfenhan in Allg. Schulzeitung 1830. No. 40.

potest, nihil habeo quod addam. Sed primum in diversarum aetatum usu, vel etiam in scriptorum generibus variis, uti in aliis rebus grammaticalibus, ita etiam in hac distinguendum arbitror, quod Mahnius omisit; deinde si iam pro comperto habemus, *ac* nonnumquam ante vocalem positum esse, nascitur alia quaestio, quae consuetudo in ponendo *ac* ante consonantem fuerit, quod item Mahnius omisit. His desideriis ex parte certe satisfacturus (nam totum hunc locum absolvere, longum esset) in Ciceronis usu dilucidando, ut res flagitat, potissimum me continebo. Ante vero monendum, de auctoritate codicum etsi in utramque partem a viris doctis certatim disputatum fuerit, tamen horum ex fide plane aptam esse totam quaestionem, quoniam grammaticorum veterum, quotquot novimus, nullus quicquam hac de re praecepit, neque in titulis Latinis, quantum sciam, quidquam reperitur, quod ad dirimendam litem maximopere conferre valeat. Nam quae ex inscriptionibus attulerat Ramshornius exempla particulae *ac* ante vocalem positae, ea suspecta vel falsa esse Frotscherus Exc. ad Quintiliani X. p. 257 demonstravit, atque omnino rarissimus utriusque particulae usus in titulis est*). Si iam unica salus ex codicibus petenda videtur, patet vel in consensu meliorum acquiescendum esse, quos nemo negabit, neque quisquam negare potuit, nonnumquam *ac* ante vocalem positum exhibere. Exemplis ab aliis iam notatis accedant quae contulit Spengelius in Seebodii Neues Archiv III, 4. p. 103. Sed fatendum, ea si ad numerum exigas, pro re pauca esse, maioremque eorum partem in scriptoribus labentis vel lapsae Latinitatis reperiri, quibus certe usum illum abiudicari negat Klotzius Jahrb. Vol. XL. p. 246; quo fit ut quum iam in proprietatem unius cuiusque saeculi vel etiam in usum nobiliorum scriptorum peculiarem inquirere iubeamur, Mahnii placitis contenti esse nequeamus. Igitur redeundum ad primam quam supra dixi quaestionem, in qua tractanda cum uno Tullio nobis res erit. Atque hic statim monendum, in hac caussa iudicanda posthabendam esse totam istam novitiorum codicum turbam testibus illis magis idoneis, ipsa eorum vetustate satis commendatis, quorum scripturam in palimpsestis habemus. Hi igitur, quos produxi, testes si soli, ut arbitror, audiendi sunt, res in clara luce posita est, quandoquidem nullum in iis exemplum particulae *ac* ante vocalem positae reperitur. Recte. Nam hanc legem Cicero sibi praescripsisse videtur, ut *ac* ante consonam utique poneret, *atque* ante vocalem, hac tamen licentia, ut in huius vocis usu nonnumquam fluctuarit, quod tamen rarissime factum. Ne plura, consistam in uno Vaticano cod. librorum de rep., cuius octo et quadraginta locis, quoties *atque* reperitur, septies tantum ab illa lege

*) In Sylloge mea reperiuntur quatuor tantum exempla: *ac veluti* p. 457. *ac subactis* p. 519. *atque opto* p. 457. *atque obitum* p. 458.

recessit, I, 16 *adque**) *sollertia.* II, 10 *atque doctrinis*, et *atque virtutis*, si modo hoc exemplum propter indolem litterae *v*, quam tetigi Comm. de pronomine *is* p. 93, huc referri potest: quod ideo credibile est, quod *ac* ante *v* in palimpsestis non reperitur. II, 13 *atque praeda.* II, 15 *atque clementia.* II, 22 *atque doctrinam.* II, 32 *atque consulibus***). Iam in parte librorum Tullianorum ea, quae ex recentioris aetatis codicibus descripta est, siqui sunt loci, quibus *ac* ante vocalem reperiatur, sunt vero perpauci ***), eos non vereor in suspectis habere omnes, minime dubitans, emendatiores codices, si umquam producantur, genuinam scripturam Tullii praestituros esse. Igitur, si quidem ab usu Tulliano in consuetudinem aequalium scriptoram coniecturam facere fas est, caute egeris si in Hermanni ad Plauti Trin. p. XIV sententia acquiescas, a scriptoribus saeculi aurei *ac* ante vocalem poni haud solitum esse. Quod ad alteram quaestionem attinet, quae in consonantium, quibus *ac* praemittere licuerit, usu ac delectu consistit, ordiendum est ab Hauptio Obs. crit. p. 35, qui quod iam alii ab ipso nominati, tum Rosenheynius l. l. p. 263 atque etiam Wagnerus Quaest. Virgil. XXX. p. 562 de peculiari quorundam scriptorum, maxime poetarum usu observarant, *ac* ante litt. *c*, *g* et *q* non poni, non solum comprobavit sed ita finibus circumscripsit suis, ut quidam in phrasi *simul ac* ab ista regula recedere sibi indulsissent. His adiicio universalem illam regulam Tullium quoque diligenter secutum esse, quandoquidem ea in re palimpsestis fides, ut par est, habenda est, in quibus exemplum adversans illi usui ego non deprehendi. Nam quod legitur de rep. II, 20 *ac CC* (ducentos) non re, sed specie adversatur. Atque etiam recentioris classis codicum optimi quique genuinam scripturam ut plurimum exhibent. Eius generis sunt *ac criminum* III Verr. 5, 10, ubi Zumptius ex codd. suis *et* reposuit, et *ac custodia* Tusc. II, 21, 48, ubi in mendosa omnium optimi antiquissimique codicis Regii Paris. lectione *ac ad custodia* delitescit *atque*, aut aliud quiddam, certe non *at:* quos locos regulae isti quippe adversantes attulerat Gräfenhan l. l. p. 347, alia quoque exempla ex Varrone, I. Caesare, Livio, Quintiliano excitans, in quos inquirere nunc non vacat. Praeterea, ut ad palimpsestos redeam, addo desiderari exemplum voculae *ac* ante *b* positae: quod an casui tribuendum sit, in medio malo aeque re-

---

*) Quantum ad huius formae scripturam, iis quae supra p. 31 de ea monuimus, nunc iuvat addere, eam etiam in Marmore Ancyrano reperiri, ita ut antiquiori tempori vindicaturo non obloquerer, praesertim si quod Handius statuit verum videatur, *atque* probabiliter ex *ad* et *que* compositum esse. Ac ducibus Mediceo et Vaticano Wagnerus in Vergilii contextum eam formam suscepit. Ego interim iudicium meum suspendo.

**) Plautus Capt. V, 1, 22 *atque te.* Cas. II, 8, 41 *atque vicini*, ubi *ac* locum habere non potest.

***) Cf. Zeitschr. f. d. Alterth. 1847. p. 43.

linquere, ac verumne sit quod observat Orellius ad Cic. de inv. 1, 3. p. 105, *ac* frequenter apud Ciceronem ante *t* reperiri, quod ego quidem in palimpsestis confirmatum non vidi.

De aliorum scriptorum usu quae modo in promptu sunt atque ad rem pernoscendam pertinent, addam, licet pauca. Disceptatum nuper a viris doctis est de copulae *ac* quantitate, quam Freundius in Iahnii Jahrb. V. XIII. p. 51 brevem de Probi grammatici praecepto esse ratus, binos Lucretianos locos, quibus solis contrariam prosodiam deprehendisset, in suspicionem vocavit: I, 889:

dispertita ac in terram latitare minute,

et V, 343:

per terras, amneis ac oppida cooperuisse.

Quibus addi poterat Auson. Epist. XVI, 84:

Probianoque ac Anicio.

Sed falsi illud Probi testimonium, quod Inst. gramm. I, 10, 1 ed. Lindem. (p. 1425 Putsch.) legitur, scite coarguit Bernh. Thierschius in Iahnii Jahrb. Suppl. IV. p. 624. Non potest enim dubium esse quin *ac*, quod Lindemannus ex codice suo primus adiecit, a glossatore profectum sit, quippe in copularum *et, que* enumeratione Probiana *ac* desiderante. Gravius vero est quod idem Thierschius admonuit, *ac* si longum sit, mirum videri debere, poetas, ubi ante vocalem syllaba longa opus esset, *ac* tantopere sprevisse: cuius rei vix alia potuit caussa fuisse quam quod *ac* vocali praeponere aspernarentur. Itaque etiam mihi fides illorum locorum Lucretianorum suspecta est, minime vero ob neglectam vocis prosodiam. In Ausonio facilius feram; etsi etiam recentiore aetate ab illa positura poetas sibi cavisse, testatur Epigramma post Lerschium a me Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. p. 318. repetitum, sagaciter nunc restitutum a Iano ibid. 1845. p. 795 sq., in quo exstat versus:

parvula quis rapta est atque unica! Heu male! Mensis.

Aliud addam. Apud Virgilium Wagnerus l. l. animadvertit *ac* semper in principiis enuntiatorum legi, numquam *atque;* quod discrimen ab usu Tulliano certe alienum. Habes *ac mihi* et *ac primum* in fragm. or. pro Tullio a Maio editis p. 23 et 28 ed. Francof. et invicem *atque hoc ille vidit* Fr. or. pro Scauro p. 75 ed. Peyron. Apuleius, si fas est hunc scriptorem ad istam normam taxare, dixit p. 199 Elm. in exordio orationis: *Atque utinam ipse asinus ... vocem quiret humanam dare;* sed in hoc ut in aliis locis, quibus iungitur *atque utinam*, monuit Hauptius l. l. p. 47 vim copulationis in particula *atque* delitescere. Praetulerunt vero veteres in hac phrasi *atque* non solum ob vocalem sequentem, sed etiam ob pleniorem, ut puto, sonum, qui inest in *atque* prae *ac.*

EXCURSUS XI.

De nominibus originis Graecae in *ius* et *eus* desinentibus.

Ad I, 10: *Pythagoricis.*

Ita [Pythagoreis] cod. prima manu, sed mox videtur factum *pythagoriis.* Sic in antiquis mss. lego *aristarchii, epicurii;* quae melior scriptura est et graeco de fonte manans. MAIVS. Eandem scripturam Niebuhrius quoque in Consp. orthogr. p. 355 commendat; quamquam II, 15 *Pythagoreum* Codex exhibet. Illud ipsum *Epicurii* constanti usu Glogaviensis Ciceronis de finibus praestantissimus codex offert. Eiusdem rationis est *Cius* pro *Ceus*, quam formam Tullio merito vindicavit Nauckius in *Iahnii* Jahrb. Suppl. XII. p. 558. Recte nunc ab Orellio in Acad. II, 36, 115 vulgatum *Antiochia* pro *Antiochea*, de legg. II, 3, 8 *Aratio* pro *Arateo*, Ep. ad Att. II, 1, 1 *Aristotelio* (neutr. plur.), alia. Cf. Madvig ad Fin. V, 6. p. 630. Ellendt ad de or. I, 21, 98, qui ut in re incerta codices meliores sequendos arbitrantur: quibus si obtemperamus, efficitur ut Tullius secum ipse dissideat. Res conficitur, nisi magnopere fallor, prosodia eius syllabae, v. c. in v. *academia* penultimam longam habente; quam testatur praeter Incertum poetam de figuris 119, ubi v. Schneidewinum p. 31, Laureas Tullius eo carmine, quod in fontes calidos villae Ciceronianae, Academiae nomine celebratae, composuit, apud Plin. N. H. XXXI, 3:

atque Academiae celebratum nomine villam,

ubi Heinsio ad Virg. Aen. I, 201 *Academeae* legendum censenti nemo obtemperavit; quae forma ab usu Latino omnino abhorret. Immo propter vagum diphthongi Graecae *ει* sonum, magis in *i* quam in *e* vergentem, Romani ut in aliis, sic in transferendo Graeco nomine Ἀκαδήμεια effecerunt *Academia*, producta penultima: a qua prosodia posterioris demum aevi poetae desciverunt, ut Claudianus Cons. Mall. 94, quem affert, ubi carmen illud tractat, Wernsdorfius Poet. Lat. min. T. V, 2. p. 1372. Confirmat hanc doctrinam de penultimae syllabae prosodia et scriptura in eiusmodi nominibus Graecis auctoritate sua Priscianus II. p. 87 sq. Krehl. et qui hinc profecit Abbo Floriac. in Maii Auct. class. T. V. p. 343: quorum ille qui plurima recte in toto hoc loco illustrando persequitur, in hoc tamen fallitur, quod vitiosa, quantum ad antiquorum usum videtur, scriptura codicum ab ipso adhibitorum deceptus, utramque scribendi rationem iuxta obtinuisse existimavit. „Inveniuntur tamen, inquit, auctores frequenter in nominibus urbium in *a* desinentium apud Graecos varie proferentes, *Alexandria* et *Alexandrea*, *Nicia* et *Nicea*, *Antiochia* et *Antiochea*." Ac postquam *Alexandria* ex Cic. or. pro Deiotaro 9 exemplo adstruxit, ex eodem loco idem facere conatur in forma *Nicea* vindicandâ: quod satis testatur, diversa

virum doctissimum confudisse, atque id ipsum vitium *Niceam* pro *Nicaeam*, quod nullus Latinus homo aliter umquam scripsit, observo in codice eius orationis membranaceo optimae notae, qui scribenti mihi ad manus est. Contra ut certum est, eam syllabam olim per diphthongum *ei* scriptam fuisse, ita ut a Graeco nihil plane differret, ita certissimum est, etiam per *e* simplicem longam eas voces postmodo prolatas fuisse, testibus titulis quibusdam, in quibus et *Alexandrea* et *Antiochea* exstat: qui usus ipse confundendi tempora eorumque consuetudines diversas Prisciano aliisque grammaticis et, qui hinc penderent, librariis ansam dedit. Igitur et *Pythagorii* et quae aliae eius generis formae sunt, penultima longa pronunti andae scribendaeque sunt. Quo in genere vereor ne innumeris locis genuina scriptura oblitterata sit male sedula librariorum diligentia, qui illarum formarum usum ignorarent. De N. D. I, 5 quum meliores codd., et hos inter idem Glogaviensis, offerant *Pythagoricis* vide ne hoc ex *Pythagoriis* [*Pythagorieis*] quo vulgata *Pythagoreis* ducit, corrupta sit. Quod enim Heindorfius ibi excitat *Pythagoricis* ex libro de div. I, 30, id ipsum perdubium, quum quod hoc Ciceronis loco habet Gellius IV, 11 *Pythagoreis* magis ad *Pythagoriis* quam ad alteram formam vulgo receptam vergat. Simili vitii genere laborat locus de N. D. I, 1, ubi etiamnunc vulgatur: *Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus*, ubi tametsi fortasse concedendum, discrimen illud grammaticorum, *Cyrenaeus* ad patriam, *Cyrenaicus* ad sectam, cui aliquis adscriptus fuerit, et similia eius generis adiectiva item referri docentium, quod non debebat Heindorfius, quippe vulgatam cum Wolfio Anal. litt. I, 2. p. 282 defensurus, commenticium putare, haud constanti usu a veteribus observatum esse, tamen quum propter adiectum *Melius* pateat non scholam quam Theodorus constituerit, sed urbem, unde oriundus, significari, non potest non pro vera scriptura haberi *Cyrenaeus*, a Glog. praestitum, et ante a Boherio iam commendatum.

Aliter his de formis statuit Otto, his ad cap. 27 *Areopago* adnotatis: „Male Zumptius Gramm. Lat. §. 2 hanc formam reiicit, quum contra eius sententiam sit genuina, plane ad legem saepius observatam, quam neglectam formata, qua Graecorum *ει* transit Latine in *e*, non vulgo in *i*. Conf. *Areopagitarum* Ep. ad fam. XIII, 1, 5. Sed *Ariopagita* ad Att. I, 16, 5. *Ariopaga* V, 11, 3. bis. *Areus* contra V, 9, 1. *Alexandrea* Ep. ad fam. VII, 17, 1. I, 7, 4. Fin. V. §. 53, ubi v. Madvig. cum var. lect. de Off. II, §. 82 (cod. optim. Bern. b.) III, §. 50 (codd. *a b c* optimi, v. Orell. Praef. ad Off.) Ep. ad fam. I, 4, 2. ad Q. Fr. II, 3, 2. ad Att. II, 5, 1. IX, 9, 12. XI, 13, 1. XV, 1, 2. XVI, 1. 17, 2. 25, 2. Apud Livium quoque optimus Flor., ubi eius scriptura enotata est, *Alexandrea* habet. V. varr. lect. apud Drak. ad VIII, 24, 1. XXXI, 43, 5. *Alexandria* est ap. Cic. in Verr. V, §. 145. ter ap. Cic. Acad. II, 4, 11. 26, 61. Sic *An-*

tiochea ad fam. II, 10, 2. XII, 14, 4. XV, 7. 4, 2. ap. Livium XXXIII, 19, 8. *Seleucea* Cael. Ep. ad fam. VIII, 14, 1. *Antipatrea* Liv. XXXI, 27, 2. *Epiphanea* Ep. ad fam. XV, 4, 7. Contra *Heraclia*, v. Oudendorp. ad Caes. B. Civ. p. 406 ed. Stuttg. Contra *Lycium* Cic. Acad. I, 4, 17, contra *Polycletus* Acad. II, §. 145. Parad. §. 37. *Dareus* Ep. ad fam. II, 10, 3. de Fin. V, §. 92, ubi v. Madv. et Liv. IX, 17, 16. His optimorum codd. testimoniis ego adducor, ut solas veras habeam formas *Alexandrea*, *Antiochea*, *Epiphanea*, *Antipatrea*, *Seleucea*, *Polycletus*, *Dareus* et similia; neque dubito, quin si ubique optimorum codd. lectiones afferrentur, ubique illae formae invenirentur."

EXCURSUS XII.

De accusativi *duo* forma et de cacophonia male suspecta.

Ad I, 13: *duo soles.*

Sic Orell. secundum Moser. Cod. *duos*, quam formam nescio cur repudiarint VV. DD., nisi forte propter *κακοφωνίαν*, quam sibi saepe somniant*). Tu cf. haec formae *duos* exempla: Cic. pr. Mil. 25, 68. in Pis. 15, 35. pro Cluent. 4, 127. 64, 179. pro Flacco 39, 98. in Vatin. 7, 16. pro Deiot. §. 40. Phil. II, 11, 27. 41, 108. 13, 14, 29. pro Sext. Rosc. 15, 42. pro Rabir. Perd. 9, 26. de or. I, §. 228. II, §. 9. Brut. §. 256. de inv. I, §. 91. Acad. II, 5, 13. I, §. 17. II, 4, 11 (var. lect.) de *div.* II, §. 40. Serv. ad Fam. IV, 12, 3. Att. IV, 1, 6. 4, 4. lit. B. §. 1. de senect. §. 16. 82. Lael. §. 19. Ep. ad Brut. I, 3. Fragm. ap. Orell. Vol. IV. P. II. p. 450. nr. 23. 452. nr. 43. Formae accusativi *duo* exempla sunt: pro Tull. §. 19. in Verr. II, 27, 66. pro dom. §. 9. de or. III, §. 182. de rep. I, §. 15. 19. II, §. 26. 34. [VI, 20, ubi v. not.] de legg. III, §. 30. de N. D. II, 32, 70. III, §. 80. de divin. I, §. 6. ad Fam. III, 4, 2. 14, 6, 1. VII, 25, 2. Curius 29, 2. ad Q. Fr. I, 2, 5. ad Att. IV, 16, 2. 4. 18, 2. VI, 1, 14. IX, 11. lit. A. 2. X, 8, 6. de sen. §. 30. 75. Fragm. p. 453. 3. **). Habes omnia exempla utriusque accusativi formae, quae reperiuntur apud Ciceronem, in qua re nisi dixeris usitatiorem esse formam regularem *duos*, rariorem Graecam dualis, euphoniae quidem leges Tullium movisse concedo, ut vel hanc vel illam formam in singulis locis praeferret; sed nostrum esse nego Romanorum euphoniae leges secundum nostras aures iudicare, qua de re quid

*) Illud ipsum *duos soles* sine lectionis varietate exstat Liv. XXIX, 14.

**) Adde or. de aere alieno Milonis in Maii Auct. cl. T. II. p. 221, aliaque exempla collata a Gernhard. ad Lael. 5, 20. Ottone ad Cat. 20, 11. p. 193. Beckio ad II Verr. I, 16, 44. Heinrich. ad fr. or. pro Tullio p. 83, Mosero ad hunc ipsum Ciceronis locum.

sentirem dixi in Divin. Liv. p. 44. Quare ego quidem nihil contra optimorum codd. auctoritatem constituendum censeo, sed retinendam h. l. alteram formam *duos**). Sed ut videas, quantum sit ab nostris auribus periculum, haec quasi corollarium ex ipso Cicerone profero exempla cacophoniae, si qua sit, quod meae quidem aures sentiant, quas ut Germanas non multum sono credo abhorrere a tuis. Cic. Ep. ad Fam. III, 7, 5: *ut quid sit εὐγενεια, quid sit nobilitas, intelligas.* V, 16, 4: *ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas.* Lentul. XII, 14, 5: *consequar, decedere cogar.* I, 1, 2: *Marcellinum tibi esse iratum scis. Is.* I, 2, 3: *video, perspicio.* I, 9, 25: *legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse.* Ibid. *qua te scis libentissime frui solere, pertinere.* II, 6, 3: *debere quaerere.* X, 3, 3: *si ea quae patiebare etiam arbitrarer.* II, 1, 2: *dolui quod carui.* Acad. II, 11, 35: *urgent ut coarguant.* Fin. V, §. 6: *quos novisse vis, etiam imitari velis.* Ep. ad fam. I, 2, 3: *ita sum cum illo locutus.* I, 5 B. §. 1: *dari alteri non potest.* Ep. I, 5ª, 1: *tametsi mihi.*

---

*) Ut res nunc habet, non potest in tanto numero exemplorum *duos* exhibentium de promiscuo utriusque formae Tulliano dubitari; itaque hac in re meliorum librorum auctoritatem sequi sane tutissimum videbitur, nisi peculiari quadam caussa, ut eo quem tractamus loco, eam posthabere cogamur. Sed ut vere dicam, res mihi adhuc profligata non videtur. Etenim quum recogito, quot quantisque eius generis rebus grammaticis ex Ciceronis codicibus rescriptis nuper demum meliora edocti simus, quarum in codicibus vulgaribus nulla aut pauca vestigia permanserunt, quae quum scribarum erroribus olim a V. D. attributa sint, nunc in exemplis elocutionis vere Tullianae habentur, quales v. c. sunt genitivorum formae *ingeni, preti* etc., facile adducor ut quae nunc reperiantur formae recentioris *duos* exempla, ea auctoritate antiquiorum, si quando secunda fortuna inveniantur, librorum in vitiis ponenda esse suspicer. Quod non solum in Ciceronem, sed in alios quoque scriptores aeque quadrat, ut in Velleium, in cuius I, 8, 4 quum Codex *duo* habeat, quid de eiusdem cap. §. 5 lectione *duos* et ubicunque ea insuper obvia fertur, censeamus, eo minus haerebimus, quo quod I, 10, 3 vulgatur *duos*, certius a libro Amerb. reprobatur. Ac certe si Kreyssigio, ut notat Kritzius, constantiae caussa eo Velleio loco, quem primum posui, *duos* scribendum visum est, quidni ab hoc loco proficiscentibus nobis licoat in contrarium eandem praetendere constantiam, eo tutius servandam, quo scriptura *duos* unde nata sit, facilior sit explicatu. Atque in his et quae sunt similis generis rebus orthographicis apud Velleium recte iudicandis numquam obliviscendum, ea aetate, qua codex primum a V. D. describeretur, talia vel pro vitiis inter scribendum statim mutatis, vel pro minutiis notatu vix dignis habita esse. Ceterum illius formae, de qua iam monuerat Bentleius ad Ter. Adelph. V, 3, 22, usus comprobatur inscriptionum quoque auctoritate. V. Petri de Lama Iscriz. antiche p. 108. Cardinali Iscriz. ant. p. 183. Capri vero grammatici aetate eam dicendi consuetudinem obsolevisse, docet praeceptum eius, de orthogr. p. 2240. Contra Suetonii etiamtum temporibus *duo* et quod eiusdem normae est, *ambo* usu non plane excidisse, testantur quae in Prati §. 33 fragmentis cum aliis eiusdem generis scriptis mox edendis observantur. Plebis scito Plaetorii apud Censorin. de die nat. 24 *duo* iure vindicavit Iahnius.

III, 6, 2: *cum illa quum loquerer, tecum.* Idem fit in terminationibus vocabulorum, ut XV, 7, 1: *tristibus temporibus.* X, 12, 5: *brevia, fugacia, caduca existima.* I, 6, 2: *hominum iniuria. A me omnia summa in te studia officiaque exspecta.* I, 7, 4: *aliquo propinquo loco rege collocato.* XV, 2, 6: *ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata, quae essent ante adventum meum occultata.* I, 9, 16: *quum Metellum unius tribuni pl. rogatio, me universa res publica, duce senatu, comitante Italia, promulgantibus octo tribunis pl., referente consule, comitiis centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus incumbentibus, omnibus denique suis viribus recuperavisset.* Quo loco vis rhetorica gradationis in causa fuit eius cacophoniae, quae quibusdam possit videri, eaque ob eam ipsam causam multo maior est persimili loco Philipp. III, 14, 36: *His auctoribus et ducibus, diis iuvantibus, nobis vigilantibus et multum in posterum providentibus, populo Ro. consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore.* Nulla eiusmodi defensio est in Ep. ad fam. I, 9, 5: *primis temporibus illis multis rebus meus offendebatur animus.* VI, 6, 8: *Praeterea cedit multorum iustis precibus et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus.* Plancus X, 21, 4: *corrupti per eos, qui praesunt, Canidios Rufrenosque et ceteros, quos quum opus erit, scietis, conclamarint viri boni pacem se velle neque esse cum ullis pugnaturos, duobus iam consulibus singularibus occisis, tot civibus pro patria amissis, hostibus denique omnibus iudicatis, bonisque publicatis, neque hoc aut vindicarat Lepidus aut sanarat.* XII, 2, 2: *Intelligit populus Ro. tres esse consulares, qui quia de rep. bene senserint, libere locuti sunt, tuto in senatum venire non possunt. Nec est praeterea quod quidquam exspectes. Tuus enim necessarius affinitate nova delectatur.* Animadverte sigmatismum! VI, 6, 12: *Commemorarem gravissimos casus; etiam externos multos claros viros nominarem.* Cassius XII, 12, 3: *ne quem poeniteat rem publicam, quam spem praedae* etc. X, 14, 1: *o gratam famam triduo ante victoriam,* quod est dictum ut illud: *o fortunatam natam me consule Romam.* Cassius XII, 13, 4: *nam iam.* VI, 6, 9: *quam iam.* VII, 3, 6: *maluerам coram.* XIII, 7, 1: *quantoque operer.* Brutus XI, 13, 4: *summa a nobis dabitur opera.* Ep. 16, 3: *omnia a te exspecto.* Sic in ablativis absolutis saepe reperiuntur talia, qualia sunt *referente te* IV, 3, 1. *Legente te* VI, 12, 3. *Narrante te* XV, 21, 3. *Dicente te* Fin. IV, 3, 10. Ep. ad fam. VI, 6, 6: *quiescente me* et *manente me**). Hinc defendenda lectio Philipp. II, §. 30 codicis praestantissimi Vatic. *referente te* pro vulgato *te referente,* quam ob malum sonum videtur repudiasse Orellius, quum eundem literarum concursum vitandum praeceperit Hand Prakt. Stilübungen p. 18, ubi haec: „*praesente te* ist nicht allein wegen Collision mit dem nächsten

*) Huc pertinet structura *omne nefas, me mehercule,* de qua v. Seebodii Krit. Bibl. 1823. No. 2. p. 183. *in iniuria* Cic. II. Verr. IV, 30.

Ablativus missfällig, sondern es ermangelt der Bestimmtheit, welche der ausgeführte Conditionalsatz dem Gedanken ertheilt" (quod non minus falsum). Hoc eo autem magis mirum, quod idem Handius ante huius libelli editionem optime de hoc nostrarum aurium iudicio disputavisset in Lehrbuch des lat. Stils p. 459. Fin. IV, §. 42: *rerum illarum pulchrarum.* Ep. ad fam. VI, 4, 3: *casus subitorum periculorum.* ep. 6, 1: *nostrorum et meritorum multorum et studiorum priorum coniunctione.* Fin. III, §. 36: *multorum aliorum philosophorum.* Acad. I, 5, 19: *praeumve.* Ep. ad fam. XV, 15, 1: *ut saepe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum et item mecum tuus adduxit.* IX, 10, 3: *negotiove versor.* Iam vide quid sit tribuendum iudicio Victorii in Varr. lect. ad Cic. de loco Verrinarum *Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum*, ubi adiectivum *plenus* propterea contra morem Ciceronis cum ablativo coniunctum putat, ne ingratus sonus existeret, si scripsisset Cicero: *Verres ornamentorum fanorum atque oppidorum habeat plenam domum.* Quem recte refutavit Muretus Varr. lect. XVII, 4. Quid, quod integri versiculi similiter cadentes inveniuntur, quos nos dicimus „Reime", ut Ep. ad fam. IV, 14, 3: *nimium timidum.* V, 20, 5: *testáta cui dáta.* Fin. III, §. 52: *eiécta — intellécta.* Acad. II, 4, 10: *nec méa, nec éa.* Ep. ad fam. I, 8, 7: *minus faciémus, quam debémus.* V, 6, 2: *literas crebro mittas.* VI, 4, 2: *non est mihi dúbia de tua salute senténtia* (quo monemus de Hadrianeo illo *Animula vagula blandula* etc.) Ep. 6, 4: *dicerem, quae ante futura dixissem, ni verérer, ne ex eventis fingere vidérer.* Planc. X, 21, 4: *érimus — potérimus.* Lentul. XII, 14, 7: *perficitis, quod ágitis.* XIV, 3, 5: *possúmus — simus.* XV, 20, 3: *ubi Brutum nostrum víderis, quamdiu simul fúeris.* Fin. II, §. 104: *memini — quae nólo, oblivisci non possum, quae vólo.* III, §. 8: *si scissem — venissem.* Phil. I, §. 7: *proféctus reiéctus.* Ep. ad fam. II, 16, 2: *quámvis párvis Italiae látebris.* Serv. IV, 5, 1: *decréui brévi.* VI, 17, 1: *in líteris úteris.* XII, 20: *villa pusilla.* Ep. 25, 7: *rumóres durióres.* XV, 17, 3: *rumóres tristióres.* de rep. II, 5, 10: *perennis amnis.* II, 33, 57: *potestátis sátis.* III, 3, 5: *adventíciam doctrinam*, et §. 6: *utrumque vóluit et pótuit.* Fin. II, §. 68: *ingénuas disciplínas.* Ep. ad fam. I, 9, 25: *dólui quod cásui.* Planc. X, 21, 4: *hostibus denique omnibus iudicátis bonisque publicatis.* Reliqui sunt ii loci, in quibus idem verbum vel sono simile aliud vel simpliciter alteri adiungitur, vel brevi spatio sequitur, ut Ep. ad fam. I, 7, 4: *eaque quae*, §. 8 *simulque quod.* Phil. II, §. 14: *at ad quos.* Ep. ad fam. I, 2, 3: *ita sum cum illo locutus.* XII, 24, 2: *re recenti.* Serv. IV, 12, 3: *pro propinquitate.* I, 7, 7: *nos, quos.* de rep. III, 16, 26: *qui in ea causa* (sic lege a pr. m., non *hac*, quod vulgo legitur, vid. Reisig. Vorles. über Lat. Gramm. p. 824. init.) *eo plus auctoritatis habent.* Cfr. I, 42, 65: *eos in ea.* Ep. ad fam. I, 9, 23: *scripsi etiam —*

nam etiam. Fin. V, §. 29: *quem quidem — quod quidem,* ubi v. Madvig. Sic Ep. ad Fam. III, 7, 4: *quum venisset isque nuntiasset, incertumque* (*esse* excidit) *utrum* etc. Acad. I, §. 37: *quamque — quumque.* Cfr. *possum — possum* Ep. ad fam. I, 8, 6. *Consequere — consequere,* VII, 19. *Metuisti — metuisti — nimis — nimis,* XII, 28, 1. *Idem — idem,* XIII, 1, 3. *Illud — ille,* XIII, 27, 2. *Fui — fui,* XIII, 65, 1. Cfr. Ep. 69, 1. *Hoc — hoc,* XIII, 77, 2. *Accessit* post *discessum,* XV, 14, 6. *Iam — iam,* XV, 16, 1. *Causa — causa,* de rep. I, 26, 41. *Ex ea ex illis,* 29, 45. *Qui, qui,* Ep. ad fam. V, 12, 6. *Seque quae,* I, 9, 9. *Eumque quem,* §. 10. *Ceteraque quae,* IV, 13, 6. *Que — que,* de rep. II, 17, 31. Fin. IV, §. 18. *Restricte tenent,* de rep. III, 4. 7. *Aut audisti,* Cael. Ep. ad fam. VIII, 15, 1. *Illud ut,* Ep. ad fam. I, 7. *Aliquam alicuius commodi aliquando spem,* Ep. ad fam. XIV, 4, 1. *Potest — potest,* Fin. II, §. 86. Sic denique sollemnis erit ista, quae putatur cacophonia; reperitur in formulis, quales sunt: *poteris, poteris autem,* Ep. ad fam. III, 2, 1. *Quotiescunque video; video autem,* VI, 5, 1. XIII, 41, 1. 53, 1. de rep. I, 26, 41. 40, 62. Legg. I, 13, 35. Haec copiosius ad te scripsi, ut intelligeres, quanto nos cum nostris auribus in periculo essemus, quum vel emendare vellemus scriptores, vel ipsi Latine scribere. Cfr. praeterea quae egregie de hac re disputavit Reisigius Vorles. über Lat. Gramm. p. 823 et Beier ad Cic. Lael. ed. mai. p. 122 et 137. Pertinet autem pars illorum malorum sonorum, qui habentur, ad alliterationem, pars ad verborum lusus, quos Galli vocant *Calembourg,* pars ad vim orationis rhetoricam, pars ad aures Romanorum, quarum sensus saepe a nostris differre invenitur. Ego ut quam frequens illud verborum collocationis genus esset, de industria uno fere Ciceronis scripto, id est Epistolis ad familiares, usus sum; poteram, si vellem, sexcentis aliis exemplis uti, ex aliis Ciceronis scriptis desumptis. Nam saepe oratio ne constare quidem potest sine illa cacophonia, quoniam terminationes verborum concurrere saepe oportet. OTTO.

EXCURSUS XIII.

De forma genitivorum in i desinentium heteroclita.

Ad I, 18: *Achilles.*

Quod nonnulli ex codicis scriptura *Achilles* faciunt *Achillei,* vel rectius *Achilli,* probo, et ut omnes hos locos Ciceronis habeas, quibus vel Ciceronis ipsius, quod magis credo, quoniam res partim e sono pendere videtur, vel librariorum inconstantia, vel virorum denique doctorum negligentia, qui in conferendis codd. has minutias, quas crepant, non curant, illa genitivi forma vel servata vel non servata, curabo. Sunt igitur hi loci. Geniti-

vus in *is: Antisthenis*, Ep. ad Att. XII, 38, 4. *Aristidis*, pr. Sext. §. 141; sed *Aristidi* de fin. II, §. 116. e codd. Spir. et Erlang. recepit Madvig. *Achillis* pro Arch. §. 24; *Achilleos*, Ep. ad Brut. I, 6. *Aeschinis*, de opt. gen. or. §. 13, contra *Aeschini* Brut. §. 292. *Aristotelis*, Top. 1. ad Att. IV, 10, 1, contra *Aristoteli* ad Att. XIII, 28, 3. de fin. I, §. 14 et V, §. 14 e codd. a Madvig. restitutum. *Alcibiadis*, de div. II, §. 143. *Carneadis*, de or. II, §. 160. Acad. II, §. 98. Tusc. III, 22, 54; *Carneadi* de or. III, §. 79. de fin. II, §. 35 (Madv.). *Chrysidis*, de or. II, §. 327 *Calamidis*, Brut. §. 70. *Cleomenis*, in Verr. V, 12, 31 et §. 82. *Dioclis*, in Verr. III, 40, 93; *Diocli* in Verr. V, 7, 15. *Diogenis*, pro Cluent. §. 53. *Demosthenis*, de or. I, 19, 88. de opt. gen. or. §. 6. 21. 13; *Demostheni* de or. II, 95. Brut. §. 286. *Epicratis*, in Verr. II, §. 60. *Euripidis*, Fin. I, §. 4 (e codd. *Euripidi*). *Herculis*, de rep. II, §. 24. de Fin. II, §. 118. de div. I, §. 54. 74; *Herculi* Acad. II, §. 108. in Verr. IV, 43, 93. *Isocratis*, Orat. §. 190. de senect. 13. Tusc. I, 4, 7; *Isocrati*, Ep. ad Att. II, 1, 1. *Miltadis*, pro Sext. §. 141 (sed e cod. *Miltiadi*, v. Madvig. ad Fin. p. 632). *Palamedis*, ad Herenn. II, §. 28. *Socratis*, Acad. II, §. 129. *Sopolidis*, Ep. ad Att. IV, 16, 12.

Nomina barbara: *Artavasdis*, Ep. ad Att. V, 21, 1. *Ariobarzanis*, de imp. Cn. Pomp. II, 5. Ep. ad fam. II, 7, 17. Cato XV, 5, 1. *Ariobarzani*, Ep. ad Att. XIII, 2, 1. *Bogudis*, Asin. Ep. ad fam. X, 32, 1. *Bostaris*, pro Scauro §. 9. *Mithridatis*, pro Flacco §. 57. im Rull. 2, §. 52; *Mithridati*, de imp. Cn. Pomp. 8, 20.

Genitivus in *i: Archimedi*, de rep. I, 14, 21. 22. *Agathocli*, in Verr. IV, §. 122. *Callistheni*, Tusc. III, 10, 21. Goerenz. ad Acad. II, p. 36. *Euphrati*, ad Q. fr. II, 12, 12. *Ganymedi*, Tusc. IV, 38, 71. *Lacydi*, Acad. II, 6, 16. *Mastanusosi*, in Vatin. §. 12. *Polyidi*, Legg. II, 13, 32. *Orodi*, Ep. ad fam. XV, 1, 2. ad Att. V, 18, 1. 21, 1. (Nominativus est *Orodes*, Ep. ad Att. VI, 1, 4.) *Pammeni*, Ep. ad Att. V, 20, 10. *Praxiteli*, in Verr. IV, 2, 4. 10, 22; *Praxitelae*, ad Herenn. IV, §. 9. *Pericli*, de or. II, §. 93. Brut. §. 59. Fin. V, §. 5. *Theophani*, pro Balb. 25, 57; *Theophanis*, Ep. ad Att. II, 12, 2. IX, 1, 3. *Timarchidi*, in Verr. II, 43, 108. 54, 136. III, 66, 154 (v. l.) IV, 137. *Tigrani*, de imp. Cn. Pomp. §. 23. *Themistocli*, de or. II, §. 301. Ep. ad fam. V, 12, 5. Fin. II, §. 116. Ep. Brut. I, 15. *Thucydidi*, Brut. §. 288. *Ulixi*, Tusc. I, 41, 98. [V. Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 63.]

Ex appellativis huc pertinent Latinis: *plebi*, in formula trib. plebi, de div. I, §. 56. de Off. III, §. 80. de prov. cons. §. 14. in Verr. II, §. 52. Phil. V, 3, 7. 9. Ep. ad fam. X, 16, 1. 8, 2. *plebiscitum*, de rep. II, §. 63. [Ep. ad Att. IV, 2, ubi *plebis scitu* vulgatur, meliores libri *plebi*.] *plebei* de rep. I, §. 40. Idem corruptum latet in *plebie* de rep. I, 40, 62. [ubi vide.]

Brut. §. 56. [Or. pro domo 12: *ex dolore plebei.* GENIO PLEBEI, Inscr. in Ficoroni Bolla d'oro dei fanciulli nobili Romani p. 46. Cf. Sillig ad Plin. I. V. p. 366.] Dativus *plebei* in Verr. III, 30, 71. V. Orell. ad Brut. §. 55. [Inscr. non admodum recens ap. Raoul-Rochette Temple de Leucophryne p. 17.] Quid? quod Latinum nomen proprium *Verres* genitivo fecisse videtur *Verri.* V. Probum Grammat. II, 1, 51 ap. Lindemann. Cfr. Madvig. ad Fin. p. 32 et p. 632. Vides nihil posse de usu Ciceroniano constitui antea, quam optimi cuiusque libri codd. diligentissime erunt collati. Cfr. etiam, si placet, Koene Spr. der Lat. Epiker p. 86. OTTO.

EXCURSUS XIV.

De usu litterae *c* pro *qu* positae.

Ad I, 21 *aequom.*

Invitis et codice, *aecum*, quod suscepit Maius, exhibente, et ceteris editoribus, qui *aequum* substituerunt, scripsi id quod aetatis, qua Tullius vixit, consuetudini unice convenire videtur. Etenim nihili omnino est, quod formam *aecus*, nescio quam vetustatis robiginem prae se ferentem, nonnulli nostris temporibus admodum probent atque classicae Latinitatis aetati propriam fuisse censeant, decepti ii palimpsestorum auctoritate, quibus saepius quae scribentium aetate usus ferret, quam quae ipsorum auctorum, quorum verba calamo exciperent, exhiberi *obliviscerentur*. Etenim quod in coniunctione *quom* et *quum* factum, ut recentiore aevo in *cum* transiret, idem huic voci accidit et similibus, ut *reliquus, aequus, coquus*, quae quum primitus *reliquos, aequos, coquos* casu nominativo scriptae essent, postremo in *aecus, relicus* (huius formae exempla dabit Maius ad Tull. l. l.)*), *cocus* (v. Beitr. z. Gr. u. Röm. Litt. T. II. p. 258) abirent. V. ad Vitalis Ecl. p. 8 et Müll. ad Varr. de l. l. p. XXXVIII. Quod ita esse, ipsorum codicum hac in re inconstantia docere potest, quorum in Vaticano v. c. *aequa* I, 31 bis scribitur. Ac num quis serio *aecitas, aecabilitas, reliciae* scripturus esset, quod qui *aecus* et *relicus* probat, non poterit non item probare? Vel quidni eundem ad modum *ecus* pro *equus?* Martianus Capella III, §. 255: „Q quidam litteram non putabant, et vincerent, nisi in *equo* et *equitatu* appareret expresse." Recte vero EQVOM accusativum exhibet lapis satis, ut videtur, antiquus in Bull. dell' inst. arch. 1840. p. 142, insuper etiam Frontonis codex Epist.

*) Ex eodem genere sunt quae in lapide exhibetur scriptura CONDAM pro *quondam* apud Reinesium p. 722, 2, vel *con* praepositio in titulo Polae eruto apud Pierium Valerianum ad Virg. Ecl. I, 69. T. IV. p. 156 ed. Burm. (Quod affert *con* pro apud accusativo iunctum Virgilius gramm. in Maii Auct. cl. T. V. p. 1, id quid sit, non perspicio.)

ad Marcum p. 77, ed. Francof. etsi idem non multo post p. 78 *ecum* vitiose exhibeat. At *reliquiae* satis tuebitur, si quo praesidio opus videatur, Testamentum Dasumianum, quamquam in eo COCVS exstat, sed nomen proprium. Igitur facile patiamur Alschefskium suo sibi delectari *inicus*, atque adeo *inicius*, quod Livio XXX cum eiusdemmodi aliis Latinitatis idiomatis vindicavit, huius libri ed. p. XCIII, quibus tandem effectum, ut Livius, si revivisceret, frustra semetipsum quaereret. Similiter censendum de scriptura *cotidie*, a Vat. supra c. 19 oblata, vel ut quidam malunt, *cottidie*; quam serior demum aetas invenit. Exempla dabunt Hess. ad Tac. Dial. p. 20 et Add. Meyer. ad Quintil. T. I. p. 5. Wunder. Cod. Cic. Erf. p. XII. *Cottidie* Cod. Glog. Cic. de fin. I, 6 et, quod non diffitendum, Tabula Heracleensis p. 16 Marezoll. Quod certam temporis notam prae se ferat antiquissimum eius usus exemplum exstat in lapide Gruteri p. 214 a. u. c. 865 inscripto, a qua inde aetate in consuetudinem venisse videtur, etsi altera forma dicendi usu non prorsus exciderit. V. Grut. p. 705. Atque exhibet inscriptio Fabretti IV, 150 CVOTTIDIE, ad primitivam formam proxime accedens. Quod scribendi genus, in vetustissimis codicibus passim obvium (v. ad Vitalis Ecl. p. 8) a pronuntiandi ratione, qua *qu* fere idem quod *c* sonaret, repetendum videtur, et ipsum hac de caussa a grammaticis castigatum, quorum omnium antiquissimus Cornutus ap. Cassiodor. de orthogr. T. II. p. 576 Garet. conferendus cum Isidor. Orig. I, 26: „*Quotidie* sunt qui per *co*, *cotidie*, scribant, quibus peccare licet; desinerent, si scirent *quotidie* inde tractum esse, a *quot diebus*, hoc est, omnibus diebus." Atque etiam Probus Artis p. 156. b. ed. Maii de eorum grammaticorum doctrina refert, qui quod *c* litterae *q* supplere posset, huius usum supervacuum censuissent.

EXCURSUS XV.

De terminatione genitivi plur. substantivorum in *as* desinentium.

Ad I, 34. *civitatium.*

De terminatione *civitatium*, quam a palatinis Livii membranis aliisque exemplis ait Maius confirmari, Ottonem audiamus: „Haec genitivi forma, inquit, reperitur II, 4, 8. [Adde II, 11 et 39] Cass. Ep. ad fam. XII, 13, 2. Apud Caes. B. G. IV, 31, 1. VIII, 23, 1. V. Oudendorp. ad V, 23, 3. Alibi Cicero *civitatum*, ut pr. Planc. II, 28. de legg. II, 14, 9. 15, 38. III, 14, 32. de fin. IV, §. 61. [de rep. II, 39]. Falsa est igitur sententia Leop. Schneideri l. l. Sic *penatium* pro Diot. §. 15. *Arpinatium* pro Cluent. §. 43. de legg. I, §. 1. (var. lect.) II, §. 30 (var. lect.) *Arpinatum* ad Att. XV, 15, 1. *immunitatium* Philipp. II, 14, 35 (e Vat.) *tempe-*

statium Caes. B. G. III, 12, 3 (e codd.) *optimatium* de legg. II, 12, 30. III, 7, 16. 15, 34.“ *Optimatium* praeter hoc ipsum cap. in hoc opere pluries exstat, ut c. 26. 32 ad quem locum Maius confert haec Martiani III cap. de analogia: *optimatium dicimus, quia accusativus pluralis i litteram habet, ut hos et has optimatis; quamvis veteres optimatum dixerunt.* Adde *optimatium* infra c. 42, pro Sextio 45, 96, dum *optimatum* legitur I Catil. 3 et Ep. ad Att. IX, 1, 2 in cod. Med., ubi vulgatur *optimatium.* Ut veteres ita plerumque dixerint, tamen etiam Augusti adhuc aetate fuisse, qui scriberent *civitatium* testatur inscriptio illa fere aetate incisa ap. Férussac Bulletin universel 1827. Sect. VII. No. 7. p. 72. Adde aliam a. u. c. 742, in Orellii Coll. inscr. No. 3693. T. II. p. 153. Alios titulos notavit post alios Wagnerus *in* Allgem. Schulzeitung 1826. Sect. II. No. 23. p. 179, formam *civitatium* docte defendentem, collato oblocutore nescio quo ibid. No. 67. p. 529. Conf. Spalding. ad Quintil. II, 16, 4. Reisig Gramm. Lat. p. 95. Quid reapse tandem Cicero scripserit, id an unquam satis explorari possit, eo magis dubitandum, quo certiore Varronis testimonio de L. L. VII. p. 120. Bip. edocemur, sua, hoc est Ciceronis quoque aetate, utramque formam in usu fuisse: quo refutatur simul sententia Meyeri ad Quintil. I, 1, 20, eas omnes formas, quales sunt *aetatium* vel *civitatium*, ab errore librariorum minus circumspecte repetentis. In hoc rei statu ancipite quid potest aliud ab editore Ciceronis diligenti iure postulari, quam ut probatiorum codicum scripturam *reddat?* Probatiores vero intelligo eos, qui ad antiquitatem proxime accedant, quales et Vaticanus noster est aliique palimpsesti, ita ut aliorum Tullii scriptorum codices, veluti librorum de legibus, qui multorum saeculorum calamitates perpessi sunt, in censum omnino non veniant: illorum autem scripturam eam censeam optandam, quae quo magis a vulgari usu dicendi recedat, eo probabilius reddere videatur genuinam scriptoris manum. Quae omnia si reputamus, non potest non *civitatum* in Cicerone a librariis, quippe Ciceronis scripturam ad ipsorum aevi consuetudinem revocantibus, rescriptum censeri. Ac si scriptorem in una forma retinenda per omnia sua diversis aetatibus scripta opera perseverasse non exspectamus, tamen attenti scriptoris esse videbitur, constantiam uno certe in scripto suo servare. Quare non dubitavimus per hos de re publ. libros *civitatium* ut rariorem dicendi formam, quam hic illic Vaticanus offert, etiam invito codice restituere. Praeterea favet huic scripturae etiam aliud argumentum, quo fortasse omnis de hoc loco dubitatio tollitur, siquidem ad *civitatium* referenda sunt, quae de *optimatium* valent. Hanc enim formam ut Tullianam censeam, adducor eiusdem Codicis auctoritate, in quo hoc non solum pluries, ut dixi, recurrit, sed quod I, 33 accusativus *optimatis* exhibetur, qui, quamvis III, 35 *optimates* legatur, tum analogia vocis *locupletis* una

cum genitivo *locupletium* sustentatur*), tum rursus cum ipsa dictione *optimatium* ita convenit, ut utraque sese satis munire videantur. Quid? quod ipse Cod. *civitatis* I, 7 exhibet, ut nullum relinquatur dubium. Eodem modo concordant seseque invicem tuebuntur *ardentis* II, 14. *inpendentis* I, 29. *potentis* III, 14. *sapientis* I, 7. III, 4 et *sapientium* I, 17. (cf. Heus. ad Off. III, 4, 1) *animantium* III, 11. Item *Atheniensis* III, 15 et *Atheniensium* I, 29. II, 1. III, 9. 32. *Massiliensium* I, 29. *Rhamnensium* II, 20 (quod iuxta Cod. exhibet *Titiensum*, patet errorem librarii esse). *Karthaginiensium* II, 23. Item *civis* I, 3. 16. 34. II, 20. V, 4. or. pro Flacco 7. *classis* II, 22. *gentis* III, 9. *partis* saepissime, *finis* III, 14 (bis). *artis* I, 20. *fontis* V, 3. *Alpis* or. pro Font. 3, 4 et *hostium* I, 1. 3. II, 3. *gentium* I, 2. II, 20. *civium* innumeris locis, *adulescentium* I, 43. *ovium* II, 9. *artium* II, 19. *noctium* III, 2. *Penatium* V, 5. Item *communis* I, 36. *capitalis* III, 35. *grandis* III, 8. *immanis* II, 14 (item pro Scauro 14). *inexpiabilis* III, 11. *innumerabilis* I, 1. *omnis* innumeris locis, *pluris* III, 4. *compluris* I, 8. *securis* II, 31 et *omnium* ubivis, *civilium* II, 30. *popularium* II, 31. *consularium* or. pro Scauro p. 7 ed. Nieb. *immortalium* ibid. p. 19. *Familiarum*, quod cod. Vat. infra V, 4 exhibet eidem vitio debetur, quo *Titiensium* supra allatum. Quae quum ita sint, non possunt non pro vitiosis haberi terminationes *urbes* I, 2. II, 4. *adulescentes* I, 12. *inaequabiles* I, 14. *prudentes* I, 24. *cives* I, 27. II, 34. *Athenienses* I, 28. *plures* I, 34. 38. 39 *omnes* I, 35. II, 27. III, 9. *gentes* I, 36. *praepotentes* I, 43. *tres* II, 18. De participiorum genitivis omnino ita censeo, eorum formam in *ium* exeuntem altera antiquiorem esse atque primitivam fuisse; iuxta quam altera quae inventa est deberi videtur Epicorum industriae, qui ut alia multa, ita hoc quoque metri legibus coacti novarunt: quod breviter etiam Meyerum adnotasse video ad Quintil. I, 1, 16. Atque ducem facemque istis, ut putare fas est, sese Ennius praestitit, quem certe dixisse novimus *altivolantum* et *insuperantum*, p. 20 et p. 109 ed. Hessel. Itaque *parentum*, quod a Cicerone alienum esse vidimus, Vergilius frequentavit: et *obstantum* legitur apud Silium Ital. V, 277. Anceps vero iudicium est de formis *calamitates* I, 3. *celebritates* II, 14 et *potestates* III, 12, quoniam huius classis verborum sola haec genitivorum exempla his in libris reperiuntur *dignitatum* I, 34 et *cupiditatum* II, 4: nam quum ratio v. *civitatium* et *optimatium* postulare videatur, ut *dignitatium* et *cupiditatium*, tum etiam quod consequens est, *calamitatis*, *celebritatis*, *potestatis* scribamus, tamen nolui in re tam ancipite invito codice liberius agere. Notemus interim exempla quaedam ex Livio ab Ottone nobiscum

*) V. Comm. de pron. *is* p. 70. Hunc ipsum accusativum *locuplentis* (sic) in formis sincerioris scripturae Tullianae, quas suppeditent Codd. Vatic. or. pro Flacco et pro Fonteio, refert Niebuhrius ad Orat. fr. p. 110.

communicata: *aetatium* XXVI, 9, 13. XXIV, 1, 4. IX, 17, 7. 1, 43, 5. coll. cod. Memm. Sueton. Aug. 31. Burm. ad Vell. II, 89, 1. *civitatium* I, 9, 1. 17, 4. II, 6, 5. III, 31, 8. XXV, 8, 1. 40, 4. XXVI, 49, 1. 9. XXVIII, 16, 10. XXVI, 40, 15. III, 34, 1. XXXIV, 16, 5. 17, 7. 36, 3. XXXV, 16, 13. XXXVI, 42, 3. Contra XXXII, 10, 4. XXXV, 16. 2. XXVI, 40, 15. coll. Drak. ad XXX, 20, 11. *simultatium*, v. ad IX, 38, 12. XXVIII, 18, 3. *cupiditatium* XXXIV, 4, 15. *voluptatium* I, 4, 9. XX, 4, 4. *necessitatium*, v. ad IX, 8, 4. *difficultatium*, v. ad IX, 31, 14. *Apolloniatium* XXVI, 25, 2. Postremo notandum est verbo, de terminatione accusativi in *is* desinente ubi apud Ciceronem agitur, ubique antiquam scribendi rationem *-eis* revocandam atque nunc a nobis revocatam esse: qua de re *satis*, *ut* puto, dixi Comm. de prou. *is* Excursu II.

EXCURSUS XVI.

De geminatione consonantium in verbis cum *re* compositis.

Ad I, 8: *recidisset.*

Ex Cod. solus Maius *reccidisset*, frustra allato Caesellio orthographo p. 2314: „*re* praepositio nonnumquam cum ad consonantes accedit, geminat illas, quod plerumque apud antiquos est, ut *duco redduco*, *cado reccido*, *tuli rettuli*, *pello reppello*.“ Nam solum poetarum usum grammaticus, ista quum praeciperet, *in* mente habere potuit, quandoquidem certum non potest afferri exemplum ullum, quo in vulgari sermone antiquorum quemquam consonantes illas, nulla prosodiae ratione urgente, geminasse demonstretur. Poetis vero ob syllabae *re* in compositis mensuram ancipitem, de qua v. Burm. ad Anthol. T. I. p. 67. Drakenb. ad Sil. I, 309. Staveer. ad Mythogr. Lat. p. 605, eo lubentius illam geminandi usum, quoties syllaba longa a metro postulabatur, concedamus, quo ea licentia privi ii praesertim qui ex genere epicorum essent, quibusdam verborum formis, v. c. *religio*, uti minus potuissent; qua si ita abusi sunt, ut consonantes geminarent etiam, ubi vox ipsa metro accommodari potuisset, veluti in verbo *reduco*, quod a Terentio constanter *redduco* scriptum affirmat Bentleius ad Andr. II, 1, 33, quodque etiam Lucretius non aliter quam producta prima usurpat, id cum aliis multis patienter fero, quae poetae sibi indulgenda sumpserunt. A consuetudine vero prosae scriptoribus istam geminationem alienam fuisse, disertis verbis docet Servius ad Aen. I, 30 *relliquias* (ubi adeo cod. Med. *reliquias*): „Ut stet versus, geminavit *L*; nam in prosa *reliquias* dicimus.“ Ad quem locum Pierius inter alia scitu digna Cominiani grammatici testimonium nescio unde profert, qui adiectionem illam litterae barbarismis adeo accensuerit. Nihilo tamen secius a poetis usus

ille quamvis sero tam late exspatiatus est, ut ab ineunte medio aevo librarii nullo discrimine scriptoris habito eam scribendi rationem adhibuerint: neque omnino in proclivi ista litterarum liquidarum geminatione magnopere miranda sunt eius usus exempla antiquiora, quorum unum novi RELLATVM in Legis agrariae fragm. ap. Grut. p. 206. Quae quum ita sint, minime mihi persuadeo, ut iure egisse credam eos, qui codicum quorundam non recentissimorum quidem, nec tamen antiquissimorum auctoritate confisi, praeteritorum certe et ex his derivatorum nominum formas, quales sunt *reccidi*, *repperi*, *rettuli*, non solum prosae scriptoribus vindicandas, sed omnino solas genuinas esse statuerent. Nam qua nituntur ratione grammatica Meyerus ad Quintilian. Prooem. 12. T. I. p. 11 et Ritterus ad Tac. Ann. I, 6, ab ipsis non inventa, sed a Buttmanno exposita in Schneideri Gr. Lat. I, 2. p. 595 sq., eam fictam esse age demonstremus. Buttmannus scilicet quum observasse sibi videretur, praeteritorum illorum personam primam singularis a poetis epicis spretam esse, eius rei caussam ex eo repetendam dixit, quod *re* syllaba in iis omnino pro longa habita, ideoque geminata littera consonante scribenda fuisset, *rettuli* etc. quod metro heroo accommodari nequisset. Ut ea vero syllaba per se longa fuerit, id effectum esse monuit reduplicatione, qua istorum praeteritorum formae antiquitus instructae fuissent, *tetuli*, *peperi*, *pepuli*; unde sequatur ut scripturam geminatae litterae *rettuli* etc. solam Latinam fuisse statuamus, confirmandam eam insuper quarundum inscriptionum a Manutio Orthogr. laudatarum auctoritate, in quibus *rettulit* revera reperiatur, veluti in Tab. Heracl. p. 16 Marezoll. Quae acutius quam verius excogitata esse mihi quidem videntur. Etenim ut vera sint, quae de fuga primae personae apud epicos poetas observantur (nam non morabor quod ap. Auson. Epigr. 23 iuxta *repperit* etiam *rĕperit* legitur, quod cave ne pro praesenti haberi posse contendas): tamen si geminatio praeteritorum ex reduplicatione sola orta putanda est, necesse est idem etiam aliis eius generis verbis accidisse statuamus, ita ut constanter v. c. scriptum esset *remmordi*, *reccurri*, *repposci*, quae adhuc inaudita sunt. Praeterea in tota hac quaestione absolvenda haud parvi momenti videtur, quod etiam in aliis verbi formis, quae cum reduplicatione nil habent commune, poetae vocis *re* productionem geminatione litterae consonantis insequentis effectam admiserunt. Ut nihil dicam de vocabulis *relligio*, *relliquiae*, quoniam epici iis alia mensura uti non poterant: quid est quod et *relliquus* quatuor syllabis ut passim, et *reliquus* tribus, ut Persius dixit *haec reliqua accipito*, extulerunt? Vel quod tam *reducere* quam *redducere* reperitur, in quo verbo, ut hoc insuper moneam, a reduplicatione geminatio litterae repeti non potest? Atque Lucretius V, 685:

eius in advorso tanto plus parte relatus

et II, 1001:

id rursum coeli relatum templa receptant.

Terentius Phorm. prol. alt. 21:

quod ab illo adlatumst, sibi esse id rellatum putet,

ubi Donatus: „geminavit *l*, ut *relliquias Danaum:* est enim senarius iambicus." Adde quod ut in Legis fragm. l. RELLATVM scriberetur, nulla caussa neque a metro fuit, neque a reduplicatione repeti potuit. Neque denique geminata littera nullo discrimine temporum verbi facto minus in recentioris quam vetustissimae aetatis codicibus reperitur, veluti *repperiatur* I, 26. II, 23, *repperias* II, 11. *repperitur* II, 14. Postremo si de inscriptionum fide agitur, a Cellario Orthogr. Lat. T. I. p. 340 Harl. duo formae RETTVLIT allata video exempla, quorum unum „ex Capitolino Marcelli triumpho", alterum „ex inscriptione quadam apud Manutium" excitatur. Cui argumento non opponam, priorem titulum a nonnullis in suspectis referri, neque obmovebo in satis antiquo Legis agrariae frag. ap. Grut. p. 202. RETVLIT legi: gravius videbitur, quod si usus dicendi Latinus ita revera tulit, tam rara eius exempla in monumentis reperiuntur, quum exspectandum fuisset, alterius formae vestigia quam rarissime legi. Adde quod, si reduplicationis lege revera ista geminatio orta est, eam legis loco haberi oportuit, quam si quis desereret, vim ipsi linguae rationi facturus fuisset, quod nonnisi per licentiam poetis indulgendam excusari potuisset. Quid? s. Catullus *rĕppercit* dixit, tamen *rĕpertus*, quod item *reppertus* proferri debuisset, cum ceteris omnibus dixit, quoniam in ea voce nulla litteram geminandi caussa erat. Neque eidem licebat scribere *rĕtŭlisset*. Unde denique *rēcidat* sive *reccidat* apud Ovidium et similia, nisi a necessitate metri?

EXCURSUS XVII.

De forma muta verbi *est*.

Ad II, 10: *conditast.*

Ita ex Cod. solus Maius, cui cur ego hic aliisque horum librorum locis eandem scripturam, ubi Codex offerret, reponendo obsecutus sim, ratio eo diligentius reddenda videtur, quo quamquam id genus scribendi Ciceroni iam ab aliis editoribus vindicatum atque ad imitandum commendatum est, tamen tam ab horum quam aliorum Tullianorum scriptorum editoribus socordiane maiore haud scio an obstinatione spretum est. Et digna sane ea res videri debebat, in quam accuratius inquireretur, ex quo Niebuhrius Consp. orthogr. eius scripturae patrocinium susceperat, cuius verba licet longiora non possum non transcribere. „Aphaeresis ista locum sibi omnino vindicat ubicunque *est* vocalem, sive longa sit, sive brevis syllabamve *um* subsequitur:

(equidem de *im* syllaba idem valere, suspicor plane, sed exemplum adhuc nullum inveni) minimeque haesitare debet Ciceronis editor, quin eam ubique reponat: codicum enim inconstantia a sola corrigendi ad recentiorem orthographiam libidine fluxit. Neque ea nonnisi tum admittenda est quum participium adiectivumque praecedens vinculo quodam indissolubili cum verbo *est* coniungitur, et cum eo coalescit, ut quasi solidum verbum ex hac coniunctione prodeat compositum ... ex. gr. *posita st*, *condita st*, *nata st*, *verendum st* [III, 5], *plena st*. Nam nihilo secius idem evenit inversione facta, *ratio st inita* (II, 36), *si boni st oiri* (III, 11): immo quando *est*, cum nullo alio verbo coniunctum, vim habet absolutam: *ita st*, *inquit Scipio* (II, 21), *virtutem, quae est una, si modo st, maxime magnifica* (III, 8), minimeque dubitaverim, hoc ipso loco *quae st* scribere, [v. not. ad I, 26]; ut mihi quidem persuasum est alibi *memoriae st proditum* rectius quam *memoriae est proditum* legi." De extrema phrasi v. ad c. 15. His primum adiicio eorum caussa, qui vel istum scribendi modum ab usu Latino abhorrere omnino etiamnum censeant, eum ipsorum titulorum auctoritate satis muniri. Sic inscriptio satis antiqua in Bull. dell' inst. archaeol. 1835. p. 152 offert DEDICATAST; alia in Fendtii Monumentis sepulchr. illustrium virorum, Trai. ad Rhen. 1671, tab. 106 IN TE'ST et PROBATA'ST, utrumque versus fine; alia ap. Ritter Elem. gramm. Lat. p. 94 NECESSEST; in alio epigrammate, quo post ROSA metri caussa EST a Burmanno adiectum fuerat, in lapide ipso ROSAST scribi, ostendi Syllog. p. 457. Accedunt alia multa huius usus exempla et in his Ciceronis aliisque libris obvia, ex palimpsestis diligenter collecta a Freundio ad or. pro Mil. p. 19, augenda scriptura *sublatast* in or. pro Rosc. Am. 1 codice rescripto, cuius variantes notavit Niebuhrius Cic. or. fragm. p. 83. Atque etiam Cod. Med. Epist. ad Fam. V, 2, 5 *imminutast*. V, 2, 5 et VII, 30, 1 *sublatast*, ubi Del Furia adnotat, ita fere semper in Cod scribi. XV, 18 *molestast*. VII, 29, 1 *quantist*. V, 2, 9 *appellatast*. VI, 14, 1 *vitiumst*. VII, 1, 3 *consecutast*. VII, 1, 4 *nudast*. VII, 3, 4 *visast*. Eandemque scripturam in optimis orationis pro Sextio passim obviam esse, Halmius in sua eius orat. editione p. 322 adnotavit. His et ea adiungas exempla, quae in codicibus aliorum scriptorum reperiuntur, ut *necessest* apud Gargilium ed. Maii p. 413, vel ea, quae ex Ciceronianae or. pro Sextio Codice Parisino, qui saeculo nono scriptus putatur, Krarupius Obs. in Cic. rep. II. p. 20 in medium profert Ciceronique recte vindicat, c. 31 *visast*, c. 34 *creditumst*, *discessumst*, *duplicatast*, c. 42 *alterost utendum*, *necessariost*, c. 48 *inscitiast*, c. 54 *itast*, c. 55 *declaratumst*, *contionatast*, c. 56 *demonstrandumst*, c. 61 et 61 *factumst* bis, c. 65 *non east medicina*, c. 66 *oratiost*. Praeter alia quae attulit Krarupius exempla, tu confer etiam ea, quibus Madvigius Emendat. in Cic. libros philosoph. p. 9 et ad Fin. III,

18, 58. p. 448 demonstravit falso hodie vulgari *sit*, ex genuino *st*, quod librarii non intellexissent, natum. Adiiciamus unum exemplum ex or. pro Caec. 13, 38, quem locum ex parte Peyrono duce Klotzius Emend. Tull. p. 14 sanavit scribendo *etenim cui non perspicuum est*, nec tamen in integrum restituit, incuriosus scilicet originis vulgatae *sit*, quippe natae ex male intellecto *st*, quod Tullius scripsit. Aliud exemplum in Catone maiore notavit Orellius Anal. Cic. T. IV, 2. p. 598. Eodem modo corruptum *maximum est*, quod vulgatur Ep. ad Att. I, 12 p. 28, codice Med., qui *sit* pro *est* (quod in margine reponitur) habet, viam monstrante. Confer denique quae ex Varrone Müllerus ad L. L. p. XXXVI, ex Livio exempla collegit Weissenbornius in Iahnii Jahrb. 1842. Vol. XXXV. p. 365, qui non satis perpendit, in Liviani Prooemii vulgata *si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit* ex Mediceo, quem secutus Alschefskius *est* edidit, ut iam ante Aldum vulgabatur, *obscuro st* reponendum esse. *Natio 'st* notavit ex Codd. Mediol. et Taur. Peyronus in Cic. frägm. p. 129, ibidemque *'stic* p. 161, quod ab hac dicendi consuetudine haud plane abludit. Sed confitendum, veteres ipsos in hoc usu religiose observando sibi non constitisse, quod recte Freundius l. l. monet p. 22, et Kalendarii Praenestini scriptura DEDICATA EST, quam affert, nunc cum titulo supra laudato collata evincitur; vicissim tamen ex eodem Kalendario Ianuar. Maius ad I, 34 laudat *dedicata st*. Quum igitur negari nequeat, utro modo scriptor uti voluerit, arbitrio eius relictum fuisse, *hanc* in his libris edendis legem mihi praescripsi, et alias, si fallor, ubicunque locorum aphaeresis illa a codicibus offeratur, observandam, ut codicum scripturam secuti quae eius usus vestigia sive diligentia sive socordia librariorum relicta sint, religiose servemus et sic his certe locis sine erroris periculo pristinam manum restituamus. Minime tamen repugnaverim ei, qui quem modum in verbo *est* scribendo veteres ipsi tenuerint, exploraturus, generales certe quasdam normas pervestigare studeat, quibus repertis cum aliqua probabilitate etiam tales loci tentari possint, quibus a codicum ope destituamur. Ac primum illibatum maneat *est* oportet tum, quum vim praecipuam aut aliquam certe occupat, v. c. ubi particulae *enim* iunctum propter sensus rationem praeponitur, ut I, 2 *quae est enim*, ubi Krarupio *st* reponenti non obsecutus sum, quoniam *est* quandam habet vim, ut in simili verborum ordine de fin. I, 6, 24: *nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur*, „es giebt kein Ding, das nicht irgendwo sein müsse", ubi existendi notio praevalet, aliisque multis in eiusdem generis formulis. In tota autem hac quaestione in primis usus poetarum explorandus esset, quoniam ex hoc certae eius leges, quae veteres secuti sint, colligi possunt: in quibus comici, ut de his dicam, ut qui sermonem ad vulgarem dicendi consuetudinem saepe conformare soleant, etiam ultra prosae mo-

dum praecedente consonante *c* non dubitarunt *st* ponere, veluti *illicst* Plaut. Amph. prol. 148. Asin. I, 1, 17, ubi *ubi istuc est* (immo potius *istucst*) ex Codd., quibus unus Monacensis a me olim collatus addi potest, Bothius recte revocavit. Iidem an etiam *st* post *d* dixerint, valde dubito; exemplum quidem non in promptu est, neque concursum litterarum *dst* Romanorum auribus placuisse crediderim: quod enim in Ennii loco supra I, 18 nonnulli *quod 'st* exhibuerunt, alio modo expediri posse, adnotavi. Adde quod per se probabile est illoque epigrammate, quod ex Fendtio supra laudavi, confirmatur, aphaeresin poetas versus exitu, ubi *est* elisum frequentari Weichertus Comm. I. de versu poetar. epic. hypermetro p. 23. 24 demonstravit, adhibuisse. Postremo notandum, in scribenda hac forma ita me esse versatum, ut *st* cum voce praecedente conglutinarim; quum enim *st* per se sumptum voculatione careat, non potuit aliter quam adsumpta syllabae praecedentis vocali pronuntiari: quo factum ut *st* cum vocabulo praemisso unam vocem effecerit. Ceterum quousque illa verbi *est* decurtatio in usu vulgari manserit, non habeo exploratum: tametsi in titulis quibusdam supra laudatis nonnulla recentioris aetatis vestigia reperiantur, tamen sunt rara ea, neque recentiorum scriptorum, quantum ex codicibus eorum colligi licet, consuetudine sustentata. V. quae notavi ad Metellum ICtum in Pomponio meo. Unum exemplum notavi ap. Frontonem ed. Rom. p. 112 *bene st* in epistola.

EXCURSUS XVIII.

De formulis *non modo*, vel *non solum — sed ne — quidem*.

Ad II, 18: *non solum facta esse sed ne fieri quidem potuisse.*

Ita [*facta*] cod. 1 manu; at 2 *falsa*. Maivs ed. alt. Ita nunc breviter Maius, qui quum in ed. pr. monuisset, *non solum sed* omisso *non*, quam particulam Cicero et Caesar fere non ponerent, recte et eleganter dictum esse, graviter a Mosero vapulavit, haud minus reprehendendo, quod rem absolvi posse opinatus est comparata formula *non modo — sed*, quae a *non solum — sed*, quamquam utriusque usus in plerisque conveniat, tamen necesse est probe distinguatur. V. interim Spalding. in Wolfii Mus. antiq. stud. T. I. p. 68 sq. Atque ratio huius formulae generalis non tam in censum venit, quam potius *non modo* (*non*) vel *non solum* (*non*) — *sed ne* — *quidem*, quarum dictionum quum illa frequenter reperiatur, haec tam rara est, ut an Cicero dixerit, aut omnino Latina sit, aliquamdiu dubitaverim. Diligentius vero res explorata sic habere videtur, *non* tum tantum et usu quidem sollemni omitti, quum utrumque enunciationis membrum ab eodem verbo pendeat, ita ut ex posterioris membri forma negativa ad prius, quoniam utraque unam enunciationem efficiunt, eadem vis negandi transferri facile possit. Or.

in Pis. 10: *Senatui non solum iuvare rempublicam, sed ne lugere quidem licebat.* De Orat. I, 46, 203: *nec solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit.* Columella de arboribus c. 18: *ita ut non solum pecori, sed ne homini quidem transitus sit.* Alia non novi eius usus exempla: at eadem ratio est in phrasi *non solum — sed vix*, ut Cic. pro Cael. 17: *haec genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur.* Contra si tota enunciatio verbo destituitur, aut si verbum quod ad utrumque pertinet, in priore collocatum est, vel cuique membro suum verbum adiicitur, *non* non intelligitur, sed scribitur, et quidem necessario, quoniam negatio ipsa ad verbum, *non solum* vero ad aliam orationis partem pertinet. Huius generis exemplum est in Cic. II Verr. V, 97: *non solum aestimandi frumenti modus non fuit, sed ne imperandi quidem.* Adde Varr. de L. L. VIII, 36: *non solum in vocabulis litterarum non haec requirenda analogia, sed ne in syllaba quidem nulla.* Alteram dicendi formam exhibet Cic. de Orat. II, 62: *obscaenitas non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum.* Eadem ratio in usu formularum cognatarum *non modo* (*non*) et *non modo non — sed ne — quidem* obtinet, quod quum adhuc non satis observatum videatur, nonnullis exemplis iuvat illustrare. Cic. Brut. 42. fin. *non modo querendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus.* Ep. ad fam. I, 9: *non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem sibi reliquit,* et paullo infra: *non modo praemiis ... sed ne periculis quidem compulsus ullis.* Acad. II, 19, 62, qui locus propter similem conformationem cum nostro, quem tractamus, in primis conferendus est: *quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest,* ubi *non* omissum Hottingerus ad div. I, 55. p. 153, teste Goerenzio, recte eo defendit, quod negatio ex sequentibus simul cum verbo assumenda sit. Adde Rep. VI, 21, ubi vide, pro Rosc. Am. 23, 65. II Verr. I, 38, 98. Off. III, 19, 77. pr. Flacco 3, 8. Ex altero genere sunt Ep. ad fam. I, 8: *nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum.* Ibid. XII, 24: *Ego nullum locum omitto non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem.* X, 10: *Cuius rei non modo non praeteriit tempus, sed ne maturum quidem etiam nunc meo iudicio fuit.* Adde Acad. II, 2, 6. 15, 48. pro Rosc. Am. 47, 137. Div. in Caec. 4, 16. 12, 40. II Verr. I, 25, 64. 43, 111. Adversatur eiusd. or. 52, 152: *in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere,* ubi ipsa corrigendi commoditas suadet, ut *ulla* reponatur. Eodem vitio laborat or. pro Scauro p. 19 ed. Maii: *non modo nullis argumentis, sed ne litterarum quidem aliquo genere ... confirmare conantur,* cui loco sanando quominus eandem medicinam adhibeam, prava deterreor v. *nullis* sede, post *argumentis* collocandae: quo adducor, ut *nullis* a librario additum credere malim. Porro de fin. I, 3 fin. a Madvigio vulgatum: *Latinam linguam non modo non inopem ... sed locupletiorem etiam esse quam*

Graecam, ubi inducendum alterum *non* cum Codd. nonnullis, in quibus etiam Glogaviensis optimus est. Eadem plane ratio usus in membris transpositis, ut Parad. II, 17: *mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti*, ubi Goerenz. ad legg. III, 5, 12. p. 231 *non* deleri non recte iubebat, licet item statuente censore (Goerenzione?) in Ephem. litt. Ien. 1820. No 152. p. 266. Rursus ex altera parte Ep. ad div. I, 9, 62, quem locum Gernhardius confert: *Apertius haec ago ac saepius, quod et Q. frater meus legatus est Caesaris et nullum minimum dictum, non modo factum pro Caesare intercessit.* Perrarum denique dicendi genus *non modo* (*non*) — *verum ne* — *quidem*, teste Stuerenburgio ad or. pro Arch. p. 36, ternis his tantum locis repertum, nostrae doctrinae plane faventibus: de rep. III, 30, 42: *ut ego non modo tecum Servium Galbam ... verum ne Atticorum quidem oratorum quemquam ...* Or. pro Rosc. Am. 19, 54: *quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem.* Ep. ad Att. I, 11, 1: *non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne caussam quidem elicere.* Qui loci trifariae loquendi rationis exempla praestant. Verbo restat admoneam, prorsus alienos ab hoc dicendi genere esse eos locos, quibus continetur enuntiatio affirmativa, ubi *non* supplere ipsa sententiae ratio prohibet, qualis est Div. in Caec. 11: *non modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem adhuc esse divisam.* Alia exempla post Muretum V. L. X, 7 qui omnium primus negationem recte aliquoties supprimi docuit, suppeditabunt Schuppius Ueber die Lat. Bindeformel non modo (non) — sed ne quidem und über deren Synonyma, Hanovii 1825. p. 13, qui totum quidem hunc locum tractavit, sed meo iudicio non ita ut rem absolvisse dicendus sit, Matthiaeus in Wolfii Anal. III. p. 4, et qui posthac rem diligentius retractarunt, ut Rosenheyn in Seebodii Neues Archiv II, 2. p. 84, in primis p. 89, Putschius in Actis soc. Graec. Lips. T. I. p. 309 Haasius ad Reisigii Vorles. p. 446 et Zeitschr. f. d. Alterth. 1837. No. 69 sq. Ceterum iis, qui illam formulam nisi adsumptis simul ceteris eiusdem formis, ut *non modo — sed* etc., recte perspici negent, minime oppugnabo, modo concedant, earum usum aut ex generalibus iisdem aut certe hinc facile derivandis legibus aptum esse, quod nunc persequi non licet. Addam tamen, ne quid argutius dixisse videar, locos quosdam eademque lege compositos. Fin. I, 7, 24: *non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates.* Off. I, 19, 62: *non modo enim id virtutis non est, sed est potius immanitatis.* Contra de senect. 6, 17, ubi vulgatur: *quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet*, complures codd. recte *non* ante *orbari* omittunt. Ex altero genere, quo utrique membro unum verbum subiicitur, est I Verr. I, 1: *non modo Romae, sed et apud exteras nationes ... percrebuit.*

EXCURSUS XIX.

De centuriis.

Ad II, 22: *LXXXVIIII* etc.

Cod. 1 manu *VIIII centurias, tot enim reliquae sunt.* Secunda manus *LXXXVIIII centurias habeat: quibus ex cent. quattor centuriis* (*tot enim* etc.) Hunc interpolatum et subobscurum in codice locum ill. Niebuhrius dum Romae esset, rogante me, declarare pro sua excellenti doctrina tentaverat. Exin in Germaniam reversus eadem denuo de re cum popularibus suis doctissime disputavit; et mirum quot eruditorum hominum disceptationibus hinc ansa oborta est. Quia tamen careo postremis *ill.* Niebuhrii lucubrationibus, cogor priores eius curas invitus praetermittere, ne forte quicquam absque eius definita manifestaque mihi voluntate in occupata ab eo sede collocem. MAIVS ed. alt. Neque postquam Niebuhrii sententia tam multiplici examini a tot tantisque viris doctissimis subiecta est, opus nunc eam hic repetere videtur. Neque in animo est, totum hunc locum, qui ad discriptionem populi Romani a S. Tullio in classes centuriasque factam spectat, post vana eius ad pristinam formam redintegrandi pericula virorum tam eruditione quam acumine eminentissimorum denuo tractare. Etenim quum vana omnia ista tentamina dico, hoc ne arrogantius dixisse arguar, non alio sensu acceptum volo quam quod nullam adhuc ab ullo sententiam propositam novi, in qua refugendis Tullii verbis non vis facta esset, quae *in subsequentis* redintegratoris reprehensionem rursus incidisset, ita ut, Cicero quid re vera scripserit, ad hunc ipsum diem adhuc incompertum habeamus. In hac loci controversia, novis subsidiis non inventis numquam fortasse dirimenda, quum praesertim fuissent, qui Tullium scilicet restituturi, operis suscepti confidentiam nomine probabilitatis, qua commenta quisque sua in medium proferre sibi videretur, excusare studerent, ego si hunc lapidem iterum volvere instituerem, ne Ixionis aerumnas inutiliter subirem veritus, tutissimum duxi, manus 2 scripturam prima omnium iudicio integriorem exhibere, atque notatione earum lectionum adstruere, quae ad sanandum locum excogitatae essent. In quo tamen negotio, ne acta iterum agerem, ex re visum omnia ea commenta omittere, quae vel iam a prioribus editoribus vel ab aliis qui hoc argumentum tractarunt, subinde notata scirem. Itaque quo minus superioris aetatis ea de re scriptores et quae recentiore tempore VV. DD. commenti sunt, percenserem, otium mihi fecerunt Moserus, qui quae usque ad A. 1826 excogitata sunt Excursu p. 517 comprehendit omnia, diligenterque exposuit, tum Orellius, qui ceterarum sententiarum censurae novam ipse addidit, haud probabiliorem, item Huschkius Verf. des S. Tullius c. 1 et p. 701, cuius de correctione loci v. Reinium Zeitschr. f. d. Alterth. 1839. p. 433, denique Goettlingius Röm. Staatsv. p. 500, tum in sua ipsius

sententia iam olim proposita denuo stabilienda, tum in aliorum de hoc loco restituendo placitis refutandis occupatus. Postremo consulendus est, qui diligenter singulas sententias enarravit Kobbius in Iahnii Jahrb. Suppl. T. VII. p. 587 sq. Quae omnia expendere atque diiudicare quum aliorum acumini relinquere me malle dixerim, consistendum mihi visum in brevi eorum scriptorum enarratione, quorum commenta a censoribus laudatis omissa meminerim.

Animadversiones quaedam de numero centuriarum a Servio Tullio, rege Romanorum sexto, institutarum auctore H. Zachariae. Gottingae 1831. Huius disputationis summa, quam excerptam exhibeo ex Iahnii Jahrb. T. III. p. 108, haec est: servata m. 2 scriptura tenendum esse 193 centuriarum numerum, revocandumque esse *certamine*, quod quum semel in *centuriae* mutatum esset, ansam dedisset insuper malae correctionis *LXXXVIIII* pro *LXXXVII*, *CVI* pro *CIV* et *X* pro *VIII*.

Hüllmanni sententiam post alios docte impugnat Anonymus in Allg. Schulzeit. 1833. No 122. p. 975 sq.

Ad iudicandam Petri explicationem, propositam Zeitschr. f. d. Alterth. 1838. No. 76. p. 619, conferenda sunt tum quae ipse posthac ad stabiliendam eam attulit ibid. 1839. No. 18, tum quae contra disputavit Reinius ibid. p. 433. Rem idem Peter posthac denuo tractavit in censura Zumptianae sententiae, Iahn. Jahrb. Vol. XXIX. p. 201, et in libro suo: Die Epochen der Verfassungsgeschichte der römischen Republik, 1841; quibus recte iudicandis adhibendus Censor eius, Bröcker, in Ephem. litt. Ien. 1843. No. 199. p. 807, qui suam de toto loco Tulliano et ipse explicate exposuit sententiam p. 803 sq. Postremo ea de re iterum verba fecit Peter Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. No. 133.

Eodem quo Goettlingius anno rem tractaverat Rud. de Raumer De censu Servii Tullii, Erlangae 1840, postquam probare studuit, unice genuinam esse scripturam loci a m. 2 exhibitam, ostendit, in ipsa quidem demonstranda Ciceronem errasse, in verbis vero ipsis a Cicerone positis nullum inesse errorem, quandoquidem tum singulae res traditae veritati consentaneae esse videantur, tum numeri egregie secum consentiant: quod posterius auctoris verbis declarandum p. 22: „Primum igitur, inquit, e nostro loco apparet, Ciceronem 89 + 104, i. e. 193 centurias numerasse. Deinde illud negari nullo modo potest, Ciceronem primae classi cum tignariorum centuria equitibusque universis centurias tribuisse 89. Haec memoria tenentes caeteros quoque loci nostri numeros explicare possumus. Nam si 193 centuriis subtrahis 89, remanent 104, et si e 104 illis centuriis remanentibus octo solae accesserunt octoginta novem centuriis primae classis equitumque, effecerunt centurias 8 + 89 = 97. Sin vero octo illas centurias, quae e 104 centuriis transierunt ad 89 primae classis, detrahis 104 centuriis caete-

rarum classium, remanentes habes centurias 96. Atque haec est, quam Cicero dicit reliquam multitudinem sex et nonaginta centuriarum. Postquam accesserunt primae classi octo illae centuriae, omnes cives hunc in modum sunt distributi. Altera in parte numerantur:

1, Prima classis cum tignariis et equitibus		89
2, Octo centuriae e caeteris classibus		8
	Summa	97
Alteram partem efficiunt centuriae		104
e quibus transierunt ad primam cl.		8
	rest.	96

Quum vero 97 centuriae uno suffragio plus valeant quam 96, *intelliges*, cur Cicero eas universam populi vim confecisse dicat." Huic viri acutissimi sententiae eo lubentius subscribo, quo tutius hoc certe modo datum sit m. 2 scripturam admittere integram, quod in hac placitorum discrepantia tutissimum esse iam supra significavi. Neque nostrum nunc esse potest disquirere, verene illud quod de Ciceronis errore sumitur, habeat nec ne, vel si erravit, error unde ortus sit, quod Raumerus ostendere studet. Qua de re penes alios iudicium esto: tu interim confer quae de Raumeri sententia admonuit Reinius in Ztschr. f. d. Alterth. 1840. No 157, et quae ipse Raumerus posthac attulit ibid. 1842. p. 519.

Anno post in panegyri philologorum Bonnae habita Fr. Ritterus hanc sustinere studuit sententiam suam: errorem *calculi in* centuriarum numeris a Cicerone scriptis inesse, nullo neque explicandi neque corrigendi modo tollendum; cui oblecuti sunt ex audientium coetu plures. V. Verhandl. p. 64 sq. Integra Ritteri disputatio posthac Nov. Mus. Rhen. I. p. 575 sq. inserta legitur.

Ritterum excepit Theod. Mommsenius Römische Tribus p. 61 sq., qui postquam demonstratum ivit, explicationem Petri in iis, quae in servata m. 2 scriptura nitantur, omnium videri esse maxime probabilem, licet et ipsam vel propterea reiiciendam, quod quum eodem orationis tenore Cicero de centuriarum constitutione et Serviana et aetatis suae locutus censeatur, ea temporum rerumque confusio ex ipsa contextus ratione non percipienda a scriptoris elegantia maximoque perspicuitatis studio utique aliena sit, ipse, locum correctione non adhibita neque secum neque cum Livio et Dionysio in concordiam adduci posse ratus, hoc modo suspicatus est Tullium olim scripsisse: *Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum VI suffragiis et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXX[X]VIIII centurias habeat, quibus, [cum X]CIV centuriis — tot enim reliquae sunt — [II] solae accesserunt, confecta est vis populi universa reliquaque multo maior multitudo VI et XC centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis ne esset periculosum.*

Mommsenio brevi post successit Rubino, qui non potuit non hoc de loco hic illic verba facere, quum Commentatione singulari de ratione sex suffragiorum equitum ageret, Zeitschr. f. d. Alterth. 1846. No. 27 sq.

EXCURSUS XX.

De perfecti activi terminatione in *ere*.

Ad VI, 18: *aperuerunt.*

Sic Favonius Eulogius, T. B. Vi. [Herb.] *Aperuere* Ceteri: sed haec forma apud Cic. ab optimis quibusque Codd. fere respuitur. Orellivs. Cf. eundem T. IV, 1. p. 575. Illud etiam suppeditant Dresd. 1. Os. Goth. Vind. 1. 2. (hic *app.*) 3. Darm. MSS. Klein. et, teste Mosero, qui tamen vulgatum *aperuere* retinet, MS. ap. Verb. et Asc. 1. Arn. *apparuerunt*. V. ad c. 14 *evolaverunt*. Vavassor Antibarb. p. 585 ed. Kapp. Neque ego breviorem formam memini in palimpsesto ullo legere. Gravius ipsius Ciceronis testimonium Orat. 47, 157 dicentis, Ennianum illud *scripsere alii rem* reprehendere se quidem nolle, etsi *scripserunt* verius esse sentiat: quod magistri sui praeceptum sequendum putavit Quintilianus I, 5, 44, quid discriminis omnino sit, verissime paullo ante §. 42 professus, videlicet antiquam spissiorem formam evitandae asperitatis gratia emollitam esse. Quod suspicari licet a poetis primum factum esse, quorum exemplum secuti posteriores deinde, prout ratio ferebat vel metrum postulabat, promiscue adhibuerunt. Ac sine ullo sensus discrimine Ennium iam utraque forma usum esse, docet comparatio horum locorum. Supra I, 41:

qualem te patriae custodem Di genuerunt

et p. 14 Hess.

quam primum Casci populi genuere Latini.

Item p. 221 ex Aiace:

qui res cum Achivis gesserunt statim

et p. 202 ex Medea:

nam multi suam rem bene gessere.

Adde ex Andromache p. 241:

nam ubi introducta est puerumque ut laverunt, collocant in clypeo

et p. 261 ex Cresphonte:

neque miserae lavere lacrumae salsum sanguinem.

Praeterea apud eundem poetam haec brevioris formae exempla notavi: *scripsere* p. 7. *flexere* p. 59. *peperere* p. 118 et 168. *voluere* p. 148. *tractavere* p. 231. *constitere* p. 168, confirmatum vetere cod. Paris. a Leone Renier in Revue de philologie T. I. p. 89 laudato; *constituere* p. 326. *Eripuere* p. 149, ut dubium, sciens omitto. Rarior eius formae usus apud dramaticos. Plaut. Amph. I, 1, 61 *pertulere*. Pseud I, 2, 66 *devinxere*. IV, 1, 1

voluere, uno vero post versu *genuerunt* Bothius ex MSS. recte revocavit. Naevius Danae ap. Both. p. 84 *videre*. Attius Andromeda p. 171 Both. *auxere*. Inc. ap. Cic. Tusc. III, 12 *refugere* et *peredere*. Apud Terentium unum novi exemplum, Andr. III, 3, 1 *adiere* a Bothio exhibitum, invitis metro et MSS., ut olim adnotavit Bentleius. Utraque forma Lucretius nulla sensus ratione habita usus est, quod nolo singulis locis persequi. Quemadmodum in his poetarum locis promiscuus utriusque formae usus est, ita certum est, abhorruisse antiquiore illa aetate eum a consuetudine orationis prosae scriptorum, quod testatur Cato de R. R., in cuius libelli exemplaribus, quae nunc exstant, brevioris formae exemplum indubium nullum legitur: nam tribus locis, quibus illa perfecti pluralis forma reperitur, *habuerunt* et *posiverunt* in Praef. et *monstraverunt* c. 152, uno tantum loco varians lectio *habuere* adnotatur. Atque hanc ipsam ob caussam Cicero quum ex antiquioribus exemplum decurtatae formae laudaret, id ex poeta Ennio sumpsit. Veruntamen non diffitendum, vulgi sermoni eius formae usum sese admiscuisse, sed ita ut altera non excluderetur: cuius consuetudinis exemplum est SC. de Bacchanalibus, in quo CENSVERE quaternis locis, CONSOLVERVNT semel legitur, hoc vero intra continuam orationem, illud in exitu sententiae; quod si casu factum non est, id sane discriminis rationem iustam ostendere potest, quandoquidem perfecti syllaba ultima in extremo orationis membro collocata huius ipsius sedis ratione debilitata, pleno vix sono suo *audiebatur*, ita ut ista determinatio in *ere* speciem compendiosae fere scripturae prae se ferre videatur. Eiusdemque conditionis alterum est exemplum FECERE in Tabula hospitalitia satis antiqua aenea, a Mommsenio edita in Gerhardii Archaeol. Zeitg. 1846. No 45. p. 330.

Haec omnia pluribus persecutus sum ut demonstrem, non sine caussa dubitari posse de sententia eorum, qui nuper statuerunt, utramque formam ita inter se differre, ut ubi praesens actionis perfectae significaretur, longior scripta esset. Quam legem in Vergilio Wagnerus, quem vide T. V. p. 464, in Tacito Haasius Zeitschr. f. d. Alterth. 1836. p. 673. sibi observasse videntur. At mirum profecto fuerit, terminationi vim quandam illatam esse, cuius ratio ex ipsa non perspiceretur. Praeterea, quum antiqui eam differentiam ignorarint, quemnam eam legem, qua iam Vergilium usum narrant, dicamus invenisse? num Vergilium, quem elocutionem magis ad priorum poetarum exemplum conformasse quam novas dicendi rationes subtiliter excogitasse novimus? Quid? quod concedendum fuit, reperiri locos, quibus uterque scriptor ab ista lege recesserint. Accedit quod Quintilianus istud discrimen plane ignorasse videtur, quod si a Vergilio inde usu vulgari receptum fuit, atque hoc ut statuamus ideo necesse est, quod non solum Vergilium illud adhi-

buisse contendunt, ignorare ille non potuit. Etenim quum Fabius l. l. fuisse tradit, qui breviore forma Graecorum dualem significari voluissent, id revera factum fuisse vix credibile videtur, si eius formae alia iam vis fuit; neque Quintilianus istorum commentum tot verbis refutaturus esset, quum ei rem brevius profligare licuisset, h. e. advocando legem illam, qua decurtatae formae sua vis et notio iamiam adsignata esset. Nihil vero horum agit, sed quae brevioris formae origo fuerit, tribus verbis ut in re tralatitia et verissime explicat. Adnotare lubet, ex Quintiliani §. 44 egregie firmari, quod apud Livium I, 12, 1 *subiere*, invito Gebhardo, qui *subire* legi iubebat, Drakenborchius reposuit. Perfectum enim se legisse Fabius testatur. — Sed revertamur ad Ciceronem, cuius de usu Zumptius ad Verr. I, 6, 15 ita statuit, ex innumeris locis, quibus pro breviore forma unus alterque codex vel omnino plurimi alteram non offerant, paucos hos relinqui, *fuere* in Pis. 40, 96 et Ep. IX, 21; *suscepere* ctra Rull. I, 4, ubi tamen vereor ne librarii hanc formam scribentis oculi ad *suscipere*, quod paullo ante legitur, aberrarint, quum praesertim in eadem periodo habeatur *noluerunt*: ac pro *suscepere* revera Ven. *suscipere*. *Successere* de legg. I, 2, 6. His tamen adde Ep. ad Att. IX, 6, 3: *qui fuerunt cum eo . . . ex ea die fuere septemtriones venti*. X, 14, 1 *omnia fuere*. Ad Herenn. IV, 25, 34: *Spartiatas superavere Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui . . . adiunxerunt Asiam bello subactam*. Afferuntur vero haec verba in gradationis exemplis, ab ipso auctore (si modo Cicero est) fortasse non scriptis. Ep. ad fam. X, 19, 2: *Cuius maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere*. Ad Att. IV, 8: *non quaero, male si se gessere*, sed ita de coniectura in desperato hoc loco ap. Orell. vulgatum. De div. II, 58, 119: *Abstinuere*, ubi Orell. *abstinere*. Iam si exiguum hunc locorum numerum (quod dixit *duxere* Aratum vertens de div. I, 9, 15 non moror) cum innumeris alterius formae exemplis contenderis, vix aliter cum Orellio, Zumptio statuere poteris, quam istos paucos locos in vitiosis referre. Si quis tamen hoc severius agi putet, concedam eam formam ferri posse in genere dicendi epistolari, quippe quod propius ad sermonem vulgarem accedat, a quo mollioris et brevioris formae usus minime abhorret.

De aliorum quorundam scriptorum usu pauca addam. Cum Ciceronis usu Caesar ita convenit, ut apud hunc brevior forma binis tantum locis, B. G. IV, 27, 7 et VI, 8, 8 et in his quidem sine lectionis varietate reperiatur. Contra in Sallustio eius exempla numero alterum genus longe superant: nam in contextu quidem Gerlachiano antiquae formae circiter septemdecim tantum exempla numerantur, neque ea a dubitatione tuta omnia, veluti Iug. 58, 3 ubi duo Codd., sed non vetustissimi, *quivere*; contra ex altero genere numeravi plus centum quinquaginta, fluctuante in paucis scriptura, veluti Iug. 114, 2 vel Cat. 2, 7, ubi codex

quidam Gerlachio notatus T. III. p. 369 *transierunt*. In Velleio Murbacensi sine ulla discriminis ratione utriusque formae exempla numero fere aequali exhibentur: in quo scriptore frequentem novitiae formae usum haud magis quam in Livio demiror; quantum autem ad Sallustium, non ita facile mihi persuadeo ut incorruptum hac in parte contextum credam, quum praesertim ex codd. non valde vetustis eum constitutum esse constet.

EXCURSUS XXI.

De littera *s* muta in fine verborum.

Ad Fragm. inc. 11. — *nemo civis neque hostis.*

Cur in hoc versu Ennii invitis Edd., qui de consuetudine vulgo recepta *civi'* exhibuerunt, *civis* integrum reliquerim, ratio mihi reddenda est. Constat quidem, syllabam brevem in *s* desinentem poetas antiquos metro ita adhibuisse ut cum consonante sequentis vocis positionem non faceret: minus vero in hoc consonantium concursu utrum positio abiiciendo per ecthlipsin ipsam litterae *s* vitata, an scripta *s* pronuntiando occultata fuerit. Utram viam in scribenda illa voce *civis* sequerer, circumspicienti mihi potius visum est, integram exhibere, quod in alio, sed quam maxime affini dicendi genere, qualis est scriptio syllabarum finalium in *m* cadentium, per omnes Latini sermonis aetates factum memini. Nam quod in monumentis inscriptis *littera m* fine verborum passim subducitur, id vulgari de usu minime factum et certas habet caussas, in quibus primarium locum spatii angustiae obtinent. Exempla dabit Sylloge nostra p. 273. 380. 494. 537. 580. Neque potest non ex eadem vel simili caussa elisio litt. *s* finalis in admodum paucis prosae orationis monumentis obvia repeti, quorum exempla dedit Schneiderus Gramm. Lat. T. I. p. 351. Praeterea si in eodem loco Enniano, qui hanc disputandi ansam dedit, *operae*, quamvis duabus syllabis pronuntiandum, recte plenis litteris scriptum exhibuimus, quid est quod similem scripturam syllabarum finalium in *s* desinentium reformidemus? Eadem scribendi ratio apud Graecos in vocali brevi de more vulgari elidenda: quod non solum in ΑΕ exarando frequenter factum, sed etiam in aliis vocibus observare licet, veluti in ΠΡΟΣΘΕ ΑΙΔΗΣ (προσθ' Ἀΐδης), quod exhibet inscriptio Telia in Rossii Hellen. T. I. p. 66. Atqui revera exstat in epigrammate ap. Grut. p. 1050, 1 (Burm. Anthol. Lat. T. II. p. 2) hic hexameter:

AVLVS PALATEINA EGNATIVS PRISCILIANVS,

cui insolentiae excusandae non video quicquam conferri ab usu nominum propriorum, quod statuit Iulius Quiceratus in Biblioth. des chartes T. I. p. 61, quoniam nulla caussa perspicitur, quadratarius, siquidem *s* abiicere licebat, eam litteram cur non abiecerit.

Nolo addere alterum exemplum ap. Grut. p. 903, 1, ubi quum olim vulgaretur,

Si lutus, si pulvis tardat te forte viator,

Burmannus l. l. p. 6 reposuit *si lutus aut pulvis*, Maffeio Mus. Veron. p. 171 obtemperans, quippe in marmore id legi affirmanti: neque volo urgere, quod in eodem epigrammate hic pentameter exstat

VT REQVIETVS QVEAS DICERE SAEPE TVIS,

ubi Burm. *requietu'*; potest enim *queas* per synicesin contrahi. Sed ad omnem scrupulum eximendum firmius dabo exemplum ex Syllog. inscr. p. 458. No. CXC:

VT · SINTQVI · CINERES · NOSTROS BENEFLORIBVS SERTIS

Postremo sententiae nostrae codicum auctoritas praesidio est, in quibus eiusmodi voces integris litteris scribi solent. His igitur argumentis adductus sum ut antiquos poetas credam illam litteram scripsisse, sed pronuntiatione occultasse, id quod etiam sensisse video Forbigerum ad Lucret. I, 169, etsi is abiiciendo eam apostrophumque addendo, ut vulgo fit, faciliori lectioni inserviendum esse putarit. Atqui iam Schneiderus, qui totum hunc locum diligentissime examinavit*), Gr. Lat. T. I. p. 349 caute monuerat: „Aber ob ein solches *s* bloss im Sprechen oder auch in der Schrift ausgefallen sei, bleibt dahin gestellt, und der Apostrophus geschieht für diesen Fall bei den alten Grammatikern nirgend Erwähnung.“ Sed contrarii usus duo novi exempla hic non tacenda, in lapidibus servata apud Grut. p. 654, 5 et p. 1118, 6, quorum ille fert

SET MAGI LASCIVOS SVABIS BACCHOQVE MADERE:

quod epigramma valde recentis aetatis esse, quum ex aliis eius aevi idiomatis, quae in eo insunt, tum ex litt. *b* pro *v* in *suabis* posita, quod usu vulgari non ante saeculum secundum receptum fuisse olim demonstravi, cognoscitur. Alter titulus sic compositus:

NARDV
POETA
PVDENS
HOC
TEGITVR
TVMVLO

Non dixerim proper spatii angustias S omissum, etsi hoc factum esse possit: sed poetam memoratum, L. Valerium Pudentem Nardum, Martialis aetate floruisse, quod olim ostendi**), id ap-

*) Cf. Schmidt Diss. de Lucilii libro IX. p. 40, quem libellum inspicere nunc non licet.

**) Jahn Jahrb. 1828 VIII. p. 65 sq. Calculo suo plane comprobavit Weichertus Poet. Lat. reliq. p. 253, item Baehrius Hist. litt. Rom. T. I. p. 512.

prime huc facit, quandoquidem illud exemplum iam patet ea tempora attingere, quibus quum ea consuetudo usu vulgari dudum excidisset, quod infra demonstrabimus, nihil mirum antiquum scribendi morem relictum esse. Itaque non tanti ponderis exempla ista duo esse videntur, ut quae de antiquorum usu diximus iis infringantur. Immo ficta non esse quae de mutata posthac scribendi ratione statuimus, luculenter docet Quintiliani locus, qui in obscurissimis est, facile tamen quantum ad sensum generalem expediendus, si solam orthographiam spectasse magistrum mihi concedas: id quod ex verbis accurate expensis utique colligitur. Etenim is IX, 4, 37, ubi de rixa consonantium praesertim asperiorum in commissura verborum, veluti si *x* et *s* collidantur, utcunque vitanda verba facit, his pergit: „Quae *fuit* causa et Servio *) (ut dixi) subtrahendae *s* litterae, quoties ultima esset, aliaque consonante susciperetur: quod reprehendit Lauranius **), Messala defendit. Nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit *serenus fuit* et *dignus locoque*, et Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos.“ Omitto quae continuo apponit locutionum exempla, ut quarum scriptura admodum dubia et incerta sit ***). Omnia vero quae hic afferuntur, eo consilio afferri, ut litteram ingratam scribere quidem, sed pronuntiando emollire antiquis in more fuisse ostendatur, docent aperte quae subiunguntur: „ Atqui eadem illa littera, quoties ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur: ut *multum ille*, et *quantum erat:* adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.“ †) Ex quo loco, ut summam comprehendamus, certo

*) Quaeritur quis Servius: an forte Servius Clodius grammaticus? Hoc certe ad aetatem hominis non male, siquidem Messala, qui quum alia, tum etiam de littera *S* temporibus Caesaris et Augusti scripsit (v. Spald. ad Quintil. I, 5, 25), ille prior fuit. Certi tamen nihil decerno, quum praesertim illud ipsum nomen a dubitatione tutum non sit. Praeterea et verba *ut dixi*, ut quae quo referantur nihil habeant, in suspectis sunt.

**) Adhuc non piguit coniecturae meae ad Apul. Orthogr. p. 28 propositae *Turranius* (sive *Turanius*), cui quam ipse tum opposui Tortellii de orthographia auctoritatem, Luranium grammaticum aliquo loco laudantis, eam nunc video eiusdem grammatici testimonio infringi, qui ubi Quintiliani locum affert, *Iuranius* scribit. De Turannio ipso, quem Messalae aetate certe supparem fuisse ex Fabii loco colligi posse videtur, nunc non quaeram.

***) De Catonis loco restituendo confer interim quae commentus sum Syllog. inscr. p. 580.

†) Et Quintiliano, et Cicerone, cuius locus exstat Or. 48, 161, abusus est Iäckelius in Iahnii Jahrb. Vol. XIII. p. 25, demonstraturus antiquiores *s* revera abiecisse, eo deceptus, quod Ciceronem de scribendi ratione agere arbitraretur, quem pronuntiationem utique spectare,

colligitur, tametsi fuissent, qui iam Augusti fere aetate litteram *s* abiiciendam esse censuissent, quippe ignorantia usus antiquorum in errorem adducti, tamen hanc scribendi consuetudinem ad ipsius Fabii aetatem ita in usu mansisse, ut poetae si modo hac ratione loquendi usuri essent, quod utique raro factum videtur, promiscuo usu eam adhiberent.

Haec sufficere possunt ad propositum. Lubet tamen quaedam ad absolvendum totum hunc locum grammaticum addere, et primum quidem de tempore, ad quod usque litteram *s* supprimendi usus ille fere duraverit. Quodsi iam Schneiderus l. l. p. 347 statuit ab Augusti inde aetate eum prorsus obsolevisse, id secus habere ex supra positis iam patet. Etenim tametsi post Lucilii, Lucretii tempora poetae raro eam dicendi consuetudinem in subsidium vocarunt, si quidem Vergilius ea plane abstinuit, Cicero in Arateis raro*), Catullus semel usi sint, tamen non mirum videri debet, si qui antiqui robiginis amatores forte essent, eos obsoleto isto fuco carmina sua ornasse, vel potius onerasse: qualis est auctor carminis de figuris in lucem primum a Quicerato editi, Augusti aetate, teste Schneidewino p. XVII saltim posterior, qui saepius ea elisione usus est, v. Schneidew. p. XIV. Atque etiam inferiore aetate fuisse, qui id dicendi genus non aspernarentur, quum epigrammata illa supra laudata ostendunt, tum Martialis testatur XI, 40, ubi Chrestillam harum deliciarum amatricem explodit.

Consulto initio dixi in brevi tantum syllaba *s* abiici solitum esse: quod quum olim iam Bentleius Sched. Ter. p. XVI ed. Lips. et ad Hor. Ep. ad Pis. 65 statuisset, unicum adhuc repertum est exemplum syllabae longae in versu Ennii Annal. l. apud Festum v. *sas:*

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas,

quod pronuntiando *virgnes* O. Mülleri de sententia, iam a Schneidero l. l. p. 349 occupata, profligari posse etsi luc. Beckerum

---

totus locus recte expensus ostendit. „Quin etiam, inquit, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae [haec verba non integra sunt], quae sunt in *optimus*, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. Ita enim loquebamur: *Qui est omnibu' princeps*, non *omnibus princeps*, et *Vita illa dignu' locoque*, non *dignus*. Quodsi indocta consuetudo tam est artifex suavitatis, quid ab ipsa tandem arte et doctrina postulari putamus?" Illa igitur litterae detractio, quam suavitatis caussa factam dicit, voce, non scriptura, efficiebatur. Illud iam quod subrusticum appellat, non ad rem ipsam spectat, sed ad eius usum, quem novi poetae fugissent.

*) Constat Tullium in hoc carmine elocutionem omnino antiquorum poetarum generi dicendi accommodasse, sive imitandi studio, sive vetustatis affectatione. Quo v. c. referenda Genitivi forma *nepai*, *eius* monosyllabum De N. D. II, 42, 119, et alia.

Zeitschr. f. d. Alterth. 1842. No. 107. p. 855 minime fugerit, hic tamen illud eo aegrius sibi eripi tulit, quo certius alterum reperisse sibi idem visus est, atque in Lucilio quidem suo apud Nonium v. *tenta:*

hic ubi concessum, pellesque ut in ordine tentae,

ubi tum propter codd. auctoritatem, *ordines* praestantium, tum propter sensum *ordine'* legendum sit. Frustra. *In ordine* est deinceps, veluti ap. Verg. Aen. VIII, 629 *pugnataque in ordine bella.* Neque incommodi quicquam phrasis *pelles in ordine tendere* habet, si quidem idem poeta dixit Eclog. VII, 20: *illos referebat in ordine Thyrsis.*

Similem errorem eorum idem Bentleius, l. l. et ad Ter. Hec. *I, 2,* 9. V, 1, 40. et ante eum ipso Cicerone Orat. 48 duce Columna ad Ennium p. 8 iam olim exagitavit, qui censerent, elisionem finalis *s* etiam sequente vocali admissam esse: quod factum putarunt ubi elisae litterae *s* subsequeretur *est*, ita ut scriberent v. c. *satiu 'st.* Recte vero demonstravit Bentleius, quemadmodum *palamst, necessumst* exararetur, ita *consimilist*, resecta vocali *e* ab *est*, de qua forma v. Excurs. XVII, exarandum esse: quam scribendi rationem Bentleius in Terentio suo constanter praestitit, veluti exhibendo *satiust* Andr. II, 1, 7. De usu in prosa oratione v. ad I, 15. p. 59. Si qua erant *s* ante vocalem elisae exempla, ea nunc, postulante vel ipsorum codicum auctoritate, de medio sublata sunt, veluti quod apud Ennium p. 76 Hess. vulgabatur

contentus, scitu' atque beatu', secunda loquens in,

qui versus quum multis nominibus per se suspectus fuit, nunc apud Spangenb. p. 109 correctior legitur. Praeterea nota, quemadmodum *est* per apocopen in *st* abit, ita etiam *es*, ubi sine vi est, mutatur in *s*, ita ut v. c. ex *bonus es* evadat *bonus*, (v. Bentl. ad Ter. Adelph. V, 9, 4 et Schneider. l. c. p. 163) vel potius in *bonus* contrahatur, ab adiectivo puro nihilo quam extremae syllabae productione diversum, id quod si non in oculorum, in aurium certe sensum incidebat. Eadem de caussa non ferenda scriptura versus Luciliani apud Martialem XI, 90, 4 ed. Schneidew.

Luceilei columella heic situ' Metrophanes 'st;

nam ut aures Latinae *sst* respuebant, ita etiam peius est *Metrophan' est*, vel *Metrophane' est*, ut in quibusdam libris est. Cf. Schneider l. l. p. 348. Rei videbitur satisfactum, si *est* ut ex margine illatum statuerimus, quae medicina eo probabilior est, quo suspectius id ipsum iam ob variam eius sedem in codicibus esse debet, quorum plurimi post *situs* inserunt; adde quod in aliis atque etiam in Donato ad Ter. Phorm. II, 1, 57 omititur, ita ut genuina lectio *heic situ' Metrophanes* iam satis firmata videatur.

Poetarum, qui elisione illa usi essent, aetate ultimus fortasse fuit auctor carminis heroici de figuris vel schematibus in lucem primum a Quicerato protracti, apud quem eius usus duo-

dena exempla Schneidewinus numeravit p. XIV; quae si uno excepto penultimam versus sedem occupant omnia, notante eodem Schneidewino, posita ea potius ex commodo poetae dicas, quam ad normam antiquorum poetarum, quorum certe Ennius in sede optanda non admodum sollicitus fuit, siquidem scripsit p. 8. ed. Hess.

versibu' quos olim Fauni vatesque canebant

p. 11 . . . . . .

atque Anchises doctu' Venus quem pulcra dearum

p. 16

endo tuetur ubei lupu' foemina conspicit amneis

p. 58

bellipotenteis sunt magi' quam sapienti potenteis

p. 62

dono ducite, doque volentibu' com magneis diis

p. 63

iniicit irritatu', tenent, occasu' iuvat res

p. 68 . . . . . .

fraxinu' frangitur, atque abies consternitur alta

p. 77

in somneis vidit priu' quam sam discere coepit

p. 105 . . . . . .

navibu' velivoleis, magno clamore bovantes

p. 107 . . .

ostendat nobeis, si vivimu' sive morimur

p. 111 . . . . .

primu' senex Bradyn, regimen bellique peritus

p. 119 . . . . . .

interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursu

p. 120 . . . . . .

Hispane, non Romane memoreti' loqui me

p. 109 ed. Spangenb.

ut faceret facinus levis aut malu'; doctu' fidelis,
suavis homo, facundu', suo contentu', beatus,
scitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum.

Q. Catulus Gellii XIX, 9:

Ibimu' quaesitum. Verum ne ipsi teneamur.

Inscriptio Ardeas perantiqua apud Plin. N. H. XXXV, 10, 37. p. 159. Sill.

Reginae Iunoni' supremi coniugi' templum
*Plautiu' Marcus Cleoetas Alalia exoriundus**).

---

*) Neque haec lectio a Silligio nunc recepta placet, neque satisfaciunt quae alii de vexatissimo hoc versu commenti sunt: quod singulatim persequi hic non licet. Dicam breviter quod sentio. Mihi quidem non de nihilo esse videtur, quod in Monac. scriptum exstat ... *cletas ialata praeneste oriundus.* Unde enim Praenestis urbis allatam dicamus mentionem? Huic igitur patriae nomini inhaerentibus, siquidem quae prae-

Lucullus, ni mavis mecum Lucilius, apud Cic. Ep. ad Att. XIII, 21:

Sustineat currum, ut bonu' saepe agitator, equosque.

Atque in pentametris exstat *s* elisum in prima alterius hemistichii sede, veluti apud Aedituum Gellii l. l.

aut imber coelo candidu' praecipitans,

et Ennium p. 161 Hess.

facsit. quur? volito vivo' per ora virum.

Sed haec hactenus.

EXCURSUS XXII.

Excerpta ex altera editione librorum de rep.

Ab Ang. Maio curata.

Quae ex adnotatione Maii altera in editionem meam transumere visum, suo quaeque loco inserenda curavi*). Superest ut ceterorum additamentorum mentionem faciam, quae ex repetita editoris cura in reliquas eius operis partes, in Praefationem, in Prosopographiam, denique in Indices redundarunt. Haec vero spectant tum ad emendandam elocutionem editoris, tum ad res tractatas vel retractandas vel etiam amplificandas: quorum illa salva re omitti posse ratus omisi; haec ne quid autem desiderari videretur, integra in sequentibus apposui, admodum paucis quae notatu haud digna videbantur resectis.

IV. p. XII ed. Stuttg. in not. 10 post *adolescens* inseruntur: „Praeterea, ut cl. Moserus adnotat ad Cic. de rep. p. 67 *Cicero adulescentulum* se dixit anno aetatis XXVII (orator. XXX); *adulescentem* autem anno consulatus sui, aetatis XLIV (philipp. II, 46). Sed notabilis est hac super re Diodori locus in excerptis vaticanis p. 32, ubi pythagorii dicuntur divisisse humanam aetatem in tempora quatuor *παιδὸς*, *νέου*, *νεανίσκου*, *γέροντος*; ubi vides vocabulum *νεανίσκος adulescens* poni pro virili aetate,

---

cedunt vitiosa elementa ex prava praecedentis nominis Graeci repetitione nata putare licet, sponte exit versus:

Plautiu' Marcus Cleoetas Praeneste oriundus,

in quo prima in *Cleoetas* producitur, videlicet *Κλειοίτας* Graece; quam formam nominis exhibet Epigramma ap. Pausan. VI, 20, 7. Sed ita fateor mihi locum expeditum non videri. Mirum enim Praenestis nomen a ceteris codd. universis abesse. Quid, si dicamus latere in vitiosa codd. scriptura *Plaustis*, *Plautis*, *Plancus*, *plautius*, *Plautus*, ex quo demum *Plautius* effectum est, *Praenestis* nomen, alieno versus loco positum? His si quid tribuendum, ratione simul earum litterarum habita, quae nomen *Cleoetas* excipiunt, atque in Bamberg. *alata* exhibentur, fortasse scribendum:

Marcus Cleoetas alta Praeneste oriundus.

Quod urbi adiecimus cognomen, id ex Verg. Aen. VII, 682 *altum Praeneste*, corroboratur, ubi Servius nomen etiam feminino genere proferri adnotavit.

*) De Procli fragmentis ex Comm. in Plat. Politiam a me omissis, quorum numerum posthac Maius Spicil. T. VII sub calcem auxit, dixi p. 417.

qualis videlicet Ciceronis erat anno consulatus, quo se *adulescentem* nuncupabat. *Νέος* igitur est apud Italos *giovanetto, νεανίσκος giovanetto.*" De Pythagorica illa aetatum divisione similia Ioannes Damasc. ex cod. Flor. vulgatus a Mahnio de Aristoxeno §. 30. p. 103, quem locum ex Diodoro nunc doceor tentandum a me non fuisse Comm. de coelibum ap. vet. populos conditione I. p. 9.

VII. p. XXII. Loco verborum *sane fabulam — videntur* nunc exhibentur haec: „Beatus Rhenanus in comm. ad praefationem hist. Plinii sic ait: *sed spero hunc locum, tametsi nihil obscuri habet post nostram restitutionem, aliquando tamen clariorem futurum, nobilissimo illo Ciceronis opere de re publica in lucem edito: cuius rei tu mihi spem fecisti, inclyte Lasce, qui hos a te libros in regia apud Polonos bibliotheca visos putas*", subiecta hac nota: „Rhenani haec verba indicavit nobis vir doctissimus Iacobus de comitibus Leopardis in sua romanae editionis librorum de rep. recensione. Verumtamen monstra et gerras narravisse Lascum Rhenano, non dubito."

VII. p. XXIII. Notae 1 subiiciuntur: „Sed Barthium haec dixisse, minime credendum est. In catalogo enim bibliothecae fuldensis, (qualis ea erat ante illud bellum) non ita pridem in Germania impresso nulla mentio fit codicis de rep."

VIII. p. XXIII. Sequentia post *Mediolani nunc est* ita nunc exhibentur: „pars alia ingens in regia taurinensi bibliotheca; multo vero minor numerus in vaticanis pluteis servatur: denique bobienses codices, et quidem palimpsesti, Neapoli sunt, Vindobonae et Guelpherbythi; quam rem partim inspectione mea partim certissimis testimoniis compertam habeo. Praedicta vaticani codicis inscriptio etc." Mox post *vulgavit* nunc scribuntur: „Primus bobienses aliquot codices Romam saeculo XV detulit Thomas Phaedrus, quam rem narrat aequalis eius Raphaël volaterranus. (Geogr. lib. IV. sub finem.) Quia vero Phaedrus vaticanae bibliothecae praeses fuit et pontificiarum epistularum scriptor, pronum creditu videbatur, idque sibi docti aliquot persuaserunt, bobienses illos codices in vaticanis pluteis ab eo fuisse collocatos. Verumtamen vel secus accidit, vel ii codices cum reliqua bibliotheca per cladem urbis borbonicam sub Clemente VII direpti corruptive fuerunt. Ii certe bibliothecam Sixti V vaticanam ingressi videntur; quod si accidisset, primas facile sedes occuparent, vel certe in antiquiores syllabos fuissent relati, quod neutrum esse video. Immo ausim adfirmare, nullum plane e bobiensibus mss. libris, quos Volaterranus a Phaedro Romam delatos ait, in vaticana bibliotheca post Clementem certe VII exstitisse. Sed Paulo demum V pontifice, anno MDCXVIII, a bobiensibus monachis ad vaticanam locupletandam bibliothecam missus est codicum certus numerus; cujus donationis rationem omnem accuratius cognoscimus, postquam vir cl. Amadaeus Peyronius

(Comm. bibl. bob. p. XXIV sqq.) Pauli pontificis epistulam ad bobienses monachos, missorumque ab his codicum syllabum evulgavit. Atque hi mss. libri a Paulo excepti, mox ab eius successore Gregorio XV., cuius nunc stemmate ornantur, squalorem bobiensem cum tegumento elegante commutare iussi sunt. Iamvero in praedicto syllabo haud occurrunt s. Augustini commentarii vel sermones in psalmos, sub quo tamen opere latet thesaurus tullianus de rep. appellatur autem praedictus Augustini codex in reliquo bibliothecae bobiensis catalogo p. 3. num. 10. Quare quum Paulus pontifex in suis litteris et gratias agat ob missos codices, et alios, si fieri possit, ad se mitti postulet; sequitur ut hunc pretiosissimum codicem paullo post Romam submissum arbitremur. Codices bobienses aliquot in vaticana *bibliotheca* tractavit vir cl. Faustinus Arevalus e soc. Iesu, eosque in suis prolegomenis isidorianis cap. XCVIII descripsit: in his tamen palimpsestos duos, nempe de rep. et Frontonem videre non potuit, quia materia his superposita non est Isidorus, cuius unice auctoris ille codices conquirebat. Quod autem Arevalus unum ex illis isidorianis rescriptum esse sensit, prioremque scripturam ad sacras litteras pertinere suspicatus est; recte id habet; latet enim in eo bibliorum latinorum pars; praetereaque, quod ille non memorat, folium unicum graecum litteris magnis quadratis, ubi de pomis sermo fit; quod esse Galeni fragmentum ex opere de alimentorum facultatibus, alibi iam demonstravi (Iuris civil. fragm. vat. append. III.). Atque hoc *loco* rem eruditis, ut spero, iucundam non reticebo, nempe quod codicem illum guelpherbytanum, ex quo cl. Knitelius fragmenta Ulphilae gotica eruit, e numero esse bobiensium docuit me per litteras vir ill. Niebuhrius cuius dicto confirmationis per se non indigo mire suffragatur codex hic vaticanus bobiensis, cuius galenianum fragmentum pars est maioris numeri membranarum, quae idem opus in guelpherbytano palimpsesto complectuntur, uti cognosco e Knitelii commentariis p. 253. Galenianae scripturae specimen egomet excudi, cuius formam cum guelpherbytana congruere, non dubito; quamquam id meis oculis non queo cernere, quia Knitelianum exemplar meum caret, nescio quo casu, characterum specimini bus. Sed de re tamen nullus dubito; nam et laterculorum duorum similis ratio est, et in versibus par ferme litterarum numerus, et par omnino versuum in singulis paginis numerus, nempe 18 in libro iudicum, 24 in Iobi minoris formae fragmentis, et reliquum Knitelii de suis membranis iudicium cum meo de vaticanis congruit: praeterquam quod, latent ibi quoque libri latini iudicum atque Iobi, quorum item partes sunt in romano. Utriusque vero codicis posterior scriptura Isidori originum partem continet. Haec obiter de bobiensium codicum fatis. Nunc ad Ciceronis codicem de rep. redeundum est."

XII. p. xxx. Post *membranarum penuriam* adduntur: „Pa-

limpsestum, *δάλτον ἐξηλειμμένην*, memorat etiam divus Chrysostomus ed. maurin. T. VII. p. 729. Aethiopum quoque vaticani aliquot codices deletitiis membranis constant; ita tamen ut antiquior etiam scriptura eiusdem linguae sit." Item mox post verba *legi non potest* „Insuper in vaticana bibliotheca papyrus quaedam phoenicia rescripta apparet: Tum, ut audio, papyri multae aegyptiacae, quae Taurini sunt, ad palimpsestorum numerum pertinent." Versus finem verbis *aut partim obscuratis* p. XXXIII. nota subiicitur: „Ad lacunas palimpsestorum quod attinet considerandа sunt Hieronymi verba epist. XXI, 13: *quando in manus nostras libri venlunt sapientiae saecularis* etc. *siquid in eis superfluum, de idolis, de amore, de cura saecularium rerum; haec radimus, his calvitium inducimus, haec in unguium morem ferro acutissimo desecamus.* (Nisi forte Hieronymus loquitur figurate.) Confer etiam ep. XXII, 29."

XIII. p. XXXIII. Ad *Fronto* in nota Maius adiecit: „Ad M. Caes. III, 3. ed. rom. p. 67." Ibidem post verba *semet defatigaret* inseruit: „Alibi vero apud eundem Plutarchum (de pyth. orac. T. VII. p. 562) commemoratur *καλλιγραφία βασιλική*." Mox p. XXXIIII sequentia nunc ita exhibentur: „cernimus in papyris. Utique id de Graecis nunc demum constat, quorum papyros Ptolemaeorum etiam aetate scriptas inclinatis distortisque litteris uti videmus. Ipse Cicero festinatas rudesque litteras curvasque, ut Hieronymus loquitur (Praef. in comm. ad Abdiam) pinxisse videtur .... *tamquam bono.* (Otiosissimus contra Atticus venustissima scriptura utebatur.) Ad Att. V. epist. ult." Tum paullo post: „quos microscopiis caruisse compertum dicerem, nisi de his satis loqui videretur Seneca quaest. nat. I, 5, 6. Alioquin idem Hieronymus etc." P. XXXV quae leguntur *quo magis miror — sibi persuasit* cum nota 1 nunc omissa sunt. Symmachio mox laudato additur auctoritas Hieronymi Ep. LXXI. P. XXXVI post *recensui* adiicitur *recognovi*, et mox nunc leguntur: „vitiosae metatheses, in codice quidem Ciceronis de rep., item in eiusdem verrinarum rescripto codice, nec non in Frontone, fit emendatio signis ☰ ☲ —; ita ut quae litterae vel quod verbum una linea notatur, ad primam sedem sit transferendum, eodemque ordine reliqua. At in graecis pari ratione emendatio fit litteris γ. β. α. super impositis. Pausae etc."

Prosopographiae p. XLIV in Scipione verbo *Metrodorum* nota subiicitur: „Polybium et Panaetium Scipionis favore adiutos patriis suis valde profuisse ait Plutarchus reip. ger. praec. ed. Reisk. T. IX. p. 244. Confer Hieronym. ep. CVIII, et Suid. v. *Πόπλιος*." Mox notae 1 adiicitur: „Immo et eius orationem inscriptam *adversus M. Naevium* memorat Livius XXXVIII, 56, qui tamen suppositam suspicatur." Ibid. verbis *sociorum regna* submittitur nota: „Auctoribus lib. III, 35 laudatis adde Firmicum math. I, 3;" item pag. XLV verbo *adversabatur:* „Interemptum a

C. Carbone diserte dicit Pompeius apud Cic. ad Q. fr. II, 3.“ Post verba *pro Mur. XXXVI* nunc sequuntur: „Postremae huius incognitam particulam, laelianae eloquentiae vel elocutionis pretiosum specimen, nuper ego protuli cum interprete vaticano ad or. pro Mil. VII, 2.“ In nota 2 post *citatis* inseruntur: „Sed idem Nardinius lib. XII, 13 de re dubitat.“

In Laelio p. XLV post *Brut. XXVI* adduntur: „ideoque iuvenis, Laelio sene“.

In Philo Valerii M. testimonium augetur allato Dione fragm. vales. LXXXV.

In Mummio p. XLVI post *amicus* adduntur: „et a partibus populi aversus.“ Item in Tuberone post *Brut. XXXI:* „Ad Q. Tuberonem scripsit libros de officiis Panaetius, itemque epistulam de dolore patiendo, teste Cicerone de off. III, 15. fin. IV, 9. tusc. IV, 2.

In Rutilio p. XLVII notae 4 adiicitur Suidas v. *μελέτη*, et notae 9 Tacit. Annal. IV, 43. Post *citat Isidorus* adduntur: „et nisi vice versa Scipionis vita fuit in opere de bello numantino, Rutilii orationem qua Mithridatem clam cohortatus fuerat ad caedem civium romanorum patrandam, commentitiam fuisse, eique; ab inimicis suppositam, ait Plutarchus in Pompeio cap. XXXVII.“

In Fannio p. XLVIII post *conscenderat* inseruntur: „Fannio historicam apprime veritatem tribuerat Sallustius in deperditis scriptis, teste Victorino ad rhet. Cic. ed. Capper. p. 149. Ex octavo Fannii annali auctoritas laudatur apud Virgilii interpretes a me Mediolani editos ad aen. III, 707. [Cf. Held Ueber die Briefsammlung des Plinius p. 33.] Locum ex oratione C. Fannii adv. Gracchum nuper ego cum I. Iulio Victore cap. VI, 6 edidi. Aque hanc ipsam orationem dixerat *nobilem et bonam* Cicero in Bruto XXVI eiusque prima verba protulerat de or. III, 47. Verumtamen orator Fannius, alius vir fuit, pater nostri fortasse, quoniam ab hoc oratore gestum tribunatum arbitrio Africani ait Cicero in Bruto loc. cit. Noster autem, qui dialogo interest de rep., vix aetate quaestoria erat, nedum tribunicia, quo anno Africanus obiit. Porro Fannii senioris tribunatus inciderat in Africani censuram, ut certo videbatur Ciceroni ad Att. XVI, 13. Immo idem consul fuerat cum Domitio anno urbis DCXXII, Cic. Brut. XXVI. Fannii militarem virtutem claruisse in bello adversus Viriathum ait Appianus hisp. cap. LXVII; Athenaeus autem VI, 21 etc.“ Sub finem nunc exhibentur: „credo; praesertim quum apud Ciceronem mox citandum ad Q. fr. III, 5, nec non apud Servium ad aen. VI, 877 etc.“

Ex „Indice rerum“ (quo uno Maius nunc quae duobus ante complexus erat, rem absolvit) unum transcribo, quod adnotavit sub v. *Metellus* I, 1: „De Metelli macedonici cum Africano simultate videsis Cic. pro Scauro cap. XIV.“ Cetera notabilia adnotationi meae suis quaeque locis inserui.

INDEX GRAMMATICUS ET RERUM

IN

ADNOTATIONES

PRAEFATIONEM COMMENTARIOS ET EXCURSUS

AD CICERONIS LIBROS DE RE PUBLICA *).

Ab, abs, v. *aps*. *ab* ante *r* 143.
abfui, v. *afui*.
abuti 38.
ac, atque 462 sqq.
ac tamen pro *sed tamen* 31.
Academīa 466.
accensi velati 204.
accusativus nomin. propr. in *-em* et *-en* 11.
accussare 20.
actio civilis 251.
ad pro *at* 31. et *in* conf. 392.
adgnoscere 297.
adiectiva in *-itius* 250. 360.
adolescens v. *adulescens*.
adp... v. *app...*
adque, atque 31. 464.
adsentio, adsentior 300.
adsiduus 202.
adspirandi usus 432.
adulescens, adolesc. 58. cf. 498.
adultus 176.
adventitius, adventicius 250.
adverbia substantivo iuncta 367.
Aegyptii litterarum inventores 248. Aegyptii sacerdotes 117. Aegyptiorum cultus beluinus 262.
Aenianes, Enianes 160.
aequabilitas 91.
Aequi 196.
aequom 80.
aere, assę conf. 202.
Aeschines 329. advers. Ctesiph. §. 55. emend. 129.
Aetoli latrocinari honestum putabant 264.
afui, abfui 243.
ἀγαθός, v. *bonus*.
agri cultura 340.
ain vero 48.
ait suppressum 62.
Alba Longa 156.
ali, alii 33.
aliqui, aliquis 140.
aliquis unus 99.
aliunde, alieunde 410.
allitteratio 299.
alter uter, dupliciter declinatum 251.
amnis 163.
ampleeti v. *complecti*.
anacoluthon 23. (32).
anadiplosis 147.
ἄναξ = *θεός* 101.
Anaximander 53.
animae a corpore recessus ad tempus 355.
annales maximi 184. publici *ibid.*
anno = anno abhinc 119.
antisto 279.
Apollo moneta 106.
appellare, adpellare 36.
aps te 81.
apstinere 19.
apud se 290. *apud, aput* 31.
Aquilius, Aquillius 34.
Arcades *αὐτόχθονες* 276. *προσέληνοι ibid.*
Archimedis sphaera altera 57.

*) Numeri *paginas* huius editionis indicant. — Ceterum *res*, quae in ipsis Ciceronis libris tractantur, ibi tantum tetigi, ubi etiam in Adnotationibus earum mentio fit. Plura libenter recepissem, si, propter amplitudinem operis, et Editor, V. Ill., et bibliopola voluissent. *A. L.*

Archytae dictum 122.
arctus, v. *artus*.
Ariopagus 92. 467.
Aristides Quintil. emend. 330.
Aristodemus 329.
Aristophanis fabula στρατευσι 115.
armillae 314. 315.
artus, *arctus* 364.
asportare, v. *export*.
asse, *aere* conf. 202.
assiduus 201.
assimilatio XI sqq. 319.
C. Aem. Asper, Grammat., XXXIII.
astrologia, *astronomia* 54.
asyndeta 102. 124. 129. 137. 138.
at, v. *ad*.
Athenienses αὐτόχθονες 276.
Atheniensis reip. magistratus etc. 154.
Athon 306.
atquin 257.
Atilius, *Attilius* 4.
atque 89. et adeo *ib.* — V. *acadquin*.
atque 257.
Attilius, v. *Atil*.
Attius, *Attus* 195.
Attius ap. Non. em. 379.
attractio 23. 117. 118. 120. 229. 373. temporum 199.
Attus, v. *Attius*.
auctoris, cuius vv. afferuntur, nomen reticetur 114.
auferre, accipere, 410.
augurum numerus 180. 181.
Augustinus, Epist. 199, 34. emend. 61. c. Pelag. emend. 246.
aurichalcum, v. *oricalco*.
auspicato, *auspicatu* 213.
auspicia maiora 181.
in auspicio esse 171.
Aventinus 190.
avolsus 6.
Axinus, v. *Euxinus*.

B litt. ante aspirat. 243. ante *t* in *p* mutat. 240. conf. cum *u* et *v* XVII. 8. 19. 22. 24. 33. 36. 106. 493.
bacchius loco anapaest. posit. 73.
barbari 117. 120. 121.
Basilii Ms. fragment. emend. 115.
belli 222.
belua, *bellua* 73. *belua fera* 211.
benivolus 322.
Bobienses Codd. 499.
bonus, ἀγαθός 276.

C. v. *G.*, *Gaius*. c litt. ante *x* intrus. 191. pro *t* 360. pro *ch* 432. pro *qu* 474 sq.
cacophoniae exempla 469 sqq.
cadere, in peius ruere 140.
caecus passive 158.
caeli sphaera 57.
caerimonia, *caeremon.* 181.
Caesar 141.
Caper Grammaticus 455.
carere temeto 321.
Carneades 255. 256. 283.
casus regens rectis interposit. 89.
Cato 6. Catonis vis dicendi, lepos, discendi studium 152. sententia 358.
catus 70.
caussa, *causa* 20.
ceivis, *civis* 198.
centuriarum numerus 200. 486 sqq.
cernere oculis 64. *cerni* aliqua re aliquid 235.
Chalcidius in Timaeum emend. 55.
Chrysippus 259. 283.
Cicero homo novus 29. liberaliter scrib. 85. optimatibus favens 90. Eius consulatus 22. dictum 97. in laudandis poetarum locis mos 70. vocabulis poeticis usus 11. Eius orthographia VIII sqq. Eius libb. de Rep. quando scripti XXV sqq. cuius nomini inscripti XXIX.
Cicero, de Amic. 12. tract. 37. Arat. 495. Brut. 4, 16. explic. 135 Divin. in Caec. init. em. 457 sq. 8, 26. emend. 295. pr. Caec. 13, 38 em. 482. pr. dom. 18, 47. emend. 338. Ep. ad Att. XIII, 21. emend. 498. ad Famm. XII, 15 tract. 35. de Finn. II, 20 emend. 233. V, 22, 61. defend. 133. de Legg. II, 22, 56. tract. 7. 8. pr. Mil. 7 tract. 27. 28. pr. M. 11. emend. 210. 211. pr. M. 28. emend. 91. pr. M. 31. emend. 187. de N. D. I, 1 em. 467. I, 2, 5. defend. 34. I, 10. emend. 123. I, 21, 57. emend. ibid. de Off. I, 11, 9. I, 41, 147. emend. 153. 285. de Or. II, 7, 25. def. 45. III, 34. em. 53. pr. Scaur. em. 484. Tim. 2. restit. 223. in Verr. I, 4, 13. em. 289. I, 60, 194 em. 370. II Verr. I, 52, 152. em. 484. (Rhet. ad Herenn. 4, 52. em. 10.)
circenses ludi 168.
circi, *circali* 379.
circuitus, *circumitus* 95.
civitatium 105.
clarissumus 33.

Cleophon 328.
clepere 316.
-clum pro *-culum* 17.
Cn., *Gnaeus* 428.
coepit, *coeperit* conf. 133.
coerare, *curare* 263.
cogere cum accusat. 12.
collectiva cum plural. 153.
Comicus = Aristophanes 115.
comitia in locupletium potestate 106.
comoedia 329.
complecti passive 443. *compl.*, *amplecti* 377.
concio, v. *contio*.
condicio, *conditio* 24. 268.
conexus, *connexus* 246.
confici 200.
coniunctivus et indicativus conf. 13. 97. 133. 136. *coniunct. perfecti* 133. 134.
Conlatinus 216.
connubium, v. *connubium*.
conquirere, una quaerere 45.
Cons., *Cos.*, nota 35.
consonantes geminat. in vv. cum *re* compositis 478 sqq.
constructio directa pro relativa 124. constr. mutata 256. constructiones duae in unam conflatae 23.
Consualia 168.
consul a consulendo 216.
contemnere 75.
contingere, de rebus adversis et secundis 38.
contio, *concio* 21.
Contrapunkt 242.
connubium, *connubium* 231.
conventitium 303.
cordatus 70.
Corinthii equis publicis assignabant orborum et viduarum tributa 195.
Cornutus de Orthogr. tractat. 434.
corpore adverso vulnera accepta 16. 17.
Cos., v. *Cons.*
Cosmoe 223.
cotidie 76. 475.
Crameri Anecdd. emend. 54.
Cretes latrocinari honestum putabant 264.
cu pro *qua* 445.
cum v. *quom*.
cur XI.
curare, v. *coerare*.

D in *t* mutat. 319. *d*, *t* conf. 67. pro *b* 430.
Damaratus, v. Demar.
de verbis addit. cum vi intensiva 192.
Decemviri 229. 230.
Decumus Verginius 233.
definitio 84. 85.
deligere, *diligere* 179.
Demaratus 192.
demittere, *dimitt.* conf. 128.
demutatio 158.
Dercyllides 413.
derigere, *dirigere* 220.
descriptio, v. *discr.*
Dicaearchus XXXII.
dictator, unde deriv. 130.
Didymus, grammat. XXXIII.
diligens aliqua re 201.
diligere, v. *delig.*
Dinocrates architectus 307.
dinumerare, *dinumeratio* 185.
Diomedes Grammat. I. emend. 78. 79. 297. 300. II. em. 458.
Dionysius Halic. III, 35. emend. 189.
dirigere, v. *derig.*
discriptio 146. 512.
disputare, *disserere* 277.
dissaepio 317.
disserere, v. *disput.*
dius 130.
divitior, *divitissumus* 67.
docti indoctique 112. 113.
dominari cum Dat. 102. 103.
domui, *domoi*, *domo* 129. *domum suam portare*, *reportare* 171.
Dosithei gloss. emend. 17.
Draco, Δράκων, Δράκωνος 154.
Duelius, *Duilius* etc. 429.
duntaxat, *duntaxat* 220.
duo, *duos* 50. 468 sqq.

E pro *ae* 45. cf. *Aemianes*.
eethlipsis 421.
ed pro *et* 16.
efficere, effingere 307.
-ei pro *-i* VI. 5. 104.
eis, *his* 215. *iis* 162.
iîç, 237.
elisio liter. *s* in fine 421.
eludere 174.
emori, plane interire 313. Glossa ap. Barth. Advv. 32, 1. p. 1465: Mortuum corpus, iam exanime; emortuum, morti proximum. Mai Auct. VII. p. 559. VIII. p. 200.
en, cum indignatione dict. 142. conf. cum *hem* 142.
Enianes, v. *Aen.*

Ennius 130. 131. 251. em. 421. Eius Sabinae 169.
-ens 266.
Epicurus 283.
equidem, *quidem* 350.
Er Pamphylus 355.
eros, v. *heros*.
error, Irrfahrten 159.
eruditus 173.
est om. 228. 380. verbi *est* forma muta 184. 218. 480 sqq.
et, *ut* conf. 126. *et* — *que* 144. 145.
etenim 12.
etiam — *non solum* pro *non solum*, *sed etiam* 155.
etiamsi cum fut. 77.
Etrusci latrones 162.
Eurysacis monumentum 437.
-eus et *-ius* in nominibus originis Graecae 466 sqq.
Euxinus, *Axinus* 263.
ex, *e* 139. *ex tempore* 29.
exceptio subsequente *extra quam* 29.
excursare 159.
exferre 68.
exflorescere 95.
exfrenatus 108.
exigere in exilium 128.
exportare, *asportare* 305.
exradicitus 229.
exs, *ex* X. 81.
exsilium, *exilium* 18.
extasis 355.

F pro *ph* XVII. 452 sqq.
fabri tignarii 200.
Fannius 502.
Febris dea 167.
feciales, v. *fetial*.
fere, saepe 365.
ferre laudibus 137.
fetiales 188 sq.
finire, signare 55. 56.
flumen et *fulmen* conf. 24.
foret 179.
fortan, *forteau*, *fortassan*, *forsit*, *forsitan* 301 sq.
frequenter, frequenti numero 36.
fuit, *fuerit* conf. 120.
fulmen et flumen conf. 24.
Futuri vis 50.

Gellius, N. A. I, 22, 8. emend. 282. Gellii cod. palimps. *ibid.* summaria *ibid.*
Genitivus duplex diversa relatione a substant. pendens 94. Graecus *-eo* pro Lat. *-i* 42. locativus 262. partitivus 252. partit. nudus 229. plural. substativor. in *-as* desinentium 105. 475 sqq. II. declinat. in *-i* pro *-ii* 446 sqq. III. declin. in *-i* 472 sqq.
gerere remp. 179. *geri* et *regi* coni. 243.
Germani alienos agros demetebant 264.
γίγοντες 212.
Gerundii forma in *-u* 182.
Gerundivi usus 372.
glossemata 118.
gnatus, *natus* 297. 298.
gnoscere 297. 298.
C. Gracchi triumviratus 37.
Tib. Gracchus 212.
Graecus 433.
Graecarum artium et disciplinarum apud Romanos origo 191.
Graeci a Cicer. damnati 121. leves 18. Eorum decretum ne fana a Persis combusta reficerentur 263.
Graecismus 253.
Graci 161.
Grati 120.
Grammatici 59.
gubernatoris medicique similitudines 126.

heic 297.
Helotae agros locupletium colebant 265.
hem, *en* conf. 142.
hercule, v. *me hercle*.
Hercules 289.
heros, *eros* 131.
Hersilia 188.
hic, *is* 456 sqq.
his, *eis* 215.
hoc pro *eccle* 377.
hominum immolatio 264.
homo μικρὸς κόσμος 408.
honos 108.
horrescere 129.
huic, *huic* 126.

-i pro *-ii* 446 sqq. v. etiam *Genitiv.*
iacio verbi composita geminata litt. *i* 451 sq.
iamdudum, *iandud.* 236.
ici, perfect. 169.
-ier, v. *Infinitiv.*
igitur brevitati inserviens 126.
illud, *illut* 61.
immo, *imo* 375.

Imperfecti media syllaba intercepta 53.
impunite, *impune* 288.
in, abund. 138. et *ad* conf. 392.
inaequabilitas membrorum 108.
inanimus, *inanimatus* 414.
inchoo, v. *incoho*.
incidit res 45.
incoho, *inchoo* 111.
incommutabilis 223.
Indicativus et Coniunctiv. conf. v. *Coni*.
infimus, v. *infirmus*.
Infinitivus in *-ier* 224 sqq. a relativo pronom. aptus 55.
infirmus et *infimus* conf. 287.
inflectere 193. 194.
iniquus, v. *invidus*.
iniustitiae laus 255.
inquit, *inquid* 37. 59. cum Dativo 122.
Inscriptio Ardeas ap. Plin. N. H. XXXV, 10, 37 emend. 497.
insolentia 127.
instituere sermonem 190.
intellegentia 312.
intemperies 233.
interdictum praetoris 50.
interrex 130.
interrogandi particulae 184.
interrogativae formae duae iunctae 302.
inversiones, v. *transpositiones*.
invidus, *iniquus* pro *substantiv*. 76.
iocundus, *iucundus* 7.
Iovis epitheton *rex* 101. a Iove principium 112.
iracundia 238.
is, *hic* 456 sqq.
Isidori Origg. I, 26, 15 em. 434. IX, 4. emend. 85.
itaque = et ita 362.
-itius, v. *Adiectiva*.
iucundus, v. *iocund*.
Iuno moneta 106.
Iupiter optimus 101. pecunia 106. — V. etiam *Iovis* etc.
iurgare 323.
-ius v. *-eus*.
ius summum 340. *iure*, *iuri* 13. *iuris*, *iure consultus* 341. iuris monumenta vitiis commaculata 35. ius belli 284.
iustitia 260. 274.

K litt. 431.
Karthago 430. urbis opes 149.

L, *r* et *s* conf. 28.
Lacedaemonii, *Lacaedem*. 60.
lacruma 361. 436.
Lactantius, Institt. emend. 137.
Laenatis expulsio 18.
lautus auctor 44.
lenis, *levis* 237. 370.
lex ad multam dicendam lata 227. leges sumtuariae 321.
licentia poetica metrica 73.
liticines 204.
litus, *littus* 69.
Livius Ciceronis imitator 166.
locupletium 199.
loci genitivus a pronom. pendens 174.
Longa Alba, *Alba Longa* 156.
loquelariter 402.
lubenter, *libenter* 36.
Lucretius Ennii imitator 131. IV, 648. emend. 28.
Lucumo 193. 194.
Ludi magni 168.
lumen ingenii 369.
luminis orae 131.
luna terrae proxima 382.
lusus verborum 106.
luxus 321.

M = ∞ 195. *m* pro *n* ante *qu* 141 sqq. *m* finale om. 172. *M'*, *Manius* 251.
Macrobius, in Somn. Scip. I, 14. emend. 68.
Maelius, v. *Spurius*.
maeror, *moeror* 233.
magistratus ambitur, *mandatur* 97.
magno opere, *magnopere* 34.
Mallius Theodorus em. 449.
Manilii arrogantia 51.
marei 159.
maritumus 437.
Martialis XI, 90, 4 emend. 496.
Masinissa, *Masanissa*, *Massanissa* 360.
me herele, *mehercule*, *mehercules* 149. 37. 83.
memoriae prodi, v. *prodi*.
mensium nomina contracta 63.
michi 363.
miki, *tibi* conf. 132.
mille cum Singul. 352.
millies, *millies* 266.
modo 212.
modorum inconstantia 105.
moenia, *moenire* 263.
moeror, v. *maeror*.
moliri, *movere* permut. 76.

monarchia 143.
monumentum, monimenta. 181.
mors voluntaria 378.
mortuus, mortus 190. 445.
mos sermonis 139.
mulcta, v. *multa.*
mulierum abstinentia 320.
multa, mulcta 172.
multi = omnes 115.
Sp. Mummius 346.
mundus unus et mente s. anima praeditus, mundus Deus 116.
myoparo 272.

n ante *d*, *t* pro *m* 142. sq. *n* in *m* mut. 319.
Naevius ap. Priscian. em. 450.
nanctus, nactus 43.
narrare, narare 26.
natus, v. *gnatus*
nec, neque 459 sqq.
nec vero in apodosi 32.
neglegere 312.
Neoptolemus, fabula 74.
nepa 73.
Nepos, Themist. 10., emend. 241.
neque, v. *nec.*
nexo, nexu conf. 66.
nichil 363.
nisi si 306.
Nominativus I. declinat. *-es* pro *-a* 91. III. declin. in *-os* pro *-or* 108.
non modo — sed etiam 344. *non modo, non solum — sed ne — quidem* 483 sqq.
Nonius emend. 88. 104. et saepius in fragmm.
Nonnus, Dionysiac. VI, 87. tract. 58.
nota Q 254. 255.
numeri 176.
numquam, nunquam, v. *n.*
nuncupo 170.

obsedio 291.
obrogare 284.
obt- v. *opt-*
ὀχλοκρατία 297.
-oe pro *oi* 223. pro *u* 263.
omnia, sub calcem enuntiationis posit. 83.
omnino omnis 295.
opera et labore 337.
opterere 240.
optimates 89.
optimus, deriv. ab *opes* 106.
optinere 240.
orbis, urbs conf. 382.
orbis terrae, terrarum 273. orbis lacteus 381. orbes novem 383.
in ordine 496.
orichalcum 279 sq.
ante os, in ore 263.
Ostiensis portus 190.

P littera ex codd. expulsa 182. pro *ph* 45. 432.
Pacius, Paccius 261.
Pacuius, Pacuvius 260. 261. 445.
paene, pene 193.
paenitet, poenitet 302.
παιδεραστία 316.
parcere, prospicere 274.
parsimonia 321.
Participii ablativus in *-e et i* 100. genitiv. in *-ium* 477. Eiusdem accusativ. praedicati vices gerens 95. 96.
Patres 169.
Patricii 178.
patrius 407.
pax! 371.
pecunia unde derivat. 172. dea 106.
Peloponnesiacus 164.
pene, v. *paene.*
per et *pro* conf. 77.
peremnis 164.
perennis 406.
Perfectum primae coniugationis forma imminuta 22. Perfecti activi terminatio in *-ere* 489 sqq.
perflari 167.
perhibere 156.
perinde, proinde 27.
Peripatetici 26.
ph et *f* v. *f.*
Phalaris 292 sq. eius taurus *ibid.*
Pherecydes 197.
Phliuntii, Phliasii 160.
Phoenices litterarum inventores 248. — V. etiam *Poeni.*
Piraeus, Piraeaeus 294.
Pisistratus, praesidiis saeptus 141.
planetae quinque 55.
Plato XXXII. eius itinera 42. Platonicae Politiae adversarii 208.
Plautus Capt. III, 4, 8. emend 142. Cist. emend. 298. Most. V, 1, 63. emend. 229. Trin. I, 2, 162. explic. 202.
plebei, plebi, plebis 128. *plebi scitum* 14.
plebeiscitum 232.
Pletho emend. 160.

Pluralis abstractorum 240. cum collectivis iunctus 153.
pluribus verbis dicere 31.
Pseudo-Plutarchus, Vit. X orat. emend. 114. 115.
Poeni, Phoenices 304.
poenire, punire 262. 263.
poenitet, v. *paenit.*
poetarum reprehensio 324. 326. Eorum verba in prosam soluta 130.
politici Graeci XXXII. 82.
Polybius XXXII. 183. 316.
Popilius, v. Laenas.
Poplicola v. *Public.*
populariter 402.
populus, poplus 217.
Posidonius 283. eius sphaera 56.
postquam, posteaquam 173.
potentatus 169.
potius — quam 360.
praecipitare 393.
praenomina ὁλογραμμάτως 4.
Praepositio in altero membro relativae constructionis omissa 112. Praepositiones repetitae 176.
Praesens *ἀορίστως* posit. 84.
Praeditoris interdictum 50.
principes cives, viri 92. patres 144.
Priscianus, emend. 131. 142.
pro et *per* conf. 77.
procul 7.
prodi memoriae, memoria 218.
producere intra aliq. 131.
progenies 203. 204.
prognatus 297.
progreditur oratio 127.
proinde, perinde 27.
προϊὼν ὁ λόγος 127.
proles 203.
proletarii 202.
Pronomen, geminatum 122. plurali numero positum subsequente verbo singul. 29.
proprius, possessivis iunct. 25.
prosapia 203.
proturbare 77.
provocatio 217. 128.
prytanes Rhodiensium 302.
-pse, v. *reapse.*
Publicola, Poplicola 217. 219.
punire, v. *poenire.*
Pythagoras 186.
Pythagorii 466. 467. cf. 498 sq.

Q et *O* conf. 130. *Q* = *que* 138.
quaestoria aetas 46.
quamquam, quanquam 141.
quando, ortum ex *quam diu* 142. *quando, quandoque* 404.
quattuor, quatuor, quattor 258. 259.
quare in transitione 30.
quasi, quasei 6. 171.
-que 218 337. *-que — et — et* 230. 231
qui pro *quis*, sequente *s*, 158. *qui ubique sunt* 162. — v. etiam *relativum.*
quia post comparativum 276.
quiequam, quidquam 99.
quid, quod conf. 84. 10. *quid, quia* conf. 10.
quidem, equidem 350.
quidquam, v. *quicquam.*
quidquid 99.
quin, quid, quod conf. 10.
Quinctius, Quintius 63. 64.
Quintilianus IX, 4, 37 em. 494.
quisque cum singul. et plural. 153.
quod post comparativ. 276. = qualenam, quodnam 96. permutat. cum *quin* 10. cum *quot* 57. — cum Genit. 162.
quoi, quoius, quoique 14. 267. 268.
quom 7. 443 sqq.
quot, v. *quod.*
quotidiano 351.
quotiens 266.
quum v. *quom.*

R, l et *s* conf. 28.
reapse 9.
regi, geri conf. 243.
relativum ad rem, non ad verba constr. 45. — V. Infinit.
repetita eadem verba 102. 105. 128. — V. etiam *res repetere.*
repperri, rettuli etc. 478 sqq.
reprendo, reprehendo 318.
requiro ex 99.
res publica, re vera, non coniuncta vocum forma 14. *res repetere* 285. — rei publ. genus mixtum 234. 235. rer. publicar. commutationes et conversiones 132. 208 *bis.*
rettuli v. *repperi.*
Rex, Iovis epithet., 101. reges domini 131. reges, regium imperium 117.
Rhamnenses 195.
Rhodiorum res publ. 302. 303.
Roma aeterna 291. Romae nomen 167. 168. annus natalis 173.
Romani aëris morbus 167.
Romani prisci non barbari 121.

transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinebant 265. Eorum pudicitia 317.
Romulus 168. 172.
Rutilius 346.

S, *l* et *r* conf. 28. *s* pro *x* 119. *s.* lit. elisa in fine 421. *s* muta in fine verbor. 492 sqq.
sacrificia humana 264.
sacrorum luxus 182.
saepsisse, sepsisse 88.
Saguntus, Zaguntus 34.
Sallustius, Catil. 28. emend. 129. Fragment. ap. Augustin. 306.
Samia vasa 353.
Sardanapalus, Sardanapallus 305. 306. De statua *CAPAANAΠAA-AOC* v. quos laudat Müller Archaeol. p. 596. ed. tert.
Schol. in Cicer. orat. in Clod. emend. 120. Ms. ad Pers. emend. 73.
Scipio aristocraticus 143. Eius ambitio 370. mors *ibid.*
scurrae 202.
sed, set 15. 86.
seditionum causae 222. 223.
sei, si 104.
senatus 170.
sepse 260.
sepsisse v. *saepsisse.*
septe, septem 172.
Servius (Tullius) Sulpicius 196. 197. 204.
ses- pro *sex-* 119.
set, v. *sed.*
si forte urbane dictum 121.
sibe, sibei, sibi 213.
Simonides 175.
simpuvia 353.
simul, eodem tempore, 44.
simulamentum 282.
sint, sunt conf. 13. 97.
Smyrna, Zmyrna 34.
societatis causa 86.
Socratici 26.
Solo, Solon 153.
sphaerae 54. 55.
Spurius Cassius 211. 226. 227. Maelius 211. 212. 512.
st 370. pro *est* v. *est.*
statuae plumbo inhaerentes 358.
structurae inconstantia 78.
suboles 203.
Suetonius XXXIII.
sulphur 453.
Sulpicius, v. *Servius.*
summum ius 340.
sumptum, sumtum 181. 182.
sunt, sint conf. 13. 97.
superesse 282.
Syracusae 293.

T in *d* mutat. 319.
Tacitus, Annal. XVI, 1. emend. 120.
taeter, teter 95. 210.
tamen ad omiss. *quamquam* referend. 179. conf. cum *tantum* 374.
tamquam, tanquam 141. 512.
Tarquinius Lucumo 193.
Tatienses, v. *Titienses.*
temptare, temtare, tentare 178.
in terra, terris 377.
terrores 148.
te te 122.
teter, v. *taeter.*
Thale, Thalete, Thalen, Thalem 53.
Theophrasti sententia 66.
Thraca, Thracia 161.
tibi, mihi conf. 132.
Titienses 194.
-tius, v. *Adiectiv.*
traducere, traferre, tramittere 20.
tranatare, tranare 399.
transitus ab oratione directa ad indir. 137.
transpositiones 62. 67.
treis, tris 170.
triumphare 453.
Tullus, Tullius 197. T. Hostilius 187. 189.
tum, tunc 171.
turpido 10. 11.
tyrannus 211. 271. tyranni praesidiis saepti 141.

U et *b* conf., v. *b.* *u* littera geminata 438 sqq. *u* pro *uu* 191. pro *i* in superlativis etc. 434.
ullus = alius ullus 166.
umquam, unquam 141.
undare 167.
unus 237. *un. atque alter* 46.
sitis *urit* fauces 135.
urbs, orbis conf. 382.
urbes mediterraneae 157.
urps 164. 241. 293.
usque adhuc 194.
ut repetit. 260. conf. cum *et* 126. eius usus temporalis 118. 512.
uterque = alteruter 50.
utor cum casu quarto 214.

utrubique, utrobique 302.
uu, v. *u*.

V et *b* conf., v. *b*.
Varro ap. Non. emend. 75. de L. L. V, 9. emend. 195.
Vaticanus fons 167.
vel 236.
velle sibi 211.
Velleius Paterc. II, 96. tract. 35. 36.
verbum substantiv. v. *est*.
Verginius, *Virginius* 233.
vero vi affirmandi 136. praeposit. *ibid.*
versiculi similiter cadentes (Reime) 471.
vetustas = vetusta necessitudo 155.
vila, *villa*, *vilicus*, *villicus*, *vilicare* 122. 339. 340.
vinclum, *vinculum* 17.
vir bonus 276.
Virgilius Ennii imitator 132.
vitium satio in Rheni ripis 265
vivere, vitam vitalem vivere 7.
vocabula poetica ap. Cicer. 11.
Voconia lex 265.
volnus, *vulnus* 16. 438 sqq.
Volumnius 195.
vortex 442.

X addito *s* 5.

Y in *u* mutat. 361.

Zethus, fabula 74.

ADDENDA.

In tali opere, quale nostrum est, quod duobus abhinc annis sub prelo sudat, fieri non potuit quin addendorum moles vel invito succreverit: ex quibus selecta pauca subiungam.

I, 1. p. 10. Nihil enim dicitur a philosopheis etc.] Sententiam explicat Menno Schaaf Gratama Diss. de Ciceronis philosophiae de iure, civitate et imperio principiis, Groningae 1827. p. 86.

I, 26. p. 90. tamen, nulleis interiecteis iniquitatibus etc.] De sententia a Villem. male explicata v. Gerardi Dedel Resp. ad quaest. acad. de Ciceronis doctrina de iure, civitate etc. in Annal. acad. Groning. 1823 et 1824. p. 32.

I, 37. p. 118 ut sine regibus sit] Idem v. *ut* usus apud Velleium I, 7, 3: *quum sint a Capua capta anni CCXL, ut condita est.*

I, 43. p. 135. exarserunt] Eiusdem rationis ac Tibulli locus sunt *haec* Ausonii Mosell. 7: *Praetereo arentem sitientibus undique terris Dumnissum.* In contextu corrigas *exarserunt.* In quo scribendi genere si aliquoties peccatum deprehenderis, id humaniter corriges.

I, 44. p. 141. tamquam] De hac scriptura cf. Mützell. Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen II. p. 206. *Tandiu* Med. in Orellii Tacito in Ann. XI, 9. p. 335, 2.

I, 46. p. 145 sq. discriptione] Titulus Augusti fere aetate incisus Venafrensis in Gerhardii Archaeol. Zeitg. 1846. Nr. 47. p. 373: DISTRIBVERE DISCRIBERE VENDVNDI CAVSA, et mox ibid. DISTRIBVTA DISCRIPTA.

II, 27. p. 211. M. Maelius et Spurius Maelius] Cf. Evertsen de Ionge De delictis contra remp. ~~admissis~~, T. I. p. 177 sq.

II, 31. p. 217. quod in excelsiore loco Veliae etc.] Sagaciter horum de locorum ratione et situ disputatur in Ephem. litt. Ien. 1841. Nr. 9. p. 69.

CORRIGENDA.

P.	5	v.	11	leg. scriptuae pro scripturae.		
—	12	—	32	— quei	— qui.	
—	24	—	19	— refutat.	— refurat.	
—	34	—	9	— Eudoxo	— Eudoxso	
—	38	—	5	— non	— nõn	
—	71	—	6	a f. del. punct. post *traetaverit.*		
—	101	—	5	leg. propria pro propriam		
—	104	—	11	a f. leg. *studiis*	pro *sutdiis*	
—	114	—	1	— haec	— haae	
—	128	—	15	a f. — retinent	— retinent	
—	133	—	14	a f. — rationem,	— rationem.	
—	135	—	26	a f. — abusum	— absum	
—	151	—	ult.	— Ceterum	— Ceterum.	
—	164	—	27	— II — I.		
—	193	—	5	a f. — adeo	— adee	
—	204	—	ult.	— centuriarum	— centuriaeum	
—	241	—	16	— p. *164. (295)*	— p. . . .	
—	453	—	11	a f. — ")	— ")	
—	480	—	24	— etsi Catullus *rēpperit* pro s. Catullus *rēppercit.*		
—	493	—	9	— synizesin	— synicesin